51888|B

4. —



VIRIVM,
QVAE TERREIS REMEDIIS GRATIS HACTENVS ADSCRIPTAE SVNT,
EXAMEN RIGOROSIVS;

QVO SIMVL
MVLTARVM TRADITIONVM PRACTICARVM
MYTHOLOGIA ET VANITAS DILVCIDE
DECLARATVR,
ATQVE
AD RATIONALEM MAGIS PHARMACORVM ELECTIONEM,
VARIORVMQVE MORBORVM SANATIONEM,
PRAEEVNTIBVS RECENTISSIMIS ARTIS PRINCIPIIS.
VIA OSTENDITVR.

AVCTORE
BALTHASARE LVDOVICO TRALLES,
MEDICO VRATISL.

PRAEMITTITVR OPERI DISSERTATIO
DE FREQVENTI FATVORVM REMEDIORVM IN PRAXI QVOTIDIANA VSV EIVSQVE CAVSIS POTIORIBVS.

VRATISLAVIAE & LIPSIAE,
Apud MICHAELEM HVBERTVM,
M DCC XL.

304406

Seneca:

Nemini me mancipavi, nullius nomen fero,
Multum magnorum Virorum judicio credo,
Aliquid tamen & meo vindico.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Viro

Illuſtri, Magnifico, Generoſiſſimo
atque Excellentiſſimo

Joanni Henrico

Nobili Domino

de Heucher,

Potentiſſimi Polonorum Regis Archiatro

atque

In Academia Wittembergenſi

Profeſſori Medicinæ Primario.

Viro

Illuſtri, Magnifico, Generoſiſſimo atque Excellentiſſimo

Joanni Samueli

Nobili Domino

de Berger,

Conſiliario Cæſareo

&

Magnæ Britanniæ Regis

Archiatro.

Viro

Illuſtri, Magnifico Excellentiſſimo

Laurentio Heiſtero,

In Academia Helmſtadienſi

Medicinæ, Chirurgiæ & Botanices
Profeſſori Publ. Ord.

Academiæ Cæſareæ, Londinenſis,
Berolinenſis, Socio.

Viro

Illuſtri, Magnifico, Excellentiſſimo,

Paulo Theophilo Werlhof,

Magnæ Britanniæ Regis

Medico aulico

ſpectatiſſimo.

VIRI Illuſtres
Magnifici, Excellentisſimi,
Doctisſimi!

DUm librum, a plerisque fidei articulis, in praxi hodierna ſancte reſervari ſolitis, maxime alienum, totumque hæreticum, uſui tyranno, magno illi opinionum heroi, longe lateque in orbe medico dominanti, manus violantas illaturum; eaque propter, ut facile prævideo, multis oblocutionibus obnoxium futurum, in publicum emittere audeo: circumſpiciendum mihi ſollicite, quorum potiſſimum patrocinio & tutelæ, contra malevolos adverſariorum inſultus eundem com-

miſſum

miſſum exoptem. VOS igitur, VIRI ILLVSTRES, quos veritatum medicarum ſtrenuos propugnatores, evanidarum in arte hypotheſium juſtiſſimo odio duci convictus ſum; VOS muros mihi aheneos eligo, enixe orans, ut, ſub Veſtro umbone prodire in lucem pagellas has qualescunque demum, benevole patiamini. Arripio lætus occaſionem, eamque deſideratiſſimam habeo, quæ, publice VOBIS reverentiam immortalibus Veſtris meritis debitam ſignificandi, parem me reddit; eoque majori fiducia ad nomina veſtra ſplendidiſſima confugio, quo magis, paradoxum non minus olim editum, *de camphorae virtute refrigerante*, ſcriptum, a VOBIS potiſſimum probatum illuſtratumque fuiſſe, ſumma voluptate animadverti. Nunquam animo excidet recordatio pretioſæ illius horulæ, quam TECVM, ILLVSTRIS DOMINE de HEVCHER, ante paucos annos (cum *Illuſtriſſimum Comitem de Wackerbart*, *Regis* ſui *potentiſſimi*, totiusque aulæ delicias, miſere tum aſciticum & tympaniticum, ac fato ſuo quam proximum Medicus Dresdam comitatus eſſem) inter erudita tua colloquia, ab ore tuo ſapientiſſimo pendens abſumſi. Neque obliviſcar facile, quanta tum voluptate TVAM in naturali hiſtoria, vaſtiſſimoque omnis medicinæ ambitu peritiam, inſigni humanitati junctam, demiratus ſim, quamque dulcis mihi fuerit camphoræ refrigerantis commemoratio, quam ipſe, totam licet igneam, igni tamen in corporis machina concepto feliciſſime reſtinguendo parem, peculiari olim diſſertatione edita declaraveras. Atque TIBI quoque, ILLVSTRIS DOMINE de BERGER, is ſedet judicii vigor, ea TIBI eſt doctrinæ præſtantia, is experientiæ locuples theſaurus, ut munus, quo TE optime meritum condecoravit REX TVVS SERENISSIMVS, ſumma cum laude tuearis. TE igitur, ſi gratioſo & annuente vultu excepturum, quicquid eſt hujus opellæ, ſperare queam, tuam approbationem vel ſolam, facile multorum aliorum cenſorio rigori ſum antepoſiturus. Quam vellem, VIR INSIGNIS, vt eo felicitatis procederet tenue hoc, minusque a TE pervolvi dignum opus, quo contra ſpem meam olim proceſſit exile opuſculum meum *de*

cam-

camphora, quod TIBI haud diſplicuiſſe *ex commercio Norico* totus ſolutus in hilaritatem intellexi. Sed TE etiam ſeorſim adloqui audeo, ILLVSTRIS HEISTERE, qui, inter ſummos ſeculi noſtri Medicos, eminentem hercle! locum merito tuo diu adeptus es. Tuam in ſecandis cadaveribus humanis dexteritatem, quæ omni theoriæ & praxi artis noſtræ facem præfert; Tuam in utraque medicina, quam ſcriptis immortalibus illuſtraſti, peritiam, Medici demiſſa mente veneramur omnes; nomenque TVVM, cujus fama longe lateque in orbe literato volitat, nunquam intermorituro cultu proſequimur. Noli itaque mihi iraſci, obſecro, quod homo obſcurus, TIBIque ignotus, TE operis conſcripti æquiſſimum arbitrum & judicem conſtituere auſus fuerim, ſpe firma fretus, fore, ut, qui veritates medicas ſtrenue tueris, præjudicatasque opiniones & hypotheſium commenta felici auſu hactenus proſcribere ex arte anniſus es, cogitatis meis calculum adjicere haud ſis denegaturus. Quibus vero TE tandem compellem, ILLVSTRIS, & ſi per tuam humanitatem, ſi per favorem tuum, quem ſat expertus veneror, ita loqui licet, AMICISSIME WERLHOFI? Omnia tua, quotquot ex literatiſſimo tuo calamo profluxerunt, opera tanta doctrina, tanto judicio ubique referta viſuntur, ut, quodnam demum eorum palmam præ reliquis ſibi depoſcat, lectoribus medicis dubium ad hunc diem manſerit. At, vel ſolæ incomparabiles *de febribus obſervationes*, infallibile documentum præbent, quam generoſorum, ſpemque & Medentis & ægri omnium minime fallentium, ac vere indicatorum remediorum in praxi ſis defenſor & amator, quam male tibi ea audiant, quæ cunctando & nihil agendo morbos ſibi ipſis permittunt, cur ergo dubitarem, TE eodem zelo, quo eximia pharmaca non frequenter ſatis, non ſine conſtantia & fiducia hactenus uſurpata, uſurpari in poſterum cupis; TE, inquam, eodem zelo nullius uſus medicamina nimis crebro, nimis magna fiducia gratis hactenus exhibita, abjici in poſterum optaturum? Tanto lubentius eapropter ILLVSTRI TVO Nomini inſcribo tale argumentum pertractans opus. Utinam id & approbationem tuam & illuſtrationem mereatur, quam *in commercio Norico* in inſigne

)( )(defe-

defectuum meorum ſupplementum obtinuere lucubrationes meæ de camphora, deque ſectione venæ juguli. Unum ſupereſt, ut pro Veſtra omnium, VIRI ILLVSTRES, ſalute & incolumitate ardentiſſima vota fundam, ut denuo operi humillime vobis oblato præſentiſſimam tutelam, ac perenne patrocinium exorem. Conſulite porro, ut ſoletis, dexterrima cura & ſollicitudine, ſummorum Regum, Sereniſſimorum Principum, Procerum, Rerumpublicarum ſaluti. Attingatis ipſi ſoſpites & felices limites ultimos tranquillæ atque exoptatiſſimæ ſenectutis. Extendite famam mori neſciam factis celebribus ad poſteros; artisque medicæ decus & commoda ulterius curæ cordique habete. Me tandem, in ſplendore veſtrorum nominum defixum hærentem, favore & benevolentia foveatis, patiaminique, ut, quoad vitæ mortalis uſura me frui juſſerit rerum omnium arbiter DEVS, ſuprema reverentia vos proſequar, tenerrimoque affectu me profitear

Viri Illuſtres!

Magnifici, Excellentiſſimi,

Doctiſſimi!

Cultorem veſtrum perpetuum & obſequioſiſſimum

BALTHASAR. LVDOV. TRALLES.

Præ-

Præfatio.

ALtius infixa hæret plerorumque Medicorum animis opinio, poſcere illud immenſam ægritudinum cohortem, quæ tot malis miſere ſæpe mortales mulctat, ut ii, qui impugnandis illis & levandis vitæ ſuæ decurſum conſecrarunt, omni data opera & ſollicitudine grandes remediorum theſauros conquirant, quo ſufficienti ſemper ad multitudinem morborum vincendam ſupellectile inſtruantur. Factum eapropter, ut is, qui radicum herbarumque gregem cognovit; qui pulverum arcanorum, pilularumque gazas numeroſas poſſidet; qui eſſentias & tincturas officinarum ad unum omnes memoriæ inhærentes in enumerato habet; qui expeditiſſimum formularum ſcribam ex tempIo ſeſe præſtat, omnium maxime tueri poſſe Medici honores cenſeatur. Omnem ſuum ortum debet hiſce præjudiciis ingens ille & innumerabilis fere pharmacorum apparatus, quo ad ſuffocationem usque gravata jacet medicina, quo, dum ægris auxilium adferre debet, ipſa opprimitur & languet. Teſtes ſunt hujus oneris, quod ſuſtinere illa ipſorum cultorum ſuorum injuria cogitur, ſpiſſa illa diſpenſatoria, maximam partem ineptiis & confuſionum confuſionibus referta, in quorum ſine exceptione omnium fronte jure adſcribere liceret verba, quæ ſuis epigrammatibus olim præmiſit celebris inter Anglos Poëta, *Ioannes Owenus:*

Qui legis iſta, tuam reprehendo, ſi mea laudas
Omnia, ſtultitiam; ſi nihil, invidiam.

)( )(2 Atque

Atque certe habent illa ſua pharmaca bene congeſta, egregia, & in artis exercitiis valde proficua, elogiisque propterea digna; ſed vix dici poteſt, quam minutam hanc ſupellectilem ſuperet vaſta inutilium & barbarorum moles, cui hinc inde ſaltem immiſta utilia fere oculos lectorum effugiunt. Ad hunc diem nimirum inter deſiderata medica referendum credo diſpenſatorium, ab omnibus ſordibus & quisquiliis repurgatum; cum ne unum inter ſat multa mihi videre contigerit, etiam inter recentisſime edita, quod ab omni labe & vitio immune dici queat. Adeo indulgere videas viros in arte ſummos formulis a longo uſu receptis, ut eas rejicere aut emendare nefas duxerint. Omnibus facile, cum in compendio optima quæque complectatur, præferri meretur *Pharmacopoeia Leidenſis*, quam, ſi ullam aliam nondum viſam, genuinam, immaculatam, & totam utilem Medico me viſurum ſperabam, tamen vero in eadem quoque, ſi vera loqui audeo, deprehendere licet aliqua, quæ negligi & exterminari debuiſſent. Lubens ego abundare illos ſuo ſenſu patiar, qui, remediorum ſylva opus eſſe ad vincendos morbos, autumant; ego certe, ex quo medicinam facere cœpi, nimis rerum uſu edoctus ſum, in eo præcipue verſari prudentiam Medici, ut de coarctanda magis, quam amplificanda remediorum ſupellectile, ut de abjiciendis magis & proſcribendis ſenſim ex ſua praxi uſu receptis pharmacis, quam de corradendis, augendis, multiplicandis, ſit ſollicitus. Certe tot barbara, tot titularia, tot confuſa & incondita ubique proſtant, ut vix ſine rubore ea trahere in uſum queat vir prudens & literatus. Atque in hoc argumento conquerentes mecum, annuentesque meo aſſerto habeo viros ſummos, ac in arte principes; nec deſunt, qui, odio habentes pompam & luxum medicinalem, parcoque fulti pharmacorum apparatu, nihilominus opes, &, quæ has longe ſuperat, famam immortalem fuere aſſecuti. Talis fuit cordatus ille, nunquam ſine reverentia a Medicis nominandus, *Thomas Sydenham*. Talis fuit ultra omnes laudes evectus, denatus nuper, ſed, utut fatis ceſſerit, immortalis nihilominus & ſuperſtes inter Medicos futurus, *Hermannus Boerhaavius*. Hic certe, ſi ullus alius, hoſtis infenſus ſuperfluorum in arte & inutilium, ſumma diligentia

gentia, ſolis ſervatis lectiſſimis, illa expunxit, purioremque rem pharmaceuticam reddere feliciſſimus allaboravit. Monſtrat viri acutum & ſubactum in medendo judicium illa materia medica in nuce, curta licet, ſed exquiſitiſſima, & uſu ampliſſima, quam oratione, *qua repurgatæ medicinæ facilis ſimplicitas aſſeritur*, plenus confidentia omnium cordatorum oculis exhibuit. In acutis ſufficere ſcribit *aquam*, *acetum*, *vinum*, *hordeum*, *nitrum*, *mel*, *rheum*, *opium*, *ignem* & *cultrum phlebotomum*. In chronicis *medicatos fontes*, *ſalium poteſtatem*, *artificioſam ſudoris expulſionem*, *ſaponem*, *argentum vivum*, *chalybem*, & *paucorum vegetantium vim*, *bonamque cum his exercitationem corporis*, omne punctum ferre contendit. Quo ergo tot medicamina ex foſſilibus, plantis, animalibus, vel arte parata, vel natura? audax clamitat. Ipſe reſpondet appoſitiſſime: *Vt artium dignisſima emunctæ naris viris evadat jocularia. Facile enim videt, cui ſenſus abundat communis, quis tam inconditæ abundantiæ uſus ſit? Nempe, ne incerto rerum Medico deſit, quo inanitatem tegat ignorantiæ, ut præſto ſit tentatis falſo plurimis, cujus nondum exploratæ ægro vanitate deceptum lactet animum.* (a)

Si minus arrideat helluonibus, in pharmacorum apparatu, inque ingluvie & multitudine medicamentorum, ægrorum ſalutem ponentibus, arctum hoc compendium materiæ medicæ Boerhaavianum: en proſcribatur tantiſper ex praxi *aquæ*, *acidorum*, *vini*, *ptiſanæ*, *nitri*, *mellis*, *ſyruporumque ſub-acidorum*, *rhei*, *opii*, *ignis*, *VStis* uſus. Abſint ex pharmacorum congerie *fontes medicati*, *ſalia ſudorifera potentiora*, *ſapones*, *mercurius*, *ferrum*, *vegetantia quædam*, *ut amara nonnulla*, *cortexque peruvianus*, abſit *corporis motus*. Qualia tum ſupererunt ægris præſidia? qualia Medicis inſtrumenta ad amoliendas ægritudines? Sane, niſi tum ad Hippocratis ſtylum naturæ morbis medeantur, actum erit de vita & ſanitate hominum, dum ars omni ſua potentia exuitur; Medicique ad propellendos hoſtes generis humani evocati prodibunt in prœlium milites pedibus claudi, brachiis paralytici, ſine haſtis, ſine gladiis,

 ſine

(a) p. 25, 26.

ſine ſclopetis, ſine pulvere pyrio. Experiatur unusquisque adverſariorum ipſe, qui ſecus ſentit; namque viros expertos, artemque medendi probe callentes, ultro largituros ſpero, in enumeratis paucis remediis omnem ad ægrorum lectulos rerum cardinem verti. Si vero his ſolis maxime, omniumque certiſſime fidendum eſt in praxi, cur alia infinita tolerantur? aut ſi, præter ſumma illa remedia, inter cuncta, quotquot in rerum natura proſtant, aliqua adhuc minus reliquis otioſa, ut placeamus ægris, ut tædiis ipſorum faciles leneſque ſuccurramus, ſervanda ſunt; cur tam immenſam, cur tam portentoſam molem cuſtodimus? cur opus eſt, ut omne id in hoc univerſo, quod ſcatulis, pyxidibus & vitris ſeſe contineri patitur, habeatur officinale. Centies ego ærumnoſus & dolens adverſa hæc præſtantiſſimæ artis noſtræ fata adſpexi; millies hæc ipſius opprobria deteſtatus ſum; atque inter ſinceras ejusmodi meditationes natus mihi eſt ille tractatus, quem coram nunc adſpicitis, *lectores philiatri!* Ego minus vero mihi culpandus videor, quod inutile quoddam remediorum genus, magnum ſibi in officinis, quo reſervetur, ſpatium gratis vindicans, juſtiſſima cenſura proſequi aggreſſus ſim, quum tot præclaros viros, quorum tamen omnium eruditis laboribus tenue hoc ſcripturæ genus comparare haud audeo, publice de immani inconditorum pharmacorum grege toties queſtos omnes norint. Multa forte veſtrum aliquibus in eodem paradoxa ſatis, & aliena & communi Medentum ſententia habebuntur primo intuitu; precor vero enixe, oro vos atque obteſtor, ut, quia uſui diu recepto aperte contradicere ſæpius auſus ſum, me differentem æquo animo feratis, ac ea, quæ non ſine rationibus mihi protuliſſe videor, conſiderationi accuratiori, poſitis deteſtabilibus præjudiciorum dehoneſtamentis, ſubjicere dignemini. Nolite eapropter me habere injurium in virorum quorundam merita, quod a placitis ipſorum recedendi neceſſitatem mihi impoſitam ſenſerim; neque perperam objicite, me nulla clarorum Medicorum veneratione duci. Sciatis quippe velim, ſumma me artis duci reverentia, eoque zelo ejus integritatem, ejus præſtantiam colere, ut per omnem vitam ægre facere fabulis trivialibus, traditionibus & cerebrinis opinionibus eam

ad

ad hunc diem miſere deturpantibus, vix intermittam. Non peccavi, opinor, in veſtram patientiam, quando paſſim diffuſa paulisper oratione clariores vel morborum, vel virtutum remediis ad certas operationes præſtandas neceſſariarum ideas, tradere allaboravi; ſine quibus præmiſſis & ſtabilitis inertiam medicaminum terreſtrium demonſtrare difficile mihi viſum fuerat. Neque aliena me admiſcuiſſe cenſeatis, quando, dum integro libro de medicaminibus otioſis egi, ne quis id vitio mihi verteret, ne me otioſam operam impendiſſe culparet, cavi. De appoſitis igitur etiam & veris uſuque egregiis nonnulla hinc inde protuli, ad quæ derelicta eheu! ſæpius refugere coactos fore tunc credidi Medentes, ubi de trivialium ſuarum quisquiliarum miſeria fuerint convicti. Unum adhuc a vobis contendo, Lectores amantiſſimi, ut ſoli veritati litantem, gnaviter & intrepido animo ſcapham ſcapham nominantem, modeſte, quod eruditis omnibus licet, aliis contradicentem, durius etiam quandoque vitia modernæ praxeos reprehendentem, non proinde culpabilis philavtiæ, non ſciolæ carpendi libidinis, non tumeſcentis ſuperbiæ reum accuſetis. Aliter vos omnes, ſi talis forſan in animis veſtris ſuſpicio naſceretur, ſenſuros de auctore hujus libri confido, ſi ipſe vobis, quibus ignotus ſum, ſinceram mei imaginem pinxero. Fingatis igitur me vobis velim adeo ſubtilioris anatomes notitia deſtitutum, adeo in phyſices ſtudio hoſpitem, adeo in elegantiſſimis Matheſeos diſciplinis rudem, adeo a Chemicis ſcientiis alienum, adeo leviter in veterum lectione verſatum, &, quod maximum, adeo ob infirmam plerumque valetudinem (quam frigido pluvioſo, nebuloſoque ſub Jove curſitans, ut mihi meisque utcunque conſulam, negligere eheu! ſæpe & parvi facere aliis ſerviendo cogor) obtuſi, dejectique plerumque animi, ut per omnem vitam, ſi eam extendere parumper voluerit, vilemque illam mei particulam delicatulæ ſtructuræ corpus ſuperſtes eſſe juſſerit Conditor DEVS, vix tueri poſſe boni Medici elogium dubitem. Jam autem, an in hominem iis defectubus laborantem cadat tumida ſui ipſius exiſtimatio? anne miſerum illum affectum, ſi ſurgeret, etiam ſtatim abſorpturi eſſent patentes ubique in ſtudiis hiatus, ipſimet judicate.

Parci-

Parcite ſaltem, ſi horas veſpertinas, quas vacuas, ſuperatis tædioſis interdum diurnis negotiis, feſſus domum rediens medicinalibus meis deliciis deguſtandis deſtino, quas ſtudiorum lacunis explendis impendere potius debuiſſem, in elucubrando libro, minus vobis placituro, minus polito, cujus defectus ipſe paſſim, dum imprimitur, perſpicio, abſumſi. Accipite interim illum tenuis ingenii immaturum foetum, furtim conceptum, nec continua & diuturna ſatis incubatione, ſed præcipiti & tumultuaria excluſum. Quam vellem, ut ea omnia, quæ non perſpicue ſatis propoſui, quæ non rigoroſe ſatis demonſtravi, quæ perperam forte ſuppoſui, melius ſeſe haberent, ut meliora me edocerent viri excelſo in medicis intellectu pollentes. Utinam tales excitet leviſſimum hoc ſcriptum, ut artem, quam profitentur, graviſſimam ab omnibus quisquiliis liberare, atque quam depuratiſſimam reddere allaborent. Nil unquam vita & ſanite humana præſtantius, ne leviſſimum in eandem vel omiſſionis, vel commiſſionis peccatum excuſare decet Sed ſatis operi præfatus ſum, unum adhuc addo, ſi totum nonnullis veſtrum id placuerit pervolvere Lectores! ſphalmatum paſſim ſenſum turbantium culpam mihi a Typographo longius remoto haud tribuatis. Cœterum & valetudini & fortunæ meæ bene precemini oro. Valete!

Dabam Uratislaviæ die XII. Febr. Anno MDCCXXXIX.

De

De Frequenti fatuorum remediorum in Praxi quotidiana uſu, ejusque Cauſis potioribus, Diſſertatio.

§. I.

OLim equidem chirurgicam operationem ediſſerui, noſtris Medicis notam ſatis, at iisdem obloquentis vulgi præjudiciis ſæpe obſequia debentibus neglectam. Jam remedia accuratius luſtrare aggredior, quorum familiarem uſum praxis quotidiana loquitur, & in quibus porrigendis faciles Medici facilem aſſequuntur ægrorum ſuorum aſſenſum. Dolui ingenuus olim, raro nimis ſecari indicatiſſimam in ambiguis capitis affectubus colli venam: Dolebo cordatus toto, quod meditor, opuſculo, crebro nimis nulli ſubinde indicationi reſpondentia porrigi medicamenta terreſtria. Quid vero? Nonne laudes, quibus hunc medicamentorum apparatum tot celebrium virorum condecoravit auctoritas, propoſito adverſantur? Nonne in celebratis adeo viribus æquitas jubet acquieſcere? Simulare neſcius vera loquar: Cautum me in his eſſe juſſit ſedulo obſervata, ſibique ipſi ſubinde contradicens fingendi pro lubitu licentia; nimis hanc omni medicinæ nocuiſſe ſcio, nimis in me eſſem injurius, cœca ſi credulitate peccarem. Audiveram ſæpe, vanos eſſe toties, in celebrandis remediis, autores; ſubierant memoriam lectæ de fallacibus his elogiis virorum arti ſuæ bene cupientium querelæ; neque tamen credidiſſem, tot nugas immanes in libris deprehendi, ni ipſe potiores materiæ medicinalis, rerumque pharmaceuticarum ſcriptores ſecundum ætatis ſeriem pervolviſſem. Eheu! quoties hiſce laboribus occupatus, fœdari artem, omnium nobiliſſimam, ſpurciſſimis fabulis & decumanis mendaciis, ingemui! quoties, viſa anilium traditionum farragine, ex uno volumine in alterum defluente, cogitavi, multo faciliori opera conſcribendam fore mythologiam remediorum, ac mythologiam Deorum Gentilium conſcripſit *Natalis Comes*. Ita avitas ſuperſtitiones fideliter Nepotes hauſerunt; ita Majorum ignava credulitas veluti jure quodam hæreditario dimanavit ad poſteros. Varia de

Ineptiſſimis ſæpe remediis ob antiquatas traditiones eximiæ in medendo vires tribuuntur.

ſimplicium frigidis, calidis, humidis, ſiccis qualitatibus congesſerat primus materiæ medicæ Scriptor Dioscorides, cujus verba dein multis conſperſit nugis judicio egenus Plinius, veriſimile a vero & falſo non potens diſtinguere, ac multa undecunque corradens. (*a*) Huic miras debemus fabulas, quæ in medicinam irrepentes eam inquinarunt adeo, ut ne hodie quidem repurgata ab omnibus viſatur. Mirandum certe, quando tam multa, a veteribus, nec experientia comprobata, nec ratione ſuffulta, mederi morbis gratis afferuntur, & ſi forte quædam, ut ſpecies veritatis accedat, addantur rationes, proh DEVM immortalem! quam hæ ſunt futiles ſæpe, & ridiculæ? Quis crederet crocum & curcumam icterum curare, quia ictericum colorem gerunt; hirundines & alcen epilepticis ſuccurrere, quia hæc animalia epilepſia laborant, & alce aurem ſcalpendo ſe a malo orturo liberare dicitur; Decoctum lentium varioloſis conferre, quia lentes variolis ſuppurantibus ſimiles obſervantur? Referre pudet, euphraſiam morbos oculorum ſanare debere, quia ipſa oculi configurationem nacta videtur; ſaxifragiam calculos humanos atterere, quia naſcens arenoſa loca amat, ſaxisque accreſcere obſervatur; Pulmonem vulpis phthiſicis & anhelis opitulari, quia vulpes animal pene indefeſſum moriens ſuo pulmoni legaverit remedium ſanandi ſuſpirioſos. (*b*) Juſtum me capit tædium plures hujus furfuris nænias coacervare. Maximus eſt numerus librorum de materie medicinali tractantium, maximam partem talibus narrationibus ſcatentium. Quid obſtat, quo minus candide pronunciem, nullibi portentoſa magis & ſpiſſa mendacia inveniri, quam in illis voluminibus, quæ vires corporum naturalium ad ſanitatem humanam inſtaurandam edocere reputantur? Equidem objiciet aliquis, noſtra ætate puriorem a ſordibus vetuſtis medicinam reſpuere ea, quæ fabulas ſapiunt, ſolidisque principiis deſtituuntur. O nos beatos! o ter beatos, quaterque, ſi hæc ita ſe habeant! Ridemus ſtultam opinionem, crocum ob colorem curare icterum, ita eſt; ſed nihilominus, nondum penitus abjecta hac narratiuncula, crocum in ictero ſpecificum declaramus, & unum vel duo hujus grana, ſpeci-

atim

(*a*) Utor verbis Helmontii in Tractatu pharmacop. & diſp. mod. operum p 282. (*b*) ita Helmont. pleur. fur. Oper. p. 247.

atim infantum recens natorum icterum præter rem curare credimus. Dubitamus, an hirundines & alce unquam morbo epileptico ſimili vere laborent, ac ſi hoc ita accidat, nullum tamen nexum aſſequimur, cur propterea in his animalibus virtus ant-epileptica lateat. Sed toleramus tamen in officinis ad hodiernum diem aquam hirundinum & ægris præſcribimus. Gloriamur arcanam pulverum ant-epilepticorum notitiam, ſancteque illos uſui aſſervamus, quos decantata alcis ungula cum aliis hujus farinæ quisquiliis ingreditur. Nonne eo plurimos dejecit popularium præjudiciorum impetus, ut deeſſe aliquid collyrii formulæ reputent, ſi effœtam & inanem euphraſiæ aquam non recipiat? Nonne inter herbas anti-nephriticas fideliter ſaxifragiam adhuc referimus? An nemo Medentum hodie ægros ſuos tabe pulmonali emaciatos, evanida ſanitatis recuperandæ ſpe accenſos impellit, ut fatuum atque inefficax, ingratumque inſuper gulæ lohoch de pulmone vulpis magna copia degluriant? Sæpius ego ſeduloque meditatus, cur tam varia ad hunc diem familiaria medelarum genera olim uſurpari cœperint, reperi, uſus originem meris ſuperſtitionibus deberi. Facilem propterea operam, ſi id res poſceret, perſpicuæ demonſtrationi locarem, ſpecifica nobis in morbis habita multa, & non ſine quadam *venerationis ſpecie* uſurpari ſolita, niti fabuloſis elogiis nugatoris *Oswaldi Crollii*, in ſuo *de ſignaturis rerum* tractatu mirum quantum ineptientis. Abſit a me, ut inſultem meritis operoſiſſimi cœtera & celeberrimi Jo. SCHROEDERI; ubi autem candide dixero, in pharmacopœia ejus, magno labore confecta, de remediorum viribus legi nugas innumeras, easdemque aniculis quam Medico docto digniores, vera dixero, neque unquam hujus aſſerti me pœnitebit. Neque reticendum eſt, ex ipſo Schrœderi opere, quaſi ex ſcaturigine affluentiſſima in multorum auctorum commentatorumque libros, transfluxiſſe de remediorum viribus nævos, non limatiores redditos, ſed, ut erant olim, ſuperſtitionis & præjudiciorum commentis notatos. Solum referam Salomonem DALE; qui, etſi recentior materiæ medicæ ſcriptor, quaſi inique facturus erat, ſi antiquatas nænias non reciperet, eadem chorda cum ipſo Schrœdero oberrare in deliciis habuit, ipſa illius verba, ſibi forſan fallere neſcia viſa, non immu-

tando, ſed ſervando religioſiſſime. Quis igitur his talibus obſervatis non doleret, res adeo ſerias ludicris commentariolis profanari? Quis non quereretur, cum ſanitate hominum ludi, atque ad arcendos morbos futiliſſimas medelas ſaltem eapropter commendari, quod olim etiam commendari ſueverant? Audax pronuncio, ſi vere in ſimplicibus ea reſideret medicinalis virtus, quæ reſidere ibi ſæpe communi auctorum conſenſu dicitur, nemo ægrotantium poneret vitam, quin ſimul Medicus fati culpam certo gereret; ita enim perennem a remediis merito nobis ſponderemus vitam, atque mortalibus nobis nunquam deforent immortalitatis præſidia.

§. 2.

Compoſitiones plurimæ officinales ſunt abſonæ, talibusque omnia diſpenſatoria referta inveniuntur.

Quid vero jam ſpeciatim de officinalibus pharmacis, compoſitionumque compoſitionibus dicere debeo, invito Apolline conſarcinatis? Vaſtum adeo deviorum campum hic coram adſpicio, ut, ingreſſurus illum, tædii & averſationis plenus pedes meos in plumbeos mutatos ſentiam. Tam ingentem, tam intricatum e longinquo adſpicio labyrinthum, ut ingreſſus ſemel, ſi vel maxime Ariadnæo filo ducar, me elabi inde iterum poſſe dubitem. Manebit vobis hæc gloria Arabes, quod primi, non uſi ratione & experientia, ſed abjectisſimis ſuperſtitionibus ſeducti, non componere & remiſcere medicamenta, ſed confundere ſciveritis. Utinam has artes vobis reſervaſetis ſolis! utinam nemo Medentum obſcura & infelicia hæc ſtudia fuiſſet imitatus! Utinam nulla amplius noſtratium officinarum Arabicis ineptiis exiſteret contaminata! At, proh dolor! & noſtro ſeculo diſpenſatoria (ſit veritatem pleno ore, audacter & omni velo abjecto eloquenti venia) ineptiſſimis formulis & barbaris compoſitionibus referta toleramus, æſtimamus, imprimimus iterum; ac ita profitemur tacite, intereſſe quaſi nobis, ut æque ac nos antea, olim etiam poſteritas remiſſius, & per intervalla ſapiat. Juraret aliquis, hodie diſpenſatoria a diſpendiis potius, quam a diſpenſando nomen ſuum mutuata, quoties confuſum ſimplicium apparatum, de confuſo inventoris cerebello ſincera imagine teſtatum, in unum pharmacum coactum contuetur. Centies hæc ita meditantis memoriam ſubeunt Helmontiana verba: (c) *Diſpenſatoria*

(c) Pharmac. & diſp. moder. Oper. p. 183.

toria volentia componere & nectere plurima totum perdunt. Atque cui bono tandem ſervit hæc entium multiplicatio tantopere a Semi-Medicis æſtimata? qui, debellaturi morbos, eos, integro remediorum exercitu ſimul immiſſo, certius profligandos autumant, quam ut inſulſa & inania utilium operationem perdant, turbent, pervertant vel impediant penitus; ut nihil dicam, interdum omne compoſitum ab intelligentibus flocci faciendum reperiri. Id ſane conceptu eſt impoſſibile, in ea luce, qua hodie Medicina fulget, in tanto doctiſſimorum virorum numero non dari aliquos, qui ad altiora nati, humerosque ſuos amplius ſubmittere huic ugo erecto animo renuentes, ut non ſaltem ſibi, ſed & arti, quam profitentur, bene ſit, generoſo conſilio efficere ſtudeant. Lætus vidi & cum voluptate legi æquiſſimam fatuarum & abſonarum compoſitionum cenſuram, paſſim in illis diſpenſatoriis interſperſam, quæ, curantibus viris eruditis & cordatis, paucis abhinc annis recuſa & aucta prodiere. Sed o quam vellem! ut ea, quæ inibi perpetuum neglectum mereri, ac in gratiam vulgi ſervari ſaltem debere dicuntur, vere fuiſſent neglecta, atque in gratiam artis cultioris expuncta, & ſilentio demerſa. Siccine igitur errorum conſcii cum vulgo errare aut volumus, aut cogimur! Quæ eſt illa legum vis, quæ peccare contra ſanam rationem, quæ veritatem abjicere & ejurare jubeat? Itane indulgebimus plebejis præjudiciis, relinquemusque volentes vulgo hominum apparatum, ut tædia nobis Medentibus, quæ creare nunquam deſinet, eo certius, eo frequentius is creet? Vah! ſeculum ægrum & ulceroſum! quis tandem afferet his malis medelam? videntes meliora & probantes deteriora ſequimur. O nate olim in perpetuum artis ſalutaris decus, o nate ad ſuſcipiendam auſu intrepido reformationem medico pharmacevticam, o ſeculo noſtro deſideratiſſime Ludovici! quanto mœrore animi & fata tua & immortalem Tui memoriam recolo! Reminiſcor, quondam Julii Cæſaris temporibus, Romanorum Republica miſere turbis atque cladibus ſaucia exiſtente, priſtinæque ſuæ libertatis vindicem votis anxiis, ſed *taciturnis* exorante, ſtatuæ Lucii Junii Bruti, qui olim a Regum Tyrannide populum liberaverat, ignotam ſubſcripſiſſe manum: *Utinam viveres*, & in curia ſub ſella M. Bruti inventa fuiſſe clandeſtinis litteris

exarata verba: *Brute dormis?* Atque ego, ſi templo honoris, in quo inter heroes noſtræ artis, inter domitores monſtrorum præjudicatarum opinionum tibi, Ludovici immortalis, dignam meritis ſtatuam poſteritas erexit; ſi, inquam, appropinquare templo illi mihi non eſſet nefas, ſi intrare illud mihi non eſſet piaculum, ſi me repentem humi non procul abeſſe juberet mortalitatis limitibus ereptorum gloria; altiſſima voce acclamarem tuo marmori: *Ludovici dormis?* ſinceraque manu illi ſubſcriberem: *Utinam viveres!* Sed quo me abripit intempeſtivus forte, & a pluribus ſine dubio improbandus zelus! optanda potius, quam ſperanda videntur feliciora pharmaceuticæ rei fata. Difficile & odioſum eſt negotium, lites & invidiam pariturum, civitate donatos errores publice taxare, conſuetudinum diuturnitate fere in leges tranſeunte. Dignioribus igitur encomiis condecorandus laudatus jam a me, nec laudandus unquam ſatis vir ſummus LVDOVICI, quod excuſſo timore omni, virili animo rem aggreſſus ſit non ab omnibus pari ſucceſſu abſolvendam. Id largior libere in eodem ſtadio gnaviter feliciterque decurrenti STAHLIO, non omnia futilia proſcripſiſſe e finibus artis Beatum LVDOVICI, (*d*) ſed reliquiſſe ipſum in officinis multa, quæ ejici inde & relegari promerebantur. Ita omnino ſe res habet, vel appparitura ex ipſo præſenti opuſculo; at Herculeum hoc opus unius hominis vires excedebat, regnantiumque tum temporis in medicina hypotheſium valor efficiebat illud, ut varia uſum ſuum præſtare in arte reputarentur, quæ hodie inſulſa & inania deprehenderemus, ſi veternum excuteremus, velaque opinionum, oculis veritatem nudam præripientia, removeremus ſedulo, vel & removere vellemus. Præſtitit ſe, qui alia ſimul integerrimæ artis medicæ vitia acriter & ſalſe, ſed ex merito in ſua medicina contempta perſtrinxit, imo præſtitit ſe & in his virum Gerh. GORIS, ac perpetuo cordati & ſinceri medici elogium tuebitur. Utinam præſtantiſſimi viri exemplum, famam & auctoritatem aſſecutis medicis adderet animum, eosdemque ad repurgandam a ſordibus medicinam, ad caſtigandam ſevere prodigioſam medelarum & ex parte & ex toto ſæpe nugacisſimarum cohortem exſtimularet.

§. 3

(*d*) vid. diſſ. de morb. infant.

§. 3.

Multam mihi hac occaſione ſubminiſtraret differendi materiam, diſputatum ſæpius, excuſſum nunquam ſatis argumentum, an remedia ſimplicia compoſitis, an compoſita ſimplicibus præferri jure mereantur, an Galenica chemicis præſtent, an chemica Galenicis prærogativam teneantur concedere? Qui veteres nimia veneratione proſequuntur, cœcumque obſequium canæ antiquitati præſtant, felicia prædicant illa tempora, quibus Medici radices ſimplices & herbas ſuis ægris apponebant, ac decocta inde parata magnis crebrisque hauſtubus propinabant. Si gulæ non abblandirentur hæc convivia medicinalia, ſi omnibus ejuscemodi fercula non æque arriderent, oportebat ita ſanari, neque aliam medendi viam cum Dioſcoride ejus ſequaces docuerant. Nec deeſt ſimplicibus medicaminum generibus faventibus ſplendidus prætextus: Naturam, miſerentem ærumnarum humanarum, ita opportuna & ſufficientia elargitam fuiſſe ægris præſidia, ut artis vel ſupplementis, vel adminiculis juvari haud egeat; Neque, quas digitus divinus infudiſſet herbis & lapidibus, vires habere opus, ut humana manu emendentur vel augeantur. Ita quidem religione duce ſimplex curationum apparatus videtur introductus, ita præoccupatus clamat HELMONTIUS, (e) *felix ille, qui crudis ſimplicibus morbos tuto ac prompte tollere novit, eſt enim antiquior methodus in ſacris notata.* Atque ſi hæc omnia expendimus, ſine præjudiciis cogimur omnino agnoſcere, occurrentem ægritudinibus noſtris miſericordiam & gratiam divinam uni cortici, uni herbæ ſæpe eas largitam dotes, ut vel mille aliis invicem collectis & remixtis illas imitari humana induſtria nequeat; certiſſimumque habetur, unum ſimplex, quandoque variis ſimul indicationibus medicis ſupplendis ita ſufficere, ut junctum aliis æquali felicitate illas ne quidem expleat. Accedit ex tali uſu ſimplicium eximium doctrinæ accuratiori de viribus remediorum in corpus humanum emolumentum. Porrigimus enim compoſitum aliquod medicamen, ſi profuerit illud, non ſemper nobis innoteſcit ſatis, cui demum ingredientium præcipua laus debeatur; ſi nocuerit, fluctuabimus interdum, cui vere infauſti ſucceſſus culpa

Lis de prærogativa ſimplicium, & compoſitorum, Chemicorum, & Galenicorum, nullius uſus.

(e) Natura contrariorum neſcia. Oper. p. 168.

pa deferenda. Atque has ob rationes, bene ita judicante ZWELFERO, (*f*) præſtaret ſæpe uno eoque certo ſimplici uni obviam ire morbo, quam receptas trium ulnarum fabricare. Etſi autem convictus ſum, ſæpe ſufficere medentis finibus medelam ſimplicem, haudque ſemper morbi ingenium poſcere, ut duplicato, triplicato, imo vero multiplicato auxilio oppugnetur; Tamen eapropter cum *Plinio* aſſeverare nolo, ſolas fraudes hominum & ingeniorum capturas inveniſſe officinas iſtas, in quibus ſua cuique venalis promittitur vita, compoſitionum & mixturarum inexplicabilium decantatione. Neque etiam adeo in ſuperſtitionem mihi vergit degeneratve religio, ut occultæ blaſphemiæ, quaſi inſufficientiam divinam ſupplere contendentis, diſpenſatoria cum HELMONTIO propterea accuſem, (*g*) quia ſimplicia invicem commiſcent atque componunt. Sunt nimirum compoſitorum remediorum varia, quæ non quaſi fortuito fato, cœcoque caſu coaluere, ſed a viris peritis, arte & judicio pollentibus, e ſelectiſſimo adunata apparatu multum boni, ſuffragante experientia, præſtant, idque interdum ſingulare retinent, ut palato gratiora reddita facilius a delicatulis ægris deglutiantur. Neutri igitur ſive ſimplicium ſive compoſitorum claſſi laureolam decernent ſagaciores, prudenter ex utraque depromturi, quidquid ad curationem citam, tutam & jucundam omnium maxime facere viſum fuerit. Eadem autem ratione, neque pro prærogativa Galenicorum, neque pro gloria chemicorum medicaminum, ii magno conatu militabunt, æquiſſimi judicis, doctiſſimi BOHNII ſequentes ductum, qui de Galenicorum & Chemicorum remediorum præpollentia dubia erudite olim diſputavit. Illud ſatis ex artis hiſtoria innotuit, primos a Theophraſti Paracelſi temporibus chymicorum remediorum fautores fuiſſe homines ſuperſtitione, ignorantia, impudentia, grandiloquentia multum conſpicuos, ac adeo quidem inter fumos degentes, ut vendere hos volenti cuilibet nunquam erubeſcerent. Legat aliquis *baſilicam chymicam Oswaldi Crollii*, & inter mendaces impudentiſſimos hunc hominem eminentiorem locum promereri profitebitur ultro. Interim tamen nihilominus Medicis illis qui chemiam cultiorem caſte & prudenter jungere ſuæ arti

(*f*) in append. ad animadv. p. 38. (*g*) Pharm. ac diſpenſ. mod. Oper. p. 283.

arti ſciunt, atque ejus ope remedia, non nominibus ſaltem ſplendida, ſed ipſa re valida & utilia præparare contendunt, juſtiſſima debentur elogia. Paucis dicam, inter ſimplicia & compoſita, inter Galenica & chemica intelligentes bona invenient & futilia pharmaca. Felix ille, qui nullum horum gratis vel abjecerit, vel uſurpaverit! Verum nondum eheu! eo evectam hodiernam medendi rationem, ut vere utilia frequentius, fatua nunquam, vel raro minimum, vocentur in uſum; ſed e contra, quod mireris, ſæpe præſtantiſſima negligi oſcitanter, nullius pretii remedia civitate donari, & creberrime uſurpari, conquerentur, credo, mecum omnes prudentiores & cordatiores Medici. Res eſt ſtupenda & omnem excedens fidem, ſegniter adeo in veritatem effectuum remediis adſcribi ſolitorum inquiri; ſed fingi eos pro lubitu, cum tamen huic momento præcipue nitatur Medentis gloria, ſalus ægrotantis. Parcite mihi, lectores mei, & permittite obſecro, ut quædam ſpecimina vobis plenius ſiſtam, ut ſuper his fuſius paulisper differam; ſi liberius ſenſero, date veniam, en! plenus fiducia vos cogitatis meis ſuffragaturos, nulli ſerviens auctoritati, ex multis huc facientibus, quæ primo meditanti ſe offerunt, ſeligo.

§. 4.

Norunt bene, qui Practicorum neotericorum etiam libros diligenti volvere ſolent manu, quam ſæpe ab iis ad partus difficultatem ſuperandam, quam mirifice commendetur *fel anguillæ*, aut *hepar anguillæ* cum felle ipſo exſiccatum, parturientique miſeræ doſi largiori, atque, ſi opus, repetita exhibendum. Factum inde eſt, ut hoc remedii genus in tanta ejus encomia promulgantium copia non inclaruerit modo, ſed & (quod ordinarie medicaminibus hyperbolice a Medicis laudatis accidit) ſpecifici honores & privilegia adeptum fuerit. Ita nempe attendens crebrius obſervavi, in deliciis quosdam Medentum habere ſpecifici vocabulum, tum enim, nullam rationem ut ſuppeditent, ſe teneri credunt, quomodo vere in corpus noſtrum agat collaudatum remedium, unum ſufficit, quod agat ſpecifice. Ex quo autem ſedulus perſpexi, ſubinde magnum nihil latitare ſub ſpecifici larva, me id debere ſtudiis meis credidi, ut detracta illa nudum intuerer omne ſpecificum, pleniusque tum

Uſus fatuorum remediorum creber probatur tribus ſpeciminibus 1. exemplo hepatis anguillæ.

introſpicerem, jurene an injuria illud ita ſalutetur. Quoties vero hac incedens methodo famoſum anguillæ hepar fui contuitus, toties ſingulare quid in eodem detegere nequivi, unde, experientia etiam non adeo univerſaliter ſuffragante, dubitare de viribus ejus magnificis in accelerando partu cœpi, ſemper ſimul neſcius, cur commendaretur adeo atque extolleretur. Poſuiſſem in illo qualitatem quandam occultam, quam etſi non nomine talem, re ipſa interea aliqui in ſpecificis ponunt, ſi ſaltem me ipſum ignorantiæ hujus doctæ prætextu decipere aut voluiſſem, aut potuiſſem. Tandem bilis in genere naturam, & principia chemicis documentis apparentia intuens, bilem omnem ſulphureis partibus ſaleque in alcali prono pollere, atque ſaponaceam obtinuiſſe indolem, ſcivi. Neque aliter ſe habere bilem anguillæ convictus credidi, ſaltem hanc ſale acriori conſtare, ac fel multorum animalium, cœteroquin vero ejusdem prorſus exiſtere ingenii, intellexi. Id videlicet certum eſt, animalibus non reſpirantibus, minusque elaſtico ventriculo inſtructis, quo nihilominus facile digerant, acriorem bilem ſupplere illud, quod aliis digeſtionis adminiculis eſt negatum. Inde in omni piſcium genere fel eminentiori multo acrimonia præditum obſervatur, quam in animalibus in terra degentibus; neque negandum, in anguillis bilem acerrimam deprehendi. Ex his vero ita prudenter conſideratis evincitur, ut in felle omni nulla alia virtus eſt quam ſtimulans, & viſcidum glutinoſumque ſolvens, ita etiam nullam aliam in anguillæ felle latitare, ea tamen differentia, quod virtus hæc in bile anguillæ eo ſit eminentior, quo acrior hæc bilis eſt, præ bile aliorum animalium. Atque ita mihi recte de his ſentienti ſuffragatur plenarie ſuo aſſerto cl. WEDELIUS, quando, de partum facilitantibus agens, hæc eloquitur: *Solemus recipere borracis drachmam unam, croci ſcrupul. ſemis, olei cinam. gutt. unam pro duabus doſibus, dando duabus horis poſt alteram, ſi prior non ſuffecerit. Par ratio eſt hepatis anguillæ cum felle exſiccati, nam fella, ut notum eſt, ſtimulant.* (*b*) Quodſi autem certum eſt, ſtimulando partum movere fel anguillæ, tum multum ſtatim ipſius elogiis detrahitur, firmiſſima quippe ſequela inde fluet, limitatas admodum ejus eſſe vires, rarius hoc ſpeci-

(*b*) in amœn. mat. med. lib. I. Sect. III. cap. 10.

ficum propinari poſſe a prudentibus, frequentius imprudenter datum ex ſua indole nocere potius debere, quam prodeſſe. Paradoxa ſine dubio & tot medicorum teſtimoniis adverſa hæc aliquibus videbuntur, ſed videant hi, quomodo me contradicentem refutent, ego intrepidus, quod nunquam diluendis argumentis aſſeverare audeo, defendo ulterius. Adſpiciamus ſaltem breviſſimis requiſita partus felicis præcipua, hujusque ſimul obſtacula potiora luſtremus. Heu quoties felix fœtus excluſio retardatur, quod ſpuriis doloribus excrucietur parturiens; quod infans poſitu minus accommodo ſibi ipſi exitum intercludat; quod uterus ſiniſtrorſum, dextrorſum, antrorſum, retrorſum inclinatus, orificium ſuum non hiare rite, non hiare totum, in vaginam faciat; (de qua ardua re, quod dolendum, altum inter noſtrates obſtetrices ſilentium) quod collum uteri anguſtum & calloſum fere non ſe patiatur dilatari; quod umbilici funiculus propendeat, vel collum infantis arctius ſtringat; &c. Adeſte huc cum veſtro hepate anguillæ! qui illius præcones vos profitemini, an putatis vos ullum horum impedimentorum uſu illius remoturos? Nonne dare hoc gnaris artis obſtetriciæ cogemini, plus valere in partu manum providam, ſagacem, exercitam obſtetricis, quam potiones & pulveres accerſiti Medici? Unum novi, quod ſtimulantium uſum indicat, dolores partus veros in debili matre, aut non ſufficientes, aut intempeſtive ceſſantes. Habebit tunc locum decantatum ſpecificum. Sed DEUM immortalem! quanta cautione hic opus? Si dederis acria pellentia & inter ea fel anguillæ, viis non patulis ſatis & lubricis, uteri orificio nondum rite aperto, aquis nondum ejectis, infante non ingredi nitente ſuo capite, & non egredi nitente ita, ut occiput pubis oſſa reſpiciat; ſi hæc & alia haud accurate ab ignara forte vel indignante acceſſum tuum obſtetrice comperueris, nocebis certo tuis pellentibus, felle anguillæ nunquam aliter, niſi ſtimulante acrimonia agente. Sciunt, qui ſcriptores Embryulciæ perlegerunt ſeduli, quam ſerio illi cavere jubeant a ſtimulantibus, quam multa infeliciſſimi eventus exempla, nos ut dehortentur a fallaci & ambigua medela, reliquerint. Audax aſſerit princeps eorum, Henricus a DEVENTER, credere ſe, ſi, miſſis dolores partus proritantibus omnibus, manus perita multis parturientium attuliſſet

auxilium, multas ſupervivere potuiſſe, abuſu horum medicaminum neci præmaturæ traditas. (*i*) Non igitur obtrectatorem præceptorum medicinalium a peritiſſimis viris traditorum me acturum mihi videor, quando crebrum hepatis anguillæ uſum ſuſpectum habeo, eidemque affingi ſaltem peculiares vires aſſevero. Utique nondum mirari deſii, primum Encomiſten HELMONTIUM indiſcrete ſatis pronunciare: *Mulieres obſervavi in partu difficili aliquot dies periculoſo, oblato poculo mox ad ſummum ante ſemihoræ ſpatium enixas, propinato ſcilicet jecore cum felle anguillæ ſiccato pulveriſatoque in vino ad magnitudinem avellanæ; nunquam in hoc experimento eventus fefellit;*(*k*) Et alibi eo audaciæ procedere, ut intra horæ quadrantem effectum hunc apparere affirmet. (*l*) Recipit *diſpenſatorii Viennenſis pulvis ad partum* hoc hepar anguillæ; Eſt & *in Diſpenſatorio Regio Brandenburgico* deſcriptus *parturientium pulvis* ex caſſia lign. cinam. acut. borrac. Venet. ſuccino albo, croco & oleo cinamom. concinnatus, formulæque autem ipſi adnexa viſuntur verba: *Nota, ſi hujus pulveris ſingulis doſibus addatur hepatis anguillæ ſimul cum felle ſiccati & in pulverem tenuiſſimum redacti drachma dimidia, evadet remedium in partu difficili primiparæ præſertim cœteris paribus expertiſſimum, in hauſtu vini generoſi datum. Idem etiam ſolitario, absque omni additamento, ſed paulo largiori doſi cum vino generoſo propinatus mira quodammodo præſtat.* Altius omnino & glorioſe hæc ſonant, licet nihilominus laudes hæ ſuis limitibus conſtrictæ appareant, ſaltem de nimiis viribus dubitabunt, qui, pulverem laudatum cœteris paribus expertiſſimum eſſe, & quodammodo mira præſtare, legent, cur primiparæ magis inſerviat, quam ſecundum aut tertium puerperæ, non video. Diſtinctius vera eloquitur LUDOVICI: *Si novum dolorem*, inquit, *ſub juſto fœtus poſitu ſuſcitatum volumus, ſit anguillæ hepar cum felle inter ſe calore mediocri ſiccatum, non quidem in genethliaci diſpendium & horoſcopi ipſius præventionem, ſed ut remedium cœteris paribus haud deſes.* Nemo hæc accuratius expendens non obſervabit, virum ſincerum, probe diſtinguentem tempora, mitius pauliſper pharmacum noſtrum commendare, & non ita gratis,

(*i*) Vide ejus neues Hebammen-Licht, cap. 50. (*k*) in tract. jus duum-viratus. (*l*) in tract. aſtror. incl.

gratis,nullaque caſuum differentia ſtabilita,id extollere. Idem fere agit JUNCKERUS, etſi enim ipſi multum favere videtur, quando inquit: *hepar cum felle anguillæ pulchrum & fere incomparabile ſpecificum in partu difficili;* tamen cautionem adjungit: *ſed certi eſſe debemus de recto fœtus ſitu & viarum legitima conformatione.* (*m*) Neſcio vero an ipſe conſentiat, quando alibi inquit: *hepar anguillæ laudatur ad excluſionem ſecundinarum retentarum & fœtus, durante hæmorrhagia abortiva, item molarum:* Longe alia quippe huc præſidia advocanda eſſe, quam acria ſtimulantia, ſatis intelligentes inculcant. Nemo interim auctorum,quos allegavi,quantum capio,aliam anguillæ hepati fellique adſignat agendi virtutem, quam ſtimulantem,& ſi hæc ipſi ſola eſt, impoſſibile evadit, ut tueatur elogium ſpecifici. Revoco in memoriam diviſionem remediorum partum facilitantium a WEDELIO (*n*) ſuppeditatam, in emollientia nempe, confortantia, ſtimulantia ſeu pellentia, quibus ſi junxero, quæ in minima ſpasmorum, ſæpe infeliciſſime ſitum fœtus naturalem invertentium, vi ab HOFFMANNO in partu laudantur, antiſpasmodica & ſedativa,(*o*) ſtatim dilucide apparebit,quo jure hepar anguillæ ſpecifice laudetur. Toties ſine dubio, ſi non pluries, partus impeditur a rigore orificii uterini & anguſtia viæ a viribus maternis elangueſcentibus, a ſtricturis nimiis partium, quoties a doloribus deficientibus protrahitur. Jam ſi fel anguillæ adeo laudandum unice ſtimulans, & nil agens aliud, cur moramur ſegnes, cur non omnibus oleis, unguentis, linimentis, cataplaſmatibus emollientibus & laxantibus, eadem encomia poſtulantibus merito, ea decernimus? Plura dicam, ſi illa, quæ ſtimulant, in partu ſpecifica dicenda, cur non jure eodem piperi, zingiberi, aromatibus ſingulis, & quod non ſtimulat ſaltem, ſed gratiſſimam virtutem cardiacam exerit, cinamomo ſpecifici in partu titulum tribuimus? imo vero, quia etiam boracem non niſi ſtimulantem, peculiarem cuſtodire energiam his in caſibus credimus,cur non ſalia omnia reliqua cujusvis generis,utpote non minus ſtimulantia, ſpecifica parturientium remedia declaramus? Ohe! quantus auxiliorum in difficili partu apparatus! O Lucina! ſis fa-

(*m*) in therap. gen. Tab. X. p. 320. (*n*) in amœnit. mat. med. (*o*) diff. de ignorata uteri ſtructura §. 26.

vens, gratioſa, facilis; ſis adverſa, infenſa, implacabilis, parum referet, en nos armatos viros, tuam propenſionem, ſi renuas, extorturos! At fallacia, & futilia, pene dixerim damnoſa præſidia, ſi manu ſapienti ea haud porrexeris! Quid nos impedit ergo, quo minus hepar anguillæ Helmontio relinquamus, aut inutili cum pulmone vulpis ſimul abjiciamus; vel quo minus ipſi in poſterum omnes derogemus laudes, quas præter meritum hactenus ipſi præjudicata & ſuperſtitioſa ſine dubio opinio detulit. Gaudeo me hanc opportune detexiſſe, o frivolum argumentum! arrigite aures precor, lepidam fabellam proferam, neſcitis cur ſpecificum ſit hepar anguillæ? dicam: *Cum mulier parere debuerit in dolore propter ſerpentis invidiam, DEVS, cujus ſpiritus ſuper aquas latus eas benedictione replevit, anguillam, ſive aquæ ſerpentem viſceribus poteſtatis ſanguificandi voluit pacare illum maledicti rigorem; idem forte atque melius hepar ſerpentis efficeret, ſed in anguillæ experimento nunquam fallit eventus. Hoc pharmacum adhuc in ſtomacho exiſtens aperit os pubis & valvas oſſis ſacri in lumbis, fœtumque ſtatim propellit; ſtomacchus quippe claves uteri gerit.* Hem! quanta hæc fingendi pro lubitu licentia! erubeſco, quod unquam mirum quid deliteſcere in anguillæ felle vel cogitaverim. Sed ſcio vos lectores ardere, ut cognoſcatis piiſſimæ hujus fabellæ inventorem, noſtis eum ſatis, eſt HELMONTIUS pater. (*p*) Sed in codice ſacro dum de hac re nil legitur, quis accuſabit quenquam rogantem candide, unde Helmontio accurata adeo & ſpecialis hujus hiſtoriæ notitia? Dicam, quid ſentiam, vidit eam is ſine dubio per ſomnium, hocque quandam revelationis ſpeciem habuit. Si hoc vobis non ſufficiat, ſi me injurium in Magnum HELMONTIUM clametis, bona verba, quæſo, veneror in multis Helmontium, ſed non habeo infallibilem, non ſequor in omnibus. En! ut non abs re me ita ſuſpicari appareat, en! propria ipſius verba: *Cœpi deinceps contueri, quod meus intellectus plus proficeret per figuras, imagines & viſiones phantaſiæ, quam per rationis diſcurſus. Fatigabar plerumque tota die circa aliquod ſcibile, quod, etſi mihi in baſi & modo eſſet incognitum, attamen per imagines mihi eruendum ſtatuebam. Tandem cum ulterius progredi me ſentirem impeditum,*

quin

(*p*) In Tr. jus Duum-Viratus p. m. 190. ubi ipſiſſima hæc verba leguntur.

quin ſtupefactum fabricavi intus rei nondum perfecte cognitæ aliquam imaginem, adornatam poſſibili adjacentia quidditatis. Sub qua ſemel dein dudum illam in phantaſia adſpiciens, ac velut eandem alloquens tandem ſtudio inſigniter fatigatus obdormivi, ut ejus ſomnialem ſaltem viſionem excitarem, per quam eruerem deſiderabile illud ſcibile. Agnovi valedicendum rationi & imaginationi, ut facultatibus brutalibus, idque propter caſus noſtri ærumnam. (q) O quantum me laudum felli anguillæ adſignatarum capit tædium! quam mire mihi minuitur priſtina exiſtimatio! ſi præcipua ejus vis fabuloſo fundamento nititur, ſi per inſomnia ratiocinantem nactum eſt præconem. Apage! Vigili ſolertia opus, neque phantaſticis ſpeculationibus, nocturnisque viſionibus, ſed plena die adſpiciendæ, & in apricum locandæ remediorum vires. Cauti ſimus in hiſce, ne impingamus, nullo duce alio uſi, niſi Helmontio; dormitat is interdum. Utinam non plura in medicis darentur ſomnia!

§. 5.

Illuſtre me dediſſe ſpecimen autumo, quam noceat inconſiderata magnifica de remediis ſperandi celeritas, quam caſte ſentiendum de veris ipſorum viribus. Liceat autem in eodem argumento adhuc occupari, atque brevibus nunc agere de aquis deſtillatis officinalibus, ſine ordine, ſine ſelectu promiſcue uſurpari plerumque ſolitis, quæ, ſi ullum aliud pharmacorum genus, accuratam ſeverioremque cenſuram promerentur. Hem! quot miræ, quot prolixæ, quot confuſæ aquarum deſtillandarum formulæ habentur, ita ſæpe adornatæ, ut a pueris eas profectas, aut data opera inepte excogitatas reputares. Rectiſſime pronunciavit ZWELFERUS: (r) *in aquarum compoſitarum deſtillandarumque formulis tot quandoque numerabis errores, quot partes totam compoſitionem ingrediuntur.* Id certe mirandum eſt, tales vel in caſtigatioribus diſpenſatoriis adhuc legi, quæ in artis opprobrium de ſupina negligentia inventorum dilucide teſtantur, quicquid obveniebat, quicquid cœca & plus quam plebeja ſimplicitas ſuppeditabat, deſtillantium. Quotusquisque eſt, qui queat capere, ex ovis integris,

2. exempla aquarum ſtillatitiarum officinalium.

(q) In Tr. Venatio ſcientiarum Op. p. 17. (r) Pharmac. Reg. p. 213.

gris, quæ deſtillavit BARTHOLINVS, (s) ex contentis ventriculo cervi aut bovis recens mactati, ſpermateque ranarum, deſtillando elici aquam podagricam topice cum fructu uſurpandam? Quis prudens ex capone eviſcerato expectabit aquam enutrientem, cum juſculum exinde confectum, ut recte judicat diſpenſatorium Brandenb. procul dubio magis foret analepticum? An cor, ſanguis & jecur vituli ſuppeditabunt vere utilem ad membra tabida aquam? An in aqua cordis cervi, tria vel quatuor corda cervina recipiente, reſidet cardiaca, viresque excitans languidas virtus? An in laudatis aquis antihecticis vel minimum hecticorum præſidium? O quam hæ aquæ ſunt ridiculæ & fatuæ! quam inepta, omiſſo præſertim caſtoreo, aqua illa hirundinum, quibus aliqui etiam paſſeres ſubſtitui poſſe largiuntur. Rideamus ſtultam operam ex ſanguine porcino, ranis ſiccatis & pulmone vituli aquam impinguantem evocare laborantium. Infelix ille, qui in aqua caſtitatis pudicitiam quærit, qui veneris ignes has extingui credit! Perdit dimidiam forte partem ſimplicium ſuorum, qui aquam theriacalem parat, cum pleraque theriacæ ingredientia deſtillari renuant. Quid opus pluribus? Rideris mecum, Lectores mei, inſulſum hunc & nugaciſſimum aquarum apparatum, ſed paucas protuli, non enim is deſtitueretur materie, qui tractatum integrum de his elucubrare moliretur. Qui abſonas aquarum formulas magno numero cognoſcere avet, inter alios Schrœderum adeat & Mynſichtum, & mirabitur protinus ingenioſam horum virorum ſimplicitatem. Laudandus vero eapropter cum HOFFMANNO, Schrœderi commentatore, ZWELFERVS, quod Mynſichti & Schrœderi aquas deſtillatas varias in pharmacopœia ſua regia examinaverit accuratius, & taxaverit merito. Neque hic reticendus ſincerus LVDOVICI, gratulandumque arti de rigidiore illius aquarum harum cenſura, qua monſtroſæ & cœco quaſi fato coalitæ compoſitiones indigebant. Ita igitur proſcriptas e pharmacopoliis, ita neglectas a medicis clinicis ignarus modernæ praxeos judicaret, ſed longe aliud rerum harum curioſum ſedula docebit attentio. Obſtupui obſervans in recentiſſimis diſpenſatoriis omnem offendi farraginem, quam ſepultam diu abje-

ctam-

(s) Vid. act. Hafn. Vol. II. p. 192.

ctamque conſenſu unanimi antea credideram. Si quis forte putet, non proinde trahi in uſum ea omnia, quæ in hiſce voluminibus habentur, multa, conſuetudine ita jubente, ſervari ſaltem, ægrisque, miſſis illis, propinari nihilominus ſelecta, & prudentius compoſita; ſi quis ita opinetur, rogo, ut caveat attentus, ne nimis inſontes habeat noſtri ſeculi Medicos, & præceps a juſta forte imputatione eos abſolvat. Unam nominare liceat aquam cordialem Herculis Saxon. frigidam, judicabunt ſpero intelligentes, exquiſitas hic ſubeſſe ineptias, omnes nempe ſucci, acidi maximam partem, qui veſicæ induntur, nihil prorſus virium earum aquæ deſtillandæ ſuppeditare poſſunt, quas ipſi ingeſti ab ægro exſererent omnino. Et quid ſibi volunt ſpecies diatrion ſantalon, quid terra Lemnia, Samia, Sileſiaca, &, ne quid ſtolidi deſit, margaritæ? an hæc omnia largientur aquæ vires, quas non poſſident, aut, ſi poſſiderent, transmittere in aquam non valerent? Quis prudens ibit inficias, hanc cordialem aquam non eſſe ſtultam modo, ſed ſtultiſſimam, de qua jam pronunciavit HOFFMANNUS, non videre ſe quomodo poſſit emendari. Eſt ergo remedium nauci, imo eſt, agnovit hoc ipſum diſpenſatorium Regium Brandenb. ſed eheu addidit verba: *Cum hæc aqua dudum officinalis ſit, conſuetudini etiam præter rationem aliquid dandum eſt.* Novi hanc conſuetudinis tyrannidem, ſed ingemiſco! Habeat vulgus hanc Herculis Saxoniæ aquam ad debellandos morbos Herculeam, quis vero Medicorum ſe coactum videbit, ut fatuam aquam præſcribat? Cui non erit liberum aliam quamcunque ſubſtituere? Eousque per DEI gratiam nondum jugo ſubmiſſa præſcribentis manus; ſed nihilominus auſim dicere, quotidie forte ad pharmacopœos transmitti formulas, quæ inter alias aquas refrigerantes & analepticas aquam cord. Herc. Sax. frigidam recipi jubent. Tantum perverſæ & damnoſæ conſuetudini ſponte indulgemus! Sed quis tandem malus genius impulit artifices, ut adeo ſibi in confuſionibus placerent, & inepta prorſus deſtillationi nihilominus ſubjicerent? Accuſare mihi liceat ſocordiam quandam medicinalem, ſanctamque ſimplicitatem, providæ nihilominus & curioſæ ſcientiæ ſpecie incedere cupientem. Norunt omnes, dum aquas deſtillant, ignis definitum gradum poſcen-

tis virtute attolli in veſica vapores, eosdemque in refrigeratorii tubo cogi iterum in guttas, & ſub aquæ forma in recipiente vaſe colligi. Quotusquisque vero acri ſatis judicio utens perpendit, an in ſubjectis, quæ deſtillationi huic committuntur, adſit aliquid in vapores ſolubile, in hoc ignis gradu ſolubile, in hoc aqueis particulis intimius miſcibile? Id ſane multum in hiſce operationibus chemicis refert, an calor bullientis aquæ (neque enim ultra is extendi nec debet, nec poteſt ſine damno) queat elevare aliquid ex ſubjecto, quod veſicæ intruſimus, & in aquæ deſtillandæ connubium trahere. Si cum plantis, odore & ſapore acri aromaticoque præditis, adeoque oleo volatili turgidis, nobis res eſt, certi erimus, ignem, exhalantia ſua ſponte ex plantis illis olea tenuiſſima, & mirum quantum diviſibilia, attenuare poſſe ulterius, & diviſa in corpuſula, ultra imaginationem noſtram minuta, attollere ſurſum, cum vaporibus aqueis, hisque arctius jungere. Atque hoc ipſum ita accidiſſe, manifeſte docebit lacteus ſæpe aquæ deſtillatæ color, ſaporque & odor, ſpecificum ipſius plantæ odorem & ſaporem exacte referens. Male vero exinde concluditur, omnium plantarum vires aptas eſſe, ut deſtillando in aquam migrent. Sunt vegetabilia varia, quarum ſucci expreſſi mucilaginoſi, ſaponacei, aciduli obtinent virtutem attenuantem, demulcentem, mollientem, refrigerantem eximiam, ſed turpiſſime fallitur, qui harum aquas labore fruſtraneo parat, & ab iis easdem ſibi in medendo virtutes promittit. Quid in arte frequentius, quam potandam dare ægris aquam ſtillatitiam plantaginis, ſempervivi, ſcorzon. cichor. fl. bellid. lactuc. endiv. pœon. acetoſ. acetoſell. alth. malv. At vanam in his locat fiduciam in præſcriptione medens, inanem perdit operam in elaboratione pharmacopœus, multo enim labore adhibito in deſtillando, quid prodit tandem? aqua ſimplex! quæ ex omnibus fontibus minori opera hauriri poterat. Largita nobis eſt natura radices & herbas, quæ in elemento terreo cuſtodiunt vires adſtringentes & ſtipticas, quis vero judicio pollens has in aquis earum deſtillatis quæret? quis non videt, ſuam profiteri imperitiam, qui aquam biſtortæ, tormentillæ &c. propinat. Atque cum vegetabilia præcipue deſtillari velint, iners erit uſuque carens aqua illa typhorum

phorum cervi e ſucculentis adhuc cornubus parata, de qua in diſpenſatorio Argent. legiſſe recordor, quod tanquam alexipharmaca in malignis febribus laudetur. Nemo diffitebitur prudens ex animalibus, & quod mirum, e duriſſimis illorum partibus, teſte Papiniana machina, extrahi arte poſſe materiem mucidam, gelatinoſam, blandiſſimam, nutrire aptiſſimam, multique in medicis uſus, ſi, quod tamen ſæpe non animadvertitur, a perito artifice ægro non ſcatenti ſuccis in alcali pronis ſuadetur. At proinde aquis partium animalium ſtillatitiis analepticas, nutrientes, antiphthiſicas, & antihecticas virtutes ad prodigium adſignare thraſonicam impudentiam, & quæ hujus ordinarie ſocia, ſtupidam ignorantiam arguit. Ea quippe non eſt animalis gelatina, ut ſit evaporabilis in ſubtiliſſimas moleculas dividenda, & in altum evehenda, ſi vero non talis eſt, non poterit petere veſicæ ſuperiora, multo minus tranſcendere alembici roſtrum. Qui margaritas, terras ſigillatas, ligna incongrua ſpeciebus aquarum deſtillandarum addunt, næ illi commiſeratione quam confutatione videntur digniores. Nimis autem forte in hac materia longus ſum, eſt illa animadverſione rigidiore virorum peritorum & gravium egentiſſima, quibus eam relinquo. Optavi ſæpe, ut in officinis noſtratibus exſtarent aquæ ſtillatitiæ cohobatæ, quot bona his præſtaremus Medici, quod eſſentiis ſpirituoſis ſecuri careremus! Scire averem accuratiſſime, an omnes plantæ, odore & ſapore manifeſto deſtitutæ, ſint ad deſtillationem ineptæ, ſin minus, quænam earum facultates operæ facientes pretium largiri aquis ſuis valeant. Utinam intelligentum aliquis hoc de aquis ſtillatitiis argumentum, a multis ſparſim & obiter tactum, excuteret pleniſſime, neque enim ipſi penitus ſatisfactum opinor. Paucis interea multa nos docuit conſummatus Chemicus BOERHAAVE, excitet is Medicos, ut circumſpecte agant, ut adhibentes aquam officinalem præter voluntatem non adhibeant aquæ fontanæ haud ſuperiorem. En juſtiſſimam illius exhortationem: *Levanda pharmacia tot fruſtraneis laboribus præparandi tales aquas; Nonne ridiculus, qui in aqua ſtillatitia hordei inerti vappidaque nutrimentum vel leve quærit? qui in aqua de carne conciſa caponis nauſeoſa alimentum obtinendum putat? Quis pulcherrimas acetoſæ ipſius virtutes in calidis laxis, putri-*

dis, ſcatenti bile oppreſſis ægris quæret in aqua deſtillante de hac herba? Inimitabiles plantaginis vires fruſtra aquæ ejusdem imputas. Proſcribendæ ex arte ſincera aniles hujusmodi & pueriles ineptiæ. Seria ſerio. (*t*)

§. 6.

3. exemplo ſpecifici cephalici. Laudes ejus & vituperia in genere.

Bina conſignavi virium remediis gratis ſæpe tribui ſolitarum ſpecimina, tertium his, rogata venia, addere eſt animus. Amo quippe Lectorem meum convincere, quam juſtus ſim in fundendis de corrupta ſeculi noſtri pharmacia querelis; quamque egregiam in ejus emendatione ponerent operam, viri artis ſuæ decus & certitudinem altius evehere cupientes. Prodeat evocatum ad examen ſeverius famoſum ſpecificum cephalicum Michaëlis, & cum eo ad nauſeam usque toties, & non ſine idololatria medica celebrata cinnabaris, patiaturque, ut, quid præſtare vere poſſit, quid mendaci elogio præſtare falſo dicatur, accuratiſſime inquiram. Certe ſi anguillæ hepar, & aquarum ineptarum copia, haud aliena ab hoc opuſculo videntur, non credo hic aliena erit, ſed apprime toti operi reſpondebit cinnabarinorum remediorum commemoratio; quum nemo neſciat, quam ſæpe ea terreis pulveribus, de quibus omnis tractatus hic conſcriptus eſt, commiſceantur. Ita vero in hominum opiniones dominatus olim eſt auctor citati ſpecifici, ut ab ægris qualibuscunque, certa fauſti ſucceſſus fiducia plenis, largis doſibus Lipſiæ primo, & dein, fama novi remedii latius evagante, celeberrimis in locis id deglutiretur. Neque hodie illud officinis crebro petentibus diſpenſandum ſaltem relinquunt providæ, & in craſtinum ſapientes Matresfamilias; ſed domi rubicundum egregie & auri quisquiliis condecoratum pulviſculum ſervant, ne ſubitaneo morbo, liberos vel domeſticos invadente, heroico hoc, ut putant, medicamine, in prima herba jugulante ægritudines, deſtituantur. Accedit Medicorum magni nominis commendatio & encomium, maximum procul dubio pondus præconceptis antea præjudiciis addens, quando hi, fulti teſtimoniis celebrium virorum, famam adeptum pulverem laudant ipſi & probant, tantum abeſt, ut taxent vel diſſuadeant. Atque vix illis primo intuitu hoc ipſum vitio verti poſſe videtur, audiamus

(*t*) in Chem. Tom. II. p. 69.

mus ſaltem,quam magnifice primus inventor exclamet: *Specifici cephalici uſus in praxi eſt notisſimus in dolore capitis, epilepſia, convulſionibus omnis generis, pasſione hyſterica, doloribus omnis generis.* (u) Quicquid ſit,candidus nihilominus is eſt & verus ſui remedii præco, ad noſtrum quippe ævum uſus in omnibus, quos allegavit, morbis ſpecifici cephalici eſt notiſſimus, id verum eſt, an vero ſimul notiſſimus ſit æquus tantis laudibus effectus, dubitandum omnino, & in hoc noſtra verſatur quæſtio. Interim rerum uſus docet, frequentisſimaque evincit præſcriptio, non mediocres fructus ſibi ab uſu hujus remedii promittere Medicos. Teſtis ſit pharmacopœia Argent. quam nobiles virtutes illi ineſſe Medentum multorum conſenſu reputentur. Hæc ibi, quæ tranſcribo,verba invenio: *Laudatur in omnibus morbis capitis & nervorum, in cephalalgia, epilepſia, convulſionibus, ſpasmis. Vim quoque obtinet cordialem, unde in palpitatione cordis conducit. Prodeſt quoque in febribus continuis, variolis, morbillis, commendatur quoque in colica* (x) Si ea igitur Medicorum animis, de ſpecifici cephalici energia, ſententia ſedet, ecquis mirabitur, quando ejus acceſſu exaltari terreorum & bezoardicorum,cordialium,antiſpaſmodicorum &c.operationem relatum in practicorum libris leget? quando toties deglutitos ab ægris tinctos Michaelis ſpecifico pulveres animadvertet. Sed ego quidem formoſi pulveris colori nimium haud credo, dum alia prorſus elogia lego in materia medica Illuſtr. STAHLII. (y) En! ut contraria juxta ſe poſita magis eluſcant, ipſisſima verba appono: *Ego quidem*, inquit, *ut vera loquar, dicere non poſſum, me per omnem vitam a ſpecifico cephalico ſenſibilem effectum obſervaſſe, de quo gloriari poſſem, quod ſingulare quid involverit, exempli cauſa, quod profuerit in epilepſia, vel aliis hujus generis affectibus. Vidi quidem illud multoties uſurpari, ſed uſurpare aliud eſt, prodeſſe aliud. Imo vero tanto minus animadvertere potui, quid præſtiterit, quia plerumque vocatus fui, poſtquam ſpecificum cephalicum adhibitum fuerat, ſed ſine fructu. Si igitur præſtitiſſet illud, quod præſtare dicitur, non fuiſſet neceſſarium, ut accerſerer.* O me Medicum infelicem, quid ego credam tandem? o experien-

(C) 3 tiam

(u) Oper. p. 739. (x) p. 254. (y) p. 190.

tiam miſeram, mancam & fallacem! itane poſſibile, ut unum remedium alter evehat ad cœlos, alter pedibus conculcet. Utique ita eſt! bono interim ero animo, ſuperans, rationis uſus filo has difficultates lætabor, veneraborque tum hac maxime adjutam, circumſpectam, & caſtam experientiam.

§. 7.

Specificum cephalicum correctum.

En anatomiæ pharmacevticæ ſubjicio ſpecificum cephalicum! dividens hujus corpus in magiſterium epilepticum; magiſterium cordiale; fæculas pœoniæ, & cinnabarim: ex his nempe partibus id fecit coaleſcere Doctor MICHAEL. Non autem poſtulabit neceſſitas, ut ſingulas ſeorſim contempler, ſufficiat provocaſſe ad juſtiſſimam cenſuram Ludovici, a JUNCKENIO in lexicon ſuum translatam. Merito nimirum fœculas pœoniæ effœtas negligimus, & magiſteria omnia ceu inepta & nullius uſus remedia conſideramus. Credidere eapropter Medicorum aliqui, ſpecificum cephalicum, quod ſine dubio penitus proſcribi ex arte ſine ullo ipſius damno potuiſſet, correctionem quandam efflagitare, inde nuda magiſteriorum ingredientia ſimpliciter præparata & pulveriſata cum pœonia & cinnabari ſurrogarunt, atque ita correctum ſpecificum officinis intulerunt. Tale habetur in laudato modo lexico Junckenii, in pharmacopœia Auguſtana, Argentoratenſi, & in ipſo Brandenburgico diſpenſatorio; neque formulæ multum inter ſe differunt, ſaltem Argentoratenſes Medici in gemmis fuere liberaliores, addidere quippe granatum, ſaphirum, ſmaragdum, hyacinthum; cum Auguſtanis & Brandenburgenſibus margaritæ & ſmaragdus ſuffecerint, quem tamen Auguſtani largiori copia admiſcuere, cœtera vero coincidunt. Ita certiores effectus a correctiori hoc remedio ſperandos eſſe, perſuadere legentibus vult citata pharmacopœia Auguſtana recentiſſima, ante biennium ſaltem, & quod excurrit, edita, ſequentia quippe ibi extant: *Magnam famam ob egregias virtutes cephalicas cum paſſim meruerit ſpecificum cephalicum Michaelis, noſtra etiam in civitate in uſum duci cœpit. Quia vero magiſteria gemmarum jam dudum apud nos uſurpari deſierunt, earumque locum efficacius pulveres eorum ſubtiliſſime lævigati occupent, compoſitionem hanc, omisſis etiam reliquis pretioſis lapidibus, aucto contra ſmaragdi pondere & paucis*

cis mutatis aliis, aliquot abhinc annis libuit, quam etiam felici cum ſucceſſu hactenus non infrequenter adhibuimus. Novo ergo examine opus ad inquirendas vires ſpecifici cephalici correcti. Sed quum hujus compoſitionem ingredientia omnia ſint terrea ac abſorbentia remedia, quibus admiſcetur cinnabaris, de illis vero toto reliquo opuſculo mihi demonſtrandum ſit, decantatas vires ipſis penitus deeſſe; ac præterea cinnabaris longe maxima copia reliquorum intuitu ad præparationem remedii hujus recipiatur, ſola mihi virtus medica cinnabaris jam conſideranda veniet.

§. 8.

Encomia ſumma cinnabari tributa.

Id debetur teſte STAHLIO (*z*) ſpecifico huic Michaelis, quod cinnabaris tantam famam inter Medentes & ægros adepta ſit, nec deſunt, qui huic principem operationem ab uſu ſpecifici cephalici expectandam deferunt. Notum eſt ſatis, quam mirabiles & portentoſas vires cinnabari tribuerit celeberimi nominis Medicus CRATO, quam magnifice de eo ſenſerit HARTMANNVS; hique cum ipſo Michaele præcipue effecerunt, ut tot Medici ad noſtrum usque ævum cinnabarin panegyricis condecorandam merito crediderint. Non erit, opinor, meis lectoribus injucundum, ſi hujus rei exempla quædam ex probatiſſimis autoribus adducam, ut appareat coram, divinas pene dotes in hac medicina poni. *Cinnabaris*, ait LVDOVICI, *præſtantiſſimum & ſecuriſſimum mercuriale, non ſolum diaphoretica notabiliter exaltat, nec epilepticis tantum, etiam recens natis, ſi unquam quicquam inter ejuscemodi ſpecifica benefacit, verum etiam hiſtericarum (ne opiatis quidem placandarum) colicorumque tormina, vertigines, vagas arthritides, dentium aliarumque partium nervoſarum dolores, cutaneosque affectus complures evidenter lenit, atque tollit, in phantaſiæ inſuper vitiis, morbillis, petechiis &c. plurimum confert.* Ecce! quid glorioſius unquam de ullo remedio poſſet prædicari? Quid obſtat ergo, quo minus uno nomine ſincero cinnabaris appelletur medicina univerſalis? Sed ita eam jam diu nuncupaverat SCHROEDERVS, (*a*) neque enim veretur dicere: *Cinnabaris eſt medicina univerſalis, in quolibet morbo exhiberi idonea, balſamum internum ad expellendum*

(*z*) mat. med. germ. p. 190. (*a*) lib. III. c. 16.

dum intro hoſpitantem hoſtem vel per vomitum, vel per alvum, vel per ſudorem mirifice adjuvans; doſi (quod notandum) *grani unius vel duorum.* Adſtipulatur huic aſſerto Schrœderi commentator HOFFMANNVS: (*b*) *Cinnabarim in morbis deſperatiſſimis etiam cum multorum ſymptomatum congerie ſtipatis æſtimandam eſſe*, pronuncians. Nolo legentibus evadere tædioſus tranſcripta hujuscemodi elogiorum copia, quum ubique facili opera inveniantur. Adjiciunt ultro calculum ſuum decantatæ cinnabari BAGLIVUS (*c*) LANGIVS (*d*) ETTMVLLERVS (*e*) WEDELIVS (*f*) STAHLIVS (*g*) MORTONVS (*b*) JVNCKERVS &c. & quid intereſt plures allegare? Lepidum eſt, quando doctiſſimus cæteroquin PITCARNIVS cinnabarim ad epilepſiam eapropter laudat, quia ex ipſius ſententia mercurius in cerebro emanationem ſpirituum prohibeat, comprimendo nervos arteriis interjectos; (*i*) Imo vero, quod valde miror, eousque cinnabari LANGIVS & JVNCKERVS favent, ut, in componendis ſpasmis & convulſivis motibus eam opio pene palmam reddere dubiam, aut ſaltem opii vires ſæpe ſupplere poſſe, aperte aſſerere haud dubitent. (*k*) Hæc omnia ergo ſerio contuitus non præter rem vereor, ne impudentis & in contradictionibus ſibi placentis hominis notam incurram, ſi ambigere ſaltem de egregiis effectibus cinnabaris in corpus humanum audeam.

§. 9.

Vis Cinnabaris medica, ſi adesſet, ſoli deberetur mercurio.

Sit vero ingenuæ & ſinceræ confeſſioni venia, me non ambigere tantum, ſed convictum exiſtere, eximium hoc viſum medicamen in corpus humanum prorſus nullius eſſe operationis. At me miſerum! video mihi iraſci viros graves, quos veneror, quos irritare nefas duco; audio, me a ſeverioribus anathemate percuti, peccati in omnem Medicorum ordinem reum appellari, hæreticum haberi. An vero hæreſis hæc crimen? Parcant obſecro

(*b*) In clave p. 291. (*c*) In morbis epilepticis & convulſivis tria ſunt cœteris præſtantiora, cinnabaris nativa, viſcus quernus & ungula alcis, dicit Baglivus p. 114. Næ! egregium trifolium antepilepticum. (*d*) in lect. de mat. med. p. 350. (*e*) in colleg pharm. p. 777. (*f*) in amoen. mat med & alibi multis locis. (*g*) licet fluctuans hinc inde, tamen uſum concedens. (*b*) cinnabaris, inquit, affectiones ſpasmodicas & epilepticas ſanat. T. 1. in proleg. p. 14. (*i*) in opuſculis med. p. 172. (*k*) Junck. in conſp. p. 190. 344.

ſecero, parcant veritati, victas dabo manus, ſi temere me ita ſenſiſſe quis probaverit: Sit ſaltem argumentis meis locus. Ferrea noſtra dum capimus Medici, aureo nihilominus vivimus ſeculo; Sole dicatur impraegnatus pulvis, auro praedicetur gravida tinctura, ſi placere aegris cupias, ſi ſpem ipſorum inflare, ſi lucrum auferre geſtias. Non vero novum eſt infelix hoc in arte, licet aureum, dogma; eaque propter ſine dubio, quod auri mineras comitari ſoleat cinnabris, ſulphur ſolare in eo ſuppoſuit Crato, certumque eſt vel ex hoc fundamento ſolo eximiae in medendo energiae eam a nonnullis fuiſſe habitam. *Cinnabaris*, dicit ETTMVLLERVS, (l) *nativa Hungarica multum de ſole habet, optime antimoniali ſubſtituitur & merito dicitur a Cratone magnes epilepſiae;* idem profitetur WEDELIVS, quando inquit: *cinnabaris antimonii, &, quam huic ipſi praeferri fas eſt, nativa Hungarica imprimis ſolaris, tum ſibi relicta, tum ſublimatione depurata gaudet vi cephalica, nervina, abſorbente, humores acidos & auſteros & in coagulum abeuntes liquante & fundente excellentiſſima.* (m) Nimis autem opinor hodie chemia exculta eſt, ut creduli aurum in cinnabari quaeramus, nimisque nota ubique ſunt, ex quibus illa conflatur, principia, ut hanc de auro narratiunculam non minus inter fabulas referre valeamus, quam mendacem relationem PLINII, qui cinnabarin ſanguinem draconis eſſe dixerat poſt conflictum cum elephante terra reſorptum, & ita in cinnabarin mutatum. (n) Docent Chemici optimi, & nativam & artificialem, eandemque vulgarem pariter ac antimonialem, (quae, ut egregie monſtrat CARLIVS, nullam prorſus praerogativam ratione ſulphuris ſui, inepte pro ſolari habiti, prae nativa & artificiali vulgari gaudet. (o) naſci intima miſcela, arctiſſimoque nexu ſulphuris & mercurii. Si ergo in cinnabari vere medica virtus, pendebit ſine dubio vel a ſulphure, vel a mercurio, vel ab utriſque. Etſi autem ſulphuri in genere vires medicinales haud derogatas volo, ex eo tamen cinnabaris ſulphuri nil tribuere poſſum, quod parciſſima ejus ſit quantitas intuitu

(l) Oper. Tom. II. p. 816. (m) in Pharmac. p. 139. (n) Hiſt. nat. lib. 33. c. 7. (o) Miſc. Nat. Cur. Cent. I. & II. obſ. 187. qua convenientia triplicis cinnabaris fuſe docetur. Confer & Hoffmannum obſ. chym. p. 273.

uniti ſibi mercurii. Atque hoc ipſum revificatio mercurii ex cinnabari, quæ ope limaturæ martis ſuccedit, dum ferrum in igne ſulphuri ut ſuo menſtruo avidiſſime jungitur, *(p)* liquido eloquitur. Satisque egregie nos docet JVNCKERVS in cinnabaris præparatione primo fieri atrum pulverem æthiopem mercurii, ob ſuperfluum ſulphur, hocque magnam partem ſublimatione abacto nigredinem etiam abigi, & tandem oriri rubedinem, & ita æthiopem in cinnabarim abire. *(q)* Imo vero, ut res hæc accuratiſſime determinetur, aſſerere licebit, proportionem ſulphuris & mercurii, præſentium in nata jam cinnabari, ſe habere ut unum ad ſeptem, vel octo, ita hoc obſervantibus HOFFMANNO, *(r)* STAHLIO, *(s)* & JVNCKERO. *(t)* Nemo igitur non videt, in exiguis cinnabaris doſibus una vice deglutiri ſolitis, ſi eas aliquid præſtare in ægrorum corporibus tantiſper ſupponamus, effectum alicujus momenti ſoli mercurio deberi, neque mereri pauxillum illud ſulphuris, ut ipſi ſpeciatim vires aliquas adſignemus.

§. 10.

Mercurius quomodo agat in corpus. Hæc ergo præcipua jam nobis erit quæſtio, unde & quomodo in corpus humanum vivum agat mercurius? quis immediatus & præcipuus ejus effectus? Nulla autem hic prolixitate opus, ſolide nimirum quæſitis hiſce ſatisfecit doctiſſimus Alexander THOMSON, *(u)* qui eximia doctrina evicit, mercurium ultima diviſione ſemper manentem ſphæricum, in quo ſubtiliores ſphæras fuerit comminutus, eo operari fortius; immediatamque illius operationem eſſe, ſolvere ſanguinem & fluidiorem reddere lympham. Cuivis præterea Medentum perſpectum eſt, ægritudines omnes, quas ſanat mercurius, ipſum ſanare penetrando in ſubtiliſſima vaſcula, humoresque viſcidos & ſpiſſos ſolvendo atque attenuando. Quærenti fuſius, quid proxime mercurium tanti momenti operationibus efficiat habilem? reſpondebo breviſſimis: Mercurialia, ſi agere in vaſa corporis debent, ſint, ut dictum, in minutiſſimas moleculas diviſa, & ſale acido imbuta, aliter, ſi ſolo agant pondere, fruſtra magni momenti expectabimus effectus, iis in morbis maxime, quorum

(p) Bœrhaav chem. I. p. 578. *(q)* in chem. p. 481. 492. 992. *(r)* in not. ad Poter. p. 574. *(s)* mat. met. germ. p. 182. *(t)* in Chem. p. 1041. *(u)* Diſſ. de Mercurio.

rum materies extra ventriculum & inteſtinorum canalem hæret. Neſcio autem menſtruum aliud ad ſolutionem argenti vivi appoſitum, quam acida fortiſſima & præcipue aquam fortem, quæ tamen ſolvens illud acido ſuo, pertinaciſſime unicuique vel minimæ moleculæ ſolutæ adhæret. Interim, in ſtupendæ exiguitatis particulas ſolvi in aqua forti mercurium, ex eo manifeſtiſſimum redditur, quod, facta plenaria illius ſolutione, aqua fortis ſit nihilominus ut antea pellucida, etſi denſum mercurii corpus in ſe continet mirabili prorſus experimento. Id ergo certiſſimum eſſe ex his arbitror, quia metalla omnia, ſolo ferro excepto, in nos parum agunt, niſi mole, mercurium non agere in vaſa noſtra niſi ſubtiliſſime ſolutum, & quia non ſolvitur niſi acidis fortiſſimis, quæ ſolutus imbibit, non agere niſi quatenus ipſi ſimul adhæret acidum. Atque huic ſententiæ favet biga Chemicorum maximi nominis, HOFFMANNUS & BOEHAAVIUS. Audiamus eos de hoc argumento diſſerentes: *Argentum vivum*, ait HOFFMANNVS, (x) *in ſe innocens eſt, & nullius fere operationis capax, & pro additione demum ſalium vim ſuam acquirit. Quomodocunque agant cum mercurio*, inquit BOERHAAVE, (y) *tandem vis ejus medica pendet imprimis a certa copia acidi, quæ metallicæ adhæret parti. Hæc acida vis abundans extrorſum patens, ſi eſt in mercurio, tum agit fortius, ſed minus tuto. Si parcior magisque unita, tum lentius, mitius, ſecurius agit.* Atque certe mercurius præcipitatus ruber acido nitri prægnans corroſivus ſimul eſt, & virulentæ prorſus operationis; Præcipitatus albus, quem, licet ſit inſipidus, tamen ſibi adhæreſcens habere aliquid acidi aſſerit laudatus BOERHAAVE, (z) ſecurior multo, valide tamen etſi blandius agit in noſtrum corpus; frequens uſu mercurius dulcis, cujus actio ſatis certa acrimonia haud deſtitutus, unde & in pulvere datus faucibus aliquando moleſtus, ut de turpetho minerali aliisque mercurialibus taceam.

§. II.

Si vero nunc penitius luſtremus mineralem æthiopem & cinnabarim, an de his poterimus dicere jure, quod ipſorum mercurius polle- *Mercurius in æthiope & cinnabari nul-*

(x) Med. Syſt. Tom. II. p. 263. (y) in chemia. Tom. II. p. 422. (z) In Chem. Tom. II. p. 422.

lius operationis capax.

polleat illis requiſitis, ſine quibus is in corpus animale non agit, id eſt, quod ſit in ſubtiles moleculas ſolutus diviſusque, & quod ipſis adhæreſcat aliquid acidi. Dico ego, æthiopem & cinnabarin nec fovere vel tantillum acrimoniæ acidæ, nec ſolutum ſatis poſſidere mercurium; utrumque paucis evidenter ſum probaturus. Certe, ſi minimam acrimoniam utrique pulveres haberent, non eſſent pulveres penitus inſipidi; aut ſi tectum in iis lateret acidum, non ingererentur in corpus humanum largiſſima copia, ſine ullis illorum effectuum notis, quæ poſt levem uſum mitioris mercurialis remedii, mercurii, præcipitati, albi, aut mercurii dulcis ſtatim ſeſe produnt. Atque hæ notæ deficientes omnino, ſi vel ad drachmas, imo unicam dimidiam, & ultra, ſive æthiops ſive cinnabaris aſſumantur, docent luculenter ſulphuris acidum neque in æthiopis neque in cinnabaris confectione reliquiſſe oleoſam partem, & unitum mercurio fuiſſe, ſaltem ab æthiope inde eminens naſci deberet actio in corpore humano, quia æthiops multo majori copia ſulphuris gaudet, quam quidem cinnabaris, cujus colorem etiam non ab acido ſulphuris, ut aliqui volunt, pendere bene annotavit celeberrimus JVNCKERVS. *(a)* Inſuper quando cinnabarin antimonii cum butyro artifices ex ſtibio & mercurio ſublimato parant, purus & liber ab omni acido, quod butyrum ingreditur, currensque iterum obſervatur mercurius, *(b)* qui dein cum ſulphure antimonii in cinnabarin coit, ut adeo pateat, cinnabarin ab omni acida acrimonia prorſus eſſe vacuam. Reſtat ut evincam, cinnabarin non continere mercurium ita ſolutum, ut actio ab ea expectanda in corpus poſtulat, eritque hoc facillimum conceptu. Nullum ſcimus requiri ad præparationem æthiopis vel cinnabaris menſtruum mercurii, de quo aſſerere liceat, quod mercurium in minutas ſatis particulas diſſolverit; quin potius in æthiope minerali ſulphur & mercurium longe eſſe fixiora quam antea, aperte teſtatur celeb. JVNCKERVS; *(c)* pariterque Illuſtr. HOFFMANNVS, *(d)* qui tamen paſſim cinnabaris interno uſui largiori favet, explicite aſſeverat unctuoſam ſulphuris naturam efficere,

(a) Chem. p 485. *(b)* Boerh. chem. p. 455. Tom. II. *(c)* Chem. Tom. I. p. 992. *(d)* Diſſ. de med. mercurial. §. 15.

cere, ut plane motus globulorum mercurialium ſiſtatur; Imo vero in cinnabari mercurium agilitate ſua nimirum fere eſſe privatum. (*e*) Quid opus pluribus? Mihi ſane, cinnabarin dum chemico oculo intuer, mercurius ejus ita mihi latitare in ſulphure videtur, ut mel latet in cellulis ſuis ceraceis. Quis autem, his ſincere & prudenter mente ponderatis, ullius in corpore humano operationis capacem cinnabarin habebit? poſtquam, niſi omnia me fallunt, clariſſime commonſtravi, deſtitui eam penitus illis agendi principiis, quæ ad actionem mercurialium remediorum abſolute requiruntur, & ſine quibus nulla eorum actio in vaſa noſtra poſſibilis.

§. 12.

Illud credo innotuiſſe ex hactenus diſputatis, ſi agat cinnabaris in noſtri corporis vaſa humoresque, quos vehunt, aget ſine dubio ut mercuriale; ergo fuſione & diſſolutione humorum, ac, niſi hac ratione producet effectus laudabiles, aliter producet nullos. Ridiculum prorſus eſt, cum Wedelio analepticam & cordialem, univerſalem antiſpaſticam acidum abſorbentem & anodinam potentiam in ea gratis ponere, quæ omnes nec ratione nec experientia judicibus probantur. (*f*) Taceo dotes plures miraculoſas dictu, ſed re futiles; aut enim aliquis infallibili experientia has commonſtrare evincat, aut probet certo, poſſibile eſſe, ut cinnabaris intret vaſa lactea, & miſceatur humoribus, ſine quo plurimæ vires, quas exerere dicitur, concipi nulla ratione queunt. Sed utrumque probatu habeo valde difficile, cum humoribus noſtris ſalivalibus & ventriculi menſtruo inſolubilem exiſtere cinnabarin, eaque propter non niſi ſuo pondere agere in ventriculum & inteſtina invictis ratiociniis poſſit adſtrui. Patienter obſecro, lectores mei, meas meditationes feratis, en proponam experimentum infallibile, quod ſolum ſuffecturum vobis credo, ut convincamini, fruſtra actionem cinnabaris aliquam in corpus animale ſupponi. Docui ſupra non agere mercurium in nos, niſi in minutiſſimos globulos acerrimo menſtruo ſolutum. Solvitur vero mercurius exquiſitiſ-

Nec effectus, ut a mercurialibus aſſumtis comparent in corpore; quia æthiops & cinnabaris noſtris humoribus ſunt inſolubiles.

 ſime

(*e*) §. 16. (*f*) Recte Hoffmannus dicit §. 16. de med. mercurial. cinnabaris præter rem anodynis, demulcentibus & abſorbentibus annumeratur.

ſime immiſſus aquæ forti, quæ inde auſterum & nauſeabundum valde ſaporem obtinet. Jam ſi cinnabarin aquæ forti immittamus, longe aliud minusque expectatum obvenit ſpectaculum; jacet quippe cinnabaris indiſſolubilis prorſus, neque, ſi vel acerrimis lixiviis coquitur, unquam ſoluta apparet. Quodſi igitur mercuriales globuli in cinnabaris ſulphure adeo emortui jacent, alteque adeo ſepulti, ut non reſuſcitari & exſolvi valeant ipſiſſima aqua forti, aliter mercurium prompte & facile in moleculas ſtupendæ exiguitatis ſolvente, an erit credibile, liquores gaſtricos eos extricare, operationique in corpus, quæ aliter impoſſibibilis, eos aptos reddere, aut dari ullum in corpore humorem, qui id præſtet? ecquis ergo ſerio hæc meditatus vanis promiſſis ſe patietur decipi?

§. 13.

Æthiops & mercurius non cient ſalivationem; nec attinet, qua doli dentur, quaque ratione præparentur;

Equidem mihi haud ignoratur, Medicos celebres interdum inter ea remedia, quæ ſalivationem movent, referre æthiopem & cinnabarin, ut ut tarde & blande admodum eam his moveri contendant; quo ipſo mox apparere videtur, non prorſus utrique remedio aditum in chylifera vaſa eſſe inſuperabilem. Bene autem hic velim annotari, mercurium vivum, liberum, currentem, in minutiſſimos globulos ſolubilem, imparem prorſus eſſe ciendæ ſalivationi, qui igitur mercurius in cinnabari & æthiope fixus, ligatus, extinctus quaſi & emortuus eum effectum edere valeat non capio. Infudit mercurium crudum in venam vivi canis GARMANNUS, (g) neque tamen ullam in ſanguine mutationem potuit deprehendere; De milite quodam recenſet Jo. Peterſon HAIN, quod mercurii viginti uncias exhauſtas diu ſine ullo damno retinuerit in corpore, (h) citatque ſimul Theod. MAYERNE, qui Londini per quatuordecim dies eundem magna copia ſumptum in ventre cujusdam ſine omni incommodo perſtitiſſe, memorat. Provocat quoque ad Amatum Luſitanum, puerum decennem plus libra una ſine damno ebibiſſe, narrantem. Juſte igitur poſt BLANCARDUM (i) & alios mercurium vivum etiam magna copia ſumptum ad ſalivationem ciendam inhabilem declarat Cl. BOHNIUS, (k) cum ad uncias

(g) In ephem. Nat. Cur. Dec. I. An. 1. obſ. 148. (h) Ephem. N. C. Dec. I. An. 6. obſ. 176. (i) Von den Würckungen der Artzneyen p. 180. (k) De offic. Med. Part. I. c. 15.

unciaſ & libras in ileo datus, ſine omni corporis perturbatione & ptyaliſmo per alvum iterum reddatur. Quodſi igitur mercurius vivus non eſt remedium ſialogogum, multo minus de æthiope & cinnabari, in quibus mercurius ita ligatus & compedibus ſulphureis conſtrictus eſt, ut tanquam mercurius ne quidem agere poſſit, aſſeri poterit, quod uſus utriusque ſalivæ fluxum provocet. Comparat ſatis appoſite æthiopem cum gladio, in vagina recondito, Medicus quidam ſenex, citatus in commercio Norico, (*l*) ac rotunde affirmat BOERHAAVE, quod æthiops non cieat ſalivationem, additque rationem, quia ſanguinem intrare haud valet, (*m*) largamque ejus copiam ingeſtam ab animalibus nunquam valere agere vi ſui mercurii, alibi diſerte eloquitur. (*n*) Neſcio eapropter an credere debeam, unquam ſalivæ evacuationem proritatam uſu æthiopis fuiſſe, quem *pharmacopœia* quoque *Bateana* (*o*) inhabilem pronunciat ad hunc finem. De cinnabari conſignavit STAHLIUS, (*p*) quod ſegnius, & HOFFMANNUS, (*q*) quod rarius ſalivationem excitet, unde & hanc ea energia deſtitui ſum perſvaſus. Bene memini, me reducem, ab Academiis novitium Medicinæ Doctorem, a virgine agnata, mucoſo parotidis tumore, diu jam multis fruſtra adhibitis, laborante, in conſilium vocatum. Statim obverſabatur animo notabilis caſus parotidis pertinacis cel. STAHLIO per ſalivationem feliciter curatæ, a JUNCKERO *in chirurgia* relatus, qui ibidem, ſe eadem methodo tumorem parotidis per octo annos illuſtriſſimæ cuidam ægræ moleſtum curaſſe, refert. Nolebam interim ad generoſam hanc medendi methodum recurrere, at cum validiori opus eſſe remedio facile cognoſcerem, eoque tempore altius adhuc de cinnabari ſentirem, ſi largiori doſi diuque uſurparetur, minus forte decenter perpendens, quæ ſtomacho debili noxa inde immineret, per integras quatuor hebdomades ſingulis diebus duos ſcrupulos cinnabaris, in duas doſes diviſos, ægræ meæ exhibui. Neque tamen inde vel ullum obſervavi ſucceſſum, qui fomentis ſaponaceis diu poſtea adhibitis aliisque remediis tandem obtinebatur; neque, quod huc præcipue facit, vel minimum ſalivæ proflu-

(*l*) An. 1734. hebd. 20. (*m*) Chem. Tom. II. p. 431. (*n*) Tom. I. p. 578. (*o*) pag. 2. (*p*) Diſſ. de ſalivatione §. 8. (*q*) In notis ad Poterium p. 574.

profluvium enatum vidi. Illud quidem probe cognitum teneo, chymiatros aliquos arcanam quandam methodum, ad meliores uſus parandi cinnabarin, poſuiſſe in ejus ſublimatione, ſexies vel ſepties repetita. (*r*) Ea nempe via ſubtiliſari magis mercuriales moleculas, dividique ſtatuunt, ut dein facilius irrepere in oſtiola bibularum venularum, humorumque oceano permiſceri queant. Sed multoties licet cinnabarin ſublimes, vel ſubtiliſſima ejus particula manet cinnabaris, & in ſubtiliſſima quavis particula vel ſumma ignis vi non ſeparandum adhæret mercurio ſulphur, illum figens ligansve, adeo, ut quo magis ſublimes cinnabarin, eo magis ejus corpus reddas compactius, abireque facias in maſſam fixiſſimam. (*s*) Cadit ergo iterum & hoc artificium; ſed quid de doſi dicam, in qua præcipue fauſto eventu cinnabaris adhibenda? Fluctuant in ea determinanda, ſi vera fateri licet, & ſæpe ſibi contradicunt viri ſummi, modo largiorem, modo parciorem ſuadentes. Non contemnendum interno uſu eſſe hoc remedium autumat Cl. Stahlius (*t*) ad mitigandas vehementes exacerbationes ſpaſticas, dandum vero vult potius parvis, quam largioribus doſibus, tum quod iſtis etiam ſenſibiliter ſatisfaciat, quam quod his ſubinde ventriculus gravetur, eaque propter granum unum adultis etiam ſufficere contendit. (*u*) E contra vero Cl. Hoffmannus grana duo vel tria, quibus tingi potius, quam exaltari diffuſam pulveris abſorbentis doſin affirmat, nihil omnino efficere, ſed opus eſſe, ut ad ſcrupulum unum pondus cinnabaris uſurpetur, judicat, non negans interim debili ventriculo laborantes hunc largiorem uſum ſine noxa non ferre. (*t*) Ecce ſententias virorum practicotatorum e diametro ſibi contrarias! Relinquam in medio, an ſibi ipſi contradicat Cl. Junckerus, quando parvas doſes ſatis efficaces ad ſpaſmos mitigandos dicit, (*y*) & alibi interim majori doſi exhibitam cinnabarin effectum ſatis notabilem antiſpasmodicum edere affirmat. (*z*) Mihi ſi modeſta judicandi libertas relicta, auderem affeſrere, cinnabarin in minori majorique doſi eſſe remedium inane, ſaltem

(*r*) Hoffmannus diſſert. de med. mercurial. his favet, ſed, dum ſequenti §. 50. mercurii æthiopem cinnabari præfert, ſibi ipſi contradicere videtur. (*s*) Bœrh. chem. Tom. I. p. 577. (*t*) Diſſ. de morb. Infant. p. 35. (*u*) mat. med. p. 191. (*x*) Diſſ. de med. mercurial §. 16. 17. (*y*) in Conſp. Med. p. 1018. (*z*) p. 190.

tem ea differentia, quod in priori ſit innocuum prorſus, in altero vero ſaltem ventriculo noxium ſæpe ſoleat evadere. Nimis forte impudenter hæc pronunciaſſe reputabunt lectorum aliqui, his vero opponam dura non minus apparitura, ſed veriſſima nihilominus Boerhaaviana verba: *Vis cinnabaris fere in corpore humano, ut æthiopis, nunquam inde adeo multum effectus vidi.* (a) Quænam vero eſt vis æthiopis? en! ita depingitur penicillo Boerhaaviano: (a) *Datus æthiops intra corpus non valet, vaſa abſorbentia venoſa vel chilifera vel lymphatica ingredi, ſed recta tantum per fiſtulam inteſtinalem propulſus, ſi fortunato operatur, vermibus forte necatis, ano exit.* (b) Paradoxa hæc videbuntur illis præcipue, qui vel in morbis pertinaciſſimis, ut ſunt glandularum ſcirrhoſi tumores, æthiopem adeo ſæpe a præſtantiſſimis viris, quos inter HARRIS, SCHVLTZIVS & *auctores diſpenſ. Brand.* collaudari norunt; nolo autem huic controverſiæ immorari diutius, ſatis elocutus, quid ſeverum hujus remedii examen me ſentire cogat, ut ut in diſſenſu a virorum præſtantiſſimorum placitis mihi haud placeam. Neque certe melior eſt æthiops mineralis ſolaris, a CRVGERO deſcriptus, licet, ob irradiationem a ſole factam, decies vulgari utilior ab eo ſtatuatur. (c) Qui æthiopem cinnabari adhuc præferunt, facile largientur, hanc nullas laudes mereri, ſi certum eſt, illum nulli operationi in corpore ciendæ parem eſſe.

§. 14.

Illud agnoſcunt ultro fautores cinnabaris ſat multi, eam vix ac ne vix quidem egredi primas vias; eam quippe digeſtioni non parere largitur HOFFMANNUS, in clave Schrœderiana; in œconomiam noſtram non poſſe recipi, fatetur ETTMULLERUS; notatque LUDOVICI & STAHLIUS, (d) cinnabarinos pulveres ano ita ſæpe egredi, ac ori ingeſta fuerant, quod ipſum ego ipſe ſæpisſime in infantibus obſervavi. Crederem ita a remedio, quod eadem forma, eodem colore egeritur, quo ingeſtum antea fuerat, neminem Medentum vel tantillum proſperi effectus ſperare potuiſſe iis in locis corporis, ad quæ

Laudes inanes, & refugia miſera in explicanda operatione.

(a) in Chem. Tom. II. p. 432. (b) l. c. Tom. II. p. 442. (c) M. N. C. Dec. III. Ao. 7. & 8. obſerv. 105. (d) diſſ. de morb. inf. & mat. med.

quæ remedio nullus datur aditus; ſi tantisper modum, quo in nos agunt pharmaca, conſideremus. Vana ſunt certe elogia, quæ cinnabari decernit diſp. Viennenſe, *quod vires ejus ſint polychreſtæ in omnibus morbis, ubi humores coagulari incipiunt, quod ſit ſpecificum ad epilepſiam, vertiginem, convulſiones, lethargum, febres malignas, variolas & morbillos.* Vanum eſt, quando pharmacopœia Argentoratenſis de eadem aſſerit, *quod habeatur pro ſpecifico in affectubus capitis & nervorum, in vertigine, convulſionibus, epilepſia, febribus continuis & malignis, in morbis contagioſis, & iis, ubi ſerum acre coagulationem ſanguinis minatur; quod conducat in morbillis, variolis, nervoſarum partium doloribus, arthritide, paralyſi.* Namque primo ventriculi & inteſtinorum limites non egreditur, &, ſi egrederetur etiam, in ſanguine non ageret, ut mercuriale remedium, in quo ne quidem mercurius currens, GARMANNO authore, mutationem producit, ut adeo turpiter ſe fallat Wedelius, quando cinnabarina laudatiſſima quidem nervina remedia, id tamen habere vitii dicit, ut nimia fuſione ſudores colliquativos accerſant. (*e*) Sapientiſſime BOHNIVS ſcripſit: *Si experientia conſulatur, vix aliquem evidentem effectum in ſpirituum conturbatum ſyſtema redundare a cinnabari, conquerique ſecum, alios ingenuos Medicos, non tam ſuæ quam artis exiſtimationi litantes, ſe in affectibus ejusmodi cinnabarina utplurimum fruſtra propinaſſe, ſicut aſſumpta ſunt, immutata iterum per alvum rejici ſolita.* (*f*) Aliter vero ſentit Illuſtr. STAHLIVS, (*g*) qui, ſecedentes licet per alvum tales pulveres, tamen, velut in tranſitu, nihilo ſecius effectum ſenſibilem bonumque ſatis manifeſto relinquere, aſſeverat. Optarem ſaltem, ut modum, quo hoc fieri ſibi imaginatur, addidiſſet vir excellentiſſimus. Bene novi, quid de eodem ſtatuat doctiſſimus cœtera auctor pharmaceuticæ HOFFMANNVS; at, dum in medicis allegorias & fabulas non amo, eo minus arridere mihi potuit hæc operationis cinnabaris in corpus humanum explicatio. Ita autem ea ſeſe habet: *Licet cinnabaris aſſumpta ventriculi digeſtioni minime pareat, neque in corporis noſtri œconomiam recipi poſſit, tamen aſſumpta, quamdiu hæret in ſtomacho, archeum noſtrum alterando varie mireque afficit.* Eadem verba, quod

(*e*) in amœn. p. 153. (*f*) de offic. Med. part. I. c. 18. (*g*) diſſ. de morb. inf. p. 35.

quod valde miror, dubitans, unde cinnabaris vires adeo polychreſtas poſſideat, in collegium ſuum pharmacevticum ex Hoffmanno totidem verbis tranſcripſit Ettmüllervs. Servet ſibi hanc operationis notitiam, cui ſufficit; doleo ego, unquam viros in arte principes adeo miſere ſenſiſſe, ſtatim quippe eluceſcit, ſuperſtitioſo & in fictionibus ingenioſiſſimo, Helmontio, nugaciſſimam hanc fabellam, ceu ſuo parenti, vere deberi. Quid enim? Nonne is ſpectrum illud monſtroſum archeum omni præeſſe juſſit Medicinæ? nonne ſibi, vitalem ſuum archeum in ſtomacho, tanquam in puncto centraliter hoſpitariis fuit imaginatus. Næ! lepidum vitæ præſidem, qui iracundia fervidus, objecto pulvere formoſo cinnabarino, ſi Diis placet, ita ſe forſan cicurari patitur, ac puerulos noſtros laſcivientes, porrectis pomis rubicundo putamine inſignibus, manſueſcere iterum facimus. Sane meliorem ego verioremque energiæ cinnabarinæ demonſtrationem expecto, antea nimis inſons hoc remedii genus nulli alii in medendo deſtinaturus fini, quam ut tinctos rubedine meos pulveres gratos magis ægrorum oculis reddam. Obſervationes paſſim præſtantes, quæ de ipſius virtute teſtari videbantur valde, ut plurimum ſunt ambiguæ; dubium quippe manet, an fauſtus rerum, ſucceſſus non majori jure aliis medicaminibus cum cinnabari adhibitis, adſcribendus ſit, quam illi ſoli. In morbis rebellibus & chronicis fixatum adeo ſulphuris ſubſtantia mercurium languidioris paulo effectus ſponte profitetur Hoffmannvs. (*b*) In acutis longe alia pharmacorum genera requiri, bene novi, quæ ſi rite ſelecta fuerint, felix cinnabari carebo. Si quod legenti materiam medicam Stahlii, vernaculo ſermone editam, viſum fuit, ingenue eloqui fas eſt, laudes, quas cinnabari tribuit cordatus auctor, adeo ubique limitibus circumſcriptæ ſunt, adeo exceptionibus refertæ, ut, his conſideratis accurate, parum virtutis cinnabari remaneat. Paucis dicam, ita ambigui mihi interdum videntur amici cinnabaris, ac ſi ipſi non ſatis certi de iis ſint, quæ de fructibus rubicundi hujus remedii referunt. Sincere ſcribo. En! pace celeb. Jvnckeri hujus rei producam ſpecimen. *Cinnabaris*, inquit practicus hic celebris, *majori doſi exhibita, & cum*

(*b*) de med. mercurial. §. 17.

aliis convenientibus combinata, effectum edit antiſpaſmodicum ſatis notabilem, hincque opiatorum vices ſæpius ſupplere poteſt, eſtque revera cuivis ſexui & ætati maxime accommodata. (*i*) Quis ibit inficias, ſatis magnifice hic loqui de cinnabari JUNCKERUM? Neſcio vero quomodo cum hoc encomio conciliare debeam ea, quæ immediate de ſpecifico cephalico, cujus tamen præcipuum, a quo maxima virtus derivatur a Medicis, cujus largius ingrediens eſt cinnabaris. Ita videlicet pergit: *Specificum cephalicum Michaelis ſatis quidem decantatum, ſed* (attendamus ſerio) *effectu felici non æque confirmatum eſt, in majori doſi adhibitum* (majori doſi vero exhibitam cinnabarin antiſpasmodicum effectum edere modo dixerat) *ventriculo moleſtias inducit.* Certe, ſi quid ego video, hoc de ſpecifico cephalico judicium omnem vim antiſpaſticam cinnabaris deſtruit. Optarem valde, ut ii, qui, STAHLII principiis imbuti, ad ductum aſſeclarum ejus, toties uſurpant in motibus exacerbatis terreos ſuos & cinnabarinos pulveres, ſatis conſiderarent, quid vere de antiſpasmodica virtute cinnabaris ſentiat ipſe STAHLIUS, licet interdum eidem paulisper indulgens. *Ad motus*, inquit, *ſpecifice moderandos famoſa eſt cinnabaris. Nos quidem abſit ut omne odium clamori triviorum contradicendi in nos ſuſcipiamus, illud tamen diſſimulare non poſſumus, quod utique tantam illi efficaciam, ut etiam inter vera ſpecifica numerari mereatur, noſtro calculo confirmare religioni ducamus* (*l*) Reſtarent forte plura dicenda mihi de cinnabari, ſed finio lubens, ſalvo relicto Medentum cordatorum meque oculatiorum judicio, cui nihil detractum volo. Fidentes familiari huic remedio, parcaque id porrigentes manu, ſaltem nemini nocebunt; me, certiora morborum præſidia amantem & quærentem ſerio, alia indagatum ipſorum ingenium uſurpare jubet.

§. 15.

Tranſitus ad Cauſſas uſus frequentis pharmacorum inertium. 1. Medicaſtrorum, Semi-Medicorum, Inventorumque remediorum impudentia.

Prolixius tractato hoc argumento, dum forſan tædia lectori creavi, nolo alia cenſura proſequi, quæ eam promerebantur, medicamina. Sufficiant hæc ſtimuli loco, quem virorum doctiorum animis infigere ardeo, ut rigide inquirant in facultates populari conſenſu, ſed populari quandoque errore pharmacis quibusdam

(*i*) in conſp. p. 190. (*l*) diſſ. de ſpaſmis, circa finem.

dam adſignatas. Brevibus nunc id agam, ut cauſſas potiores, quibus obſtetricantibus excluſus eſt barbarorum & vanorum medicaminum uſus, ac quotidie forte excluditur, gnaviter exponam. Tu ſtatim obviam mihi incedis, monſtroſa Medicaſtrorum, ſemi-Medicorum, & Pſeudo-Doctorum turba! quæ, magno Rerumpublicarum damno, ita indies excreſcis, ut, ad debellandos chriſtiani nominis infideles hoſtes ſuffecturam te ſolam, facile mihi perſuadeam. Adeo tamen interim non raro in inſontes graſſaris, ac ſi, ut veluti olim Hannibal Romanis implacabile odium juraverat, te univerſæ genti humanæ non parciturum, juramenti religione temet obſtrinxiſſes, neque enim, ſolis veſpillonibus exceptis, ulli hominum conditioni amica obſervaris. Quodſi interdum ſalvam mortalibus vitam relinquis, cladem nihilominus crumenis infers, & ſi forte mitiori manu noxas nullas infers, eo tamen noces ægris mortalibus, quod, ineptis & futilibus eos detinens, ne vera & appoſita præſidia a peritorum artificum conſiliis expetant, ipſos prohibeas. Magni ſane momenti res eſt vere utilium remediorum inventio, a bardis, ſtupidis & illiteratis homuncionibus haud expectanda. Longa hic arte, ſubactoque judicio opus, cum temere agentes de corio humano ludant, vitamque & ſanitatem, qua homini nil pretioſius, mille periculis exponant. Sed quid mihi cum Medicis his adulterinis? Odi profanum hoc vulgus, utinam ab Aeſculapii ſanctuario in perpetuum abarcendum. Nimis vera loqui mihi videor, quando & a doctis cœtera Medentibus, præcipiti animo, neque circumſpecte ſatis, aliquando ultimæ claſſis remedia in primam evehi, atque inanibus prorſus divinas vires tribui, deploro. Si ullum rhetorum ſchema in artem medicam migravit, hyperbole eſt; adeoque non raro limites excedit vocalis jactantia, ut parum abſit, quin in impudentiam abeat. Sæpe ſolus forte pharmaci auctor ſibi in eo locatas eximias conſpicere videtur dotes, quas præter illum invenit nemo; ita nempe ſuis parentibus aliquando infantes placent, ut, amore decepti, miras virtutes iis proprias ducant, quibus vere conſpicui haud obſervantur.

§. 16.

Non reticere debeo jactantiæ de eximiis medicaminum pote- 1. Novitas & tituli Remediorum.

ſtatibus mirum quantum ſuccurrentem ipſorum novitatem. Dolendum, tot bona, cordatis veterum Medicis probata, noſtro ſeculo ſordere, & vel abjectiſſima quæque, ſi modo nova appareant, ſub hoc fuco aditum facilem ubivis locorum invenire. Hoc aliquando contuitus Doctiſſ. PECHLINVS egregie dixit: *Eſt hic mortalium & Medicorum error, nova quæque & ſubita & peregrina, velut de cœlo lapſa, extollere, & cum in uno alteroque remedio feliciter ceſſerit, univerſæ ſtatim morborum familiæ, velut panaceam quandam, deſtinare. Atque illud quidem ut vulgo & idiotarum ſectæ condonari poteſt, ita in Medicis ineptum valde & culpæ affine eſt.* (*m*) Accedit aliud eximium artificium, quod ebuccinanda remedia recens inventa inclareſcere facit, iisdemque ceu privilegio quodam munitis Magnatum etiam ventriculos adeundi potentiam conciliat. Videlicet id ſeculi mores poſtulant, ut externa rebus ſpecies non deſit, ſint interiora miſera, egena, ſordida, eo magis fuco mundus amat decipi. Callide hoc ſtratagemate utuntur, quorum intereſt, ut pharmaca divulgentur & vendantur copioſius; miſerrima videas ſuperbis titulis & portentoſis nominibus inſtructa, ceu tot vetuſtas ſtramineas domos, extus ſplendidis pigmentis condecoratas, intus ruinam ingreſſo minitantes, aut eum ab injuriis aëris parum defendentes. Id nemo ignorat, caput cum cerebro bene conſtitutum plurimum ad ſanitatem facere, neque vel vulgum latet, a cordis motu pendere vitam, illoque abolito hanc extingui. Fraudulenter inde lucrum ſuum hauſit aſtuta pharmacopœia, quot enim ſpecifica cephalica & cordialia, dum fumivendula ſunt, & nullius uſus, manſiſſent inventoribus, & per orbem haud forent divagata, ſi vel nominibus his caruiſſent? An vero nobis pharmaca parantibus ea eſt poteſtas, quam in ſtatu innocentiæ exercuit communis parens noſter Adamus, ut pro lubitu nomina rebus affigamus? an a nomine aliqua virtus migrat in remedium? an morbi nominibus curantur? Si aliquis foret ſatis ſtolidus, ut evporiſtum & facillime parabilem pulverem ſpecifici cephalico-cardiaco-pnevmonico-gaſtrico-enterico-hepatico-ſplenetico-hyſterici titulo inſigniret, an eapropter illum redderet univerſalem medicinam, omnibus harum partium ægritudinibus æque ſup-

(*m*) in præfat. tractatus de potu Thee.

ſuppetias afferentem? O tempora! o mores! Riſi ſæpe phraſes egregias commentatorum materiæ medicinalis, *id remedii genus hepaticum habetur*, *prodeſſe ictericis dicitur*, *multis auxilium attuliſſe fertur*, & his ſimiles. Sane tot traditiones, tot narratiunculæ de viribus quorundam pharmacorum ineptiſſimorum, a longo tempore ad ævum noſtrum, circumlatæ ſunt, nec tamen proinde decantatis pharmacis aliquid virtutis acceſſit. Neque placuere in diſpenſatoriis multoties deſcriptis remediis ſubjectæ annotationes: *Vires titulus indicat*, *vires ex nomine patent.* Certe, ut noſtro ſeculo nil magis fallit, quam *nomen* & *titulus*, internis rerum pretiis ſenſim indies vileſcentibus: ita & in pharmacevticis turpiſſime ſe decipiet, qui a nomine remedii ad vires argumentabitur. Luxuriat ævum noſtrum titulis inanibus, nil ſæpe in receſſu habentibus, ad quos capeſſendos omnes ſine diſcrimine graſſantur; luxuriat medicina genio ſeculi accommodata remediis, ſi ita loqui licet, titularibus, omni intrinſeca virtute deſtitutis, ac nobili energia carentibus. Atque ut honoribus eheu! hoc tempore venalibus, aurum ubique primas tenet: ita ingenioſiſſima vafrities aurum ineſſe eſſentiis dulcibus, aurum ineſſe tincturis falſo ſolaribus dictis, aurum habitare pulveres, terram mortuam & carbones continentes, audax clamitat, mundumque decipi volentem decipit. O quam ſollicite cavendum Medico, ne ſplendidis remediorum denominationibus, ſæpe vel nugaciſſimis quibuscunque guttulis & pulvillis adfixis, ſibi imponi patiatur!

§. 17.

Nullum vero hominum genus liberalius videas & impudentius, in extollendis ultra omnem expectationem remediis, quam Chemiſtas. Non ſine ratione graviter & moleſte ſe ferre, ſcripſit Gerhardus Goris, (*n*) aliquos, huic arti nimium incumbentes, ejus in tantum fieri idololatras, ut ſtatuant, chymicis præſentibus vel abſentibus, morbos eſſe curabiles vel incurabiles; Etenim capita mortua, macra magiſteria, calces effœtas, de quibus omne bonum, quod antea adhæreſcebat, abſtulit, & in auras diſpulit Vulcanus, concentrata remedia & panaceas crepare audent thraſones illi, magnoque promiſſores hiatu. Elegantiſſime, cordatus Sydenham, (*o*) occa-

Chemiæ abuſus & amor nimius.

(*n*) Med. contempt. p. 36. (*o*) p. 508.

occaſione chalybis, præparatisque ejus chemico-pharmacevticis, *tam in hoc*, inquit, *quam in aliis melioris notæ remediis, id quandoque præſtitit chymicorum officioſa ſedulitas, non tantum ut draſtica non ſint, ſed etiam a perverſa eorundem diligentia & opera plus quam otioſa magis evileſcant.* Vix autem clarius perſpicitur illorum hominum impudens jactantia, quam ubi alicui portentoſa elogia, vix vaſtis voluminibus comprehendenda, conſiderare parumper placuerit, quæ ſoli antimonio ab iis aſſignata ſunt. Aperte profeſſus eſt BASILIVS, in *curru triumphali antimonii*, nullius vitam perdiſcendis myſteriis ejus ſufficere; totque ubique laudes remediorum antimonialium leguntur, ut, illa ſola ſufficere poſſe eradicandis morbis ad unum omnibus, credulus opinaretur. *Antimonium*, clamat HOFFMANNUS *in clave, eſt quaſi fons & ſcaturigo præſtantiſſimorum medicamentorum, dum in hoc, tanquam in abyſſo inexhauſto, comprehenduntur omnium metallorum & mineralium energiæ, & graviſſimorum morborum medelæ, ut ex hoc, tanquam Amalthea cornu, ſalutaria, erui queant, quæ impuritates & fermenta morbifica naturæ inimicas, per reſolutionem & abſterſionem tollant, & abſumant una, juxta vim ſuam anodynam & confortantem.* (*p*) Atque verum eſt, omnino ex antimonio, ut venena quædam, ita & remedia nonnulla uſu ſuo in praxi haud deſtituta parari. Veriſſimum autem ſimul eſt, multa antimonialia haberi vel ad hunc diem pro eximiis remediis, quæ pulveres ſunt mere terreſtres fatui, nulla energia inſtructi. Ac idem illud ipſe modo laudati HOFFMANNI eximius filius, cui tot pulchra in chemicis & medicis debemus, agnovit & docuit. Namque, *in cinnabari antimonii*, inquit, *nullus præſtantior effectus offenditur, quam in vulgari. Bezoardicum minerale, tanto labore & pretio confectum, ceruſſa antimonii, materia perlata, antimonium diaphoreticum, calces fere effœtæ ſunt, & profecto parum præſtant.* (*q*) Sane, ut verbis BOERHAAVIANIS utar: *Fatalius aliud haud accidit vel chemiæ, vel medicinæ, quam ſtulta opinio, quaſi cuncta, quæ chemico naſcuntur opere, ſemper idonea forent in arte medica inſtrumenta.* (*r*) Cautiſſimos igitur nos præſtare decebit, ne temere aliquid ſtatim habeamus pro remedio magnarum virium, licet chemico igne fuerit paratum, licet ignis hujus cul-

(*p*) p. 295. (*q*) in obſerv. chym. lib. III. obſ. 6. (*r*) in chem. Tom. II. in præfat.

cultoribus egregium & polychreſtum prædicetur. Habet chemia ſua pharmaca, quæ multum proſunt, multumque illam opitulari medicinæ quis prudens negaret? Hos ergo ut minime a recto tramite deflectamus, ut medio tutiſſimi eamus, duces ſeligere oportebit, qui non chimici ſunt ſine medica ſcientia, nec Medici ſine notitia chemica, ſed Cæſares ex utroque, in utraque palæſtra exercitati, BOHNIOS, BOERHAAVIOS, HOFFMANNOS, STAHLIOS.

§. 18.

Sed miſſo abuſu artis chemicæ, ad aliam cauſſam ediſſerendam me accingo, cui familiarem nugaciſſimorum remediorum uſum in praxi tribuendum autumo. Scilicet, ſi imperitorum jactantia, ſemi-Medicorum elogiis & opinionibus, ſeveram tyrannidem ſæpe in multorum hominum animos exercentibus; ægrorum credulitate, vulgi erroribus, ſuperſtitione, præjudiciis, ſemel receptum civitateque donatum fuerit remedium, nil attinet an profuerit unquam, an millies fruſtra deglutitum ſit, ſed id uſurpare, præſcribere, concedere oportet, niſi cum naſutulis mulierculis, cum ſimplicitate Barbitonſorum, cum vetularum experientiis perpetua machinari certamina velis. Miſerrima ſors eſt, dum ægrotus clamat, da potum, dum uxor, medere ſingultui, dum affinis, ſiſte dolorem, dum compater, præbe ſudoriferum, dum cognatus, da vinum, ut cor confortetur, dum alii balneatores, mulieres, amiculi, ſcribe hoc vel iſtud, quod vicino meo, re nulla juvante, in eodem affectu graviſſime decumbenti, ſalutare fuit, & quæ ſexcenta ſunt alia. Quid tunc ageret Medicus? Emoriar, ni vel centies optaverit: O ſi aliam quamvis viliorem artem didiciſſem! (s) At! ſi inania hæc vota ſint, ſi dura urgens neceſſitas, ſi vitæ uſura, ſi officium mariti & parentis captare auram vulgi, omnibus abblandiri, nemini moroſius obloqui ſevere jubeat, ut panis noſter quotidianus acquiratur, dandum ſæpius erit aliquid genio ſeculi, moribusque imperitantibus, ſi ſaltem nil damni in ægri ſalutem redundet. Lis adhuc eſt inter eos, quibus antiqua ſtudioſe ſcrutari & inquirere placet, an Romæ olim ſervi vere fuerint Medici, an minus, cui ego me immiſcere neutiquam volo; nulla autem hodie eapropter diſceptatione opus, namque non ſaltem infeli-

Uſus Tyrannus.

(s) Verbis utor Lentil. Tab. conſult. p. 35.

ces practici ſervi ſumus, durius etiam quandoque habiti, ſed mancipia adeo præjudiciorum evadere, jugoque huic, utut detrectantes renuentesque, humeros patienter ſubmittere cogimur. Mihi quidem, qui audax conſuetudini uſuique tyranno obviam incedo, qui a me vix impetro, ut in alicujus gratiam, indulgendo ineptorum pharmacorum adhibitioni, in me ipſum peccem, aliquoties exprobratum, vitioque verſum memini, quod moribundis adſtans eos guttulis eſſentiæ dulcis aut pulvere ſolari, vitalique, quorum eheu! uſus nondum penitus apud nos in deſuetudinem abit, in vitam revocare negligens, & minus rebus meis intentus omiſerim, imo vero interdum præſtantia hæc, ſi Diis placet, remedia frivole diſſuaſerim. DEO interim ſint grates, quod poſt fata ægrorum talium nulla unquam ſtigmata conſcientiæ inuſta ſenſerim. Doleo eorum vices, qui, dura egeſtate preſſi, non ſine acerbo animi dolore annuere vulgatis medendi methodis, collegarumque forte etiam interdum ſuperſtitioni & ſocordiæ coguntur.

§. 19.

Obſervationum & experientiæ inanis allegatio.

Patrocinatur haud raro uſui remediorum, jure ſuo flocci faciendorum, obſervationum practicarum & experientiæ inanis ac anilis allegatio. Veneror ego caſtam & rationibus fultam experientiam, vixque verbis exprimere valeo, quam mihi venerabilis habeatur perſona Medici vere rationalis, ſimulque experientiſſimi. Novi pulchre, quos fructus in praxi pariant obſervationes medicinales accurate conſcriptæ, quantum illæ ad certitudinem artis faciant. Odi vero vagam, tumultuariam, mancam, ſuperficialem experientiam. Odi obſervationes, ſine morbi hiſtoria rite digeſta, fabuloſas, mendaces, ſanæ rationi repugnantes. Simplex ſit homo & judicio egenus oportet, qui cœcam fidem adjicere non dubitat obſervationibus talibus, innumera copia extantibus. Quot ſpiſſis mendaciis abundat ZACUTI praxis admiranda! quot fabulis refertæ ſunt obſervationes practicæ Amati LUSITANI! Recordor enarrare Poterium, pluries ſe expertum fuiſſe uſum pulveris cancrorum fluviatilium exſiccatorum in conceptu fœtuque retinendo. (t) At quis abortus notionem, cauſſarumque illum

(t) Pharmac. ſpagyr. Oper. p. 498.

illum proritantium ideas mente tenens, hac experientia fultus, illum pulverem gravidis eo fine exhibebit? Habetur in Miſc. Nat. Curioſ. (u) obſervatio, in qua ex linteo, ſanguine menſtruo tincto, cum aceto ſquillitico extracta tinctura, ad tres guttas ex vini cochleari propinanda, ad menſes extemplo movendos commendatur. Quis vero ratione utens, fluxusque & ſuppreſſionis catameniorum cauſas intelligens, id remedii genus ad emmenagoga promptiſſima ea propter retulerit? Atque ſane hujus furfuris obſervationes, hujus commatis experientiæ, hujus farinæ traditiones innumerabiles occurrunt, etiam in ipſis Miſcellaneis Nat. Curioſ. in quorum interim juſtas, quas promerentur, laudes, neutiquam ſum injurius. Nil movet me audiviſſe aliquem præfracte provocantem ad adultam ſuam & repetitam experientiam. Summi momenti res eſt, experiri in medicina, ac plerumque ii, qui alto ſupercilio aliis inſultantes ſuam crepant experientiam, artem experiendi minime omnium callent. Infinitis vicibus vis vitæ, quæ in ægro ſupereſt, morbos curat; quando ſuis remediis ineptis ſæpe, & omni virtute deſtitutis, fauſtum eventum tribuere audent Medici. Sit infans laborans variolis, Medicus accerſitus porrigat ſuos pulveres terreos teſtaceos fixos bezoardicos, potiones diapnoicas, largiter ejusmodi pulverulentis onuſtas, ſpecificum cephalicum, pulveres vitales, Marchionis &c. En feliciter ſanatur infans, rite decurrunt per quatuor ſua ſtadia variolæ, ardente mitiori febre, erumpunt, pus contrahunt, exſiccantur, ſine relictis cicatricibus decidunt, ſanitas perfecta reſtituitur. Nonne ergo his remediis infans ſanatus eſt? nonne ea ſuas vires evidenti morbi curatione luculentas reddidere? Eheu! fallitur turpiter ita judicare auſus Medicus, parumque cognitum ingenium hujus morbi mere phlogiſticum habet, cœteroquin longe aliter certiſſime ſenſurus. Nonne vis vitæ ſola curaſſet leviorem morbum ſine omni horum remediorum apparatu? O quam bene hic apponi merentur Boerhaaviana de variolis verba: *vulgata methodo nemo niſi ſponte emergit.* Dextre ego ſejungi a ſe invicem velim eventum morbi poſt datum remedium, & a dato remedio. Infinitæ

(u) Ao. 9. & 10. obſ. 35.

ex hujus rei neglectu inter Medicos rixæ oriuntur. Dehortari præterea practicos liceat a communi errore, quando a remediis partim efficacibus, partim inanibus ſimul propinatis, emergentem proſperum effectum inique dividunt, ac æque inanibus quam efficacibus tribuunt, illaque ſine his alio tempore ridicule adhibent, eundem bonum rerum ſucceſſum fruſtra expectantes.

§. 20.

Theoriæ morborum mechanicæ neglectus.

Multum porro favet uſui fatuorum medicaminum ſupinus theoriæ mechanicæ morborum neglectus. Ægerrime ferendum, practicos quandoque veteranos diſcere, ut alicubi ſcribit HOFFMANNUS, nolentes, quæ nunquam didicerunt, ad otioſas ſpeculationes referre ſana ratiocinia, cynoſuræ inſtar Medico vero in omnibus, quæ facienda vel omittenda ſunt, ſervientia. Male theoria morborum ad Academias, ad cathedras, ad muſea, non ad lectulos ægrorum pertinere judicatur; ſine qua tamen cœcus eſt practicus, ſine qua omnes rerum ſucceſſus fortunæ caſuique debentur. Itane in ſpiſſis tenebris verſari, itane per ambages huc illucque vagari, quam lucem nunquam fallacem ſequi, rectaque via tendere ad metam præfixam præſtat? O bone Deus! ſi filum nullum ducens infallibili certoque tramite daretur in medicis, nunquam auderem ego ingredi intricatos & abſtruſos ægritudinum labyrinthos, nunquam ingreſſus illos celeri nimis pede me ex ancipitibus gyris, ex dubiis viarum flexubus, ex anfractuoſis itineribus, quæ emetiri opus eſt, extricare poſſe ſperarem. Legant, obſecro, ſi intelligunt, ſi demonſtrationibus adſvevere, practici omnes orationem Boerhaavianam incomparabilem, *de uſu ratiocinii mechanici in medicina*, quam quidem adeo extollere nequeo, quin omnia elogia excellentia operis ſuperet. Nemo recte ſanat, niſi cui cauſæ morbi in corpore ægro proximæ accurate ſciuntur, atque has, ubi naturalis functionum corporis ſtatus in præternaturalem mutatus eſt, in ſtructura & motu unice poſitas, nemo attingit, niſi mechanico utens ratiocinio. Summi igitur hoc in artis exercitiis momenti, quicquid contradicant ignari, praxin medicam, difficilem valde, nimis exercitu facilem in ægrorum damna habentes. Quid mirum ergo, ubi illotis manubus morbos profligari poſſe, ſibi perſua-

ſuadentes levis armaturæ milites, formare juſtas indicationes nequeunt, cauſisque oculos ipſorum effugientibus, prægnantibus ſæpe & momentoſis, aliena, inepta & miſera remedia opponere haud erubeſcunt.

§. 21.

Neque ſufficit morbi theoriam noſſe, ſed inſtrumentorum, quorum ope tollere eundem nititur peritus artifex, exactiſſima cognitione opus eſſe, quis non videt? Si vero dicendum, quod res eſt, rarius practici de arduo hoc momento, etſi eidem maxima pars ſalutis ægrorum nititur, cogitare ſolent, ſed plerisque ſufficit didiciſſe, huic morbo hoc remedium, alteri aliud, opponendum eſſe. Imo vero, quod plane paradoxum eſt, dantur inter eos, qui ne quidem opus eſſe impune clamant, ut de modo operationis remedii ſui in corpus ægrum ſollicitus ſit Medicus, modo probe ſciverit, hoc pectori, illud ſtomacho, aliud jecori dicari, hoc contra phthiſin, illud contra hydropem, aliud contra icterum uſurpandum in praxi eſſe. Nec negari poteſt, illos, qui ad hunc diem animæ omnia tribuunt, naturamque continuo clamant, omnium minime de veris medicamentorum viribus teneri ſollicitos, ſed, dum perpetuis petitionibus principii ubique peccant, ac corpus ſine animæ energia iners, & ſine ulla actione concipiunt, nunquam operationes remediorum comprehendere, ac proinde haud raro naturæ conſervationem ſui corporis nimis committendo, minus adæquata cauſſis morborum, quin abſona & ridicula pharmaca ſæpiſſime præſcribere. Miſere certe afferunt boni illi viri, remedia neutiquam directe in corpus ſuam operationem exequi, eamque in eo ſolo abſolvere, ſed ſua actione invitare, incitare, demulcere, placare naturam, ut motus vel languentes animoſius ſuſcipiat, vel extra orbitam vagantes refrænet, ut ſecretiones & excretiones deficientes ſuſcitet, excedentes inhibeat, atque ita morbum, quo corpus afficitur, ſuperet ac profliget. Dolendum valde, illam philoſophiam ad hunc diem late ſatis dominari inter Medicos, atque a tot naturæ idololatris pro veriſſima, pro clara & perſpicua, pro nova venditari, cum falſiſſima, obſcura & obſoleta haberi debeat. Eadem nempe chorda jam oberravit, multarum in medicina nugarum venalium parens, Os-

Operationis mechanicæ remediorum ignorantia.

waldus CROLLIUS: *Quando autem natura*, inquiens, *per naturam remediorum roboratur, hoſtem ſuum tanto fortius expellit, ſiquidem naturali modo quævis natura ſui conſervationem cupit. Quando natura in temperamento ſuo conſervatur, ſibi ipſa eſt remedium, & malis ſuis ipſa per innatam mumiam medetur.* Prorſus deinde illi philoſophandi methodo reſpondent placita HELMONTII, qui remediorum vires per ſe mortuas ſtatuit, & tantummodo hæc archeum irritare, excitare, excandeſcentem ſedare, in timorem conjicere aſſeruit. An vero aliud Stahliani de natura ſua aſſerunt, ſane ut in aliis, ita & hic inter archeum Helmontianum & naturam Stahlianam ea datur convenientia, ut vel connubio locus eſſe videatur. Age! videbimus illam paulo ſpecialius. En infallibilia hujus rei documenta! *Quoties non vitale in agrum vitalem eſt inſertum, indignatur archeus, & excandeſcit, ut iſtud peregrinum e ſui anatomia excludat.* (x) Porro *archeus quidlibet motitat, ut peregrinum hoſtem a ſe excutiat, quocirca repeto, quod jam aliquoties dixi, nimirum omnem motum tam in ſanis, quam in ægris immediate proficiſci conſtitutione, & efficienter ab impetum faciente archeo.* (y) Denique: *Ergo archeus in proprias luxualesque irregularitates lapſus, totus ſymptomaticus atque impatiens velut furit, habenas regiminis nunc deſerit, nunc iterum interruptas arripit, quandoque tardior operatur, tædioque ſui corripitur, imo media voluptatum ſatietate tormenta ſibi excitat, ens plane irrationale. Hinc namque iterum perterritus quaſi archeus, ſuæ velut incuriæ pœnitens, præpoſtere cuncta movet.* (z) Atque hactenus HELMONTIVS. Certe ego hoſpitem crederem in ſcriptis STAHLII aſſeclarumque ejus, eumque nil audiviſſe vel legiſſe unquam, de naturæ energia & autocratia, de ejus moliminibus, erroribus, tergiverſationibus, trepidationibus, qui omnia hæc Helmontiana, Stahlianis non adeo exacte ſimilia judicaret, ac ovum ovo. Sed ad ipſam remediorum operationem nunc progredior, ita vero de eadem judicat Helmontius: *Quapropter cenſeo, medicamen proprie immediate & efficienter conſiſtere in competenti ſive appropriato, per quod nempe natura a ſuo caſu reſurgit. Sunt nempe rebus natales dotes, in quibus archeus noſter ſuas reperit delicias,*

(x) de Febr. c. 13. (y) de Febr. c. 9. (z) de morb. archeal. Oper. p. 338.

cias. (*a*) Jam vero contuemini, precor, lectores mei, aſſertum JVNCKERI: *Medicamina præcipue operantur excitando ſenſum vitalem, unde natura vel refocillatur, ſeu roboratur, vel ſopitur, vel ad certum motum invitatur.* (*b*) Nonne hoc idem prorſus eſt dixiſſe, quod dixerat HELMONTIUS? Velim autem, ut candide nunc profiteantur, quorum intereſt, quique ab omni ſecta ſunt liberi, an modo intelligibili ita explicari putent pharmacorum operationem, anne obſcurum per æque obſcurum ita explicetur? an, omnibus illis terminis auditis, vel ullam ideam mente valeant concipere? Mihi certe rectiſſime dici debere videntur de natura, quæ de eadem dixit olim BONTEKOE & RAMMAZZINI, quorum ipſiſſima verba vel animi gratia appoſuiſſe intererit. *Nullum vocabulum,* ſcribit BONTEKOE, *Medicis & Chirurgis adeo familiare, quam egregia vox naturæ: Quæ quando diligenter conſideratur, auribus quidem belle ſonat, ſed tamen nil prorſus in receſſu habet. Quid eſt tandem antiqua illa, & magni adeoque facta natura, quæ jam ante annorum millenarios magnum adeo ſtrepitum in mundo edidit? Idolum ignorantiæ, mater ſapiens, fidelis & provida, quæ medicam opem adfert, cujus ſervulos Medici & Chirurgi ſemet profitentur. Huic naturæ omnia adſcribuntur, adeo, ut, ſi quis bene valeat, is id ipſum naturæ moderamini & directioni acceptum referre teneatur. Si perpendatur, quam inſignes effectus & operationes rerum naturalium ſcrutatores naturæ adſignent, illa ſapiens, provida & potens natura (nam omnibus illis & longe pluribus epithetis condecoratur) plane DEVS eſſe videtur, aut quia generis fœminini eſt DEA, aut potius Hermaphroditus. Et certe ita ſe res habet, utique DEA eſt ignorantiæ & pigrorum hominum.* (*c*) Idem illud, quod fuſe BONTEKOE elocutus eſt, conciſe magis aſſerit RAMMAZZINI. *Ultinam,* inquit, *poſteri Hippocratis ejus veſtigiis inſtitiſſent! ita enim jam dudum medicina majorem perfectionem fuiſſet aſſecuta; verum, quia in arduis quæſtionibus ad naturam refugere non erubuerunt (quo vocabulo nullum in omni phyſica datur nocentius, quo non datur certius velum ignorantiæ) parum etiam de emendanda & evehenda arte fuere meriti.* (*a*) Atque certe

(*a*) In Tract. natura contrariorum neſcia, Oper. p. 108. (*b*) In therap. gen. Tab I. p. 4.
(*c*) In dem neuen Gebäude der Chirurgie cap. 1. (*a*) De morb. artific. cap. 19.

certe ab omnibus naturæ cultoribus parum boni in ætiologia deſideratiſſima modi operationis pharmacorum expectandum eſt, illi quippe ſoli, qui mechanice in arte philoſophantur, operi huic pares ſunt. Cumque ea ratiocinandi & demonſtrandi methodus a BELLINI demum temporibus in medicinam introducta ſit, non mirandum eſt. WILLISIUM pharmacevticen ſuam rationalem, ſive diatriben de medicamentorum operationibus in humano corpore conſcripturum, inter deſiderata praxeos medicæ collocare debuiſſe, quod a nemine adhuc explicatum ſit, quo ſitu & quali partium corporis humani affectione medicamenta, intus ſumpta & exterius adhibita, operationes ſuas perficiant; videlicet quomodo & quare hæc vomitum, illa purgationem, alia diaphoreſin, aut alterationem, aut quandam alterius generis operationem moveant, quæ ſit partium & particularum in agente & patiente affinitas, aut diſſimilitudo, impulſio, pulſio, & reactio. Recte ea propter conqueritur: *Super his ſolutio vulgaris ſolet eſſe, pharmaca per virtutes ſpecificas operari, quod equidem nil amplius ſonat, quam idem per idem explicare, quemadmodum, ſi dicatur vomitoria eſſe, quæ facultate vomitum provocandi prædita ſint.* Illam igitur ſpeculationem therapeuticam hactenus a Medicis fere intactam relictam aggreſſurus, rationem mechanicam, qua medicamina cujusque generis in corporibus noſtris vires ſuas exercent, tradere promittit. *(b)* Neque aliter res hæc feliciter cedit, ſiquidem corpore ægro ingeſtum, atque in illud agens remedium, ſemper debet in eo aliquid mutare, omnis vero mutatio, omnis actio fit per motum, leges vero motuum tradit mechanice, quare de actionibus & viribus remediorum non niſi mechanice philoſophandum erit. Omnium certe corporum actio & reactio abſolvitur ſitu, mole, figura, motu: ſi ergo actio & reactio remedii corporisque ægri explicanda eſt, ut intelligi queat, nonniſi ex utriusque ſitu, mole, figura, motu explicari poterit. Credo ego, hæc omnia ſponte unicuique apparere debere, atque ſane adeo vera ſunt, ut illi etiam, quibus quam maxime exoſa hæc ratiocinandi methodus, tamen contra niti non audeant, quos inter magnus ille articulorum fidei Stahlianæ propagator, defenſor, & interpres Cl. JUNCKERUS expreſſis verbis largitur, *in operatione medicamentorum a natura gubernata ſubeſſe aliquid mechanici, ab ejus arbitrio non dependens;* licet perperam adnectat, tanti hoc non eſſe habendum, ut operandi modus illi maxime adſcribi mereatur. *(c)* Fruſtra certe laborat vir aliter doctus & cordatus, quem per aliquod tempus præceptorem meum fidum & benevolum colui, quando naturæ actioni tribuere molitur, quæ actioni remediorum tribuenda erant. *Ubi omnino,* inquit, *medicamina mechanice operari videntur, ibi naturæ ſynergia conſtanter adjungitur. Motus enim ille, qui a medicamentis in ipſa humorum craſi perficitur,*

(b) Vide hæc omnia ſtatim cap. 1. (c) Therap. gen. Tab. 1. p. 1.

tur, eſt tantum inteſtinus, & hic quidem a remedio dependet, ſed curationem haud abſolvit, niſi natura ſuperaddat motum tonico-progreſſivum. (*d*) *Nonnunquam miſta operatio obſervatur, ita, ut partim a motibus naturæ activis dependeat, partim a motibus, in craſi humorum per medicamentum excitatis. id autem, quod natura in hac mixtura contribuit, præcipuum eſt.* (*e*) Si adjunctam ſuam naturæ ſynergiam Junckerus haberet pro ſuperſtite vi vitæ, a ſolis mechanicis cauſſis pendente, nil haberem, quod objicerem, cum omnem mechanicam pharmaci operationem ſupponere corpus vivum, motusque in corpore ſuperſtites, nullamque vel præſtantiſſimo remedio actionem eſſe in cadaver, omnino certiſſimum ſit. At aliter, quod ſatis conſtat, is ſentit. Neſcio vero, quomodo probaturus eſſet, quod in genere ſine exceptione affirmat, remedia agere ſaltem in humores, eorumque craſin, cum multorum actio in ſolidas adeo evidens ſit, ut negari neutiquam poſſit. Quis enim tartarum emeticum, Jalappam, cantharides, ſpiritum C. C. omniaque paucis, quæ acri ſtimulo vel benigniore, vel fortiore gaudent, agere immediate in humores, intactis ſolidis, facile concederet? Ipſe ſibi obloquitur, quando eadem pagina de medicamentis in genere aſſerit, quod operentur excitando ſenſum vitalem, utut vero obſcurus paulisper ſit hic terminus, tamen ſenſus ille non humoribus, ſed certe ſolidis & nervis maxime adſignandus erit: ſi autem remedia agunt in nervos, ut vere agunt, dum nulla actio concipi poteſt ſine motu, motum fibrillarum nervearum mutare debent; ſi autem remedium per ſe motibus ciendis & mutandis ſufficit, quo jure dici poteſt, omnem motum, poſt aſſumptum remedium emergentem, excitari a natura per remedium excitata? Conſtat igitur ſibi, nititurque ſolidiſſimis fundamentis actio mechanica, ſola remediorum omnium, nullo animæ concurſu indigens, licet ſine vita corporis haud concipiatur. Pauci ſunt, fateor, qui viam hanc non ſtratam certe & publicam, ſed inſuetam & ſalebroſam admodum cœcamque ingredi auſi ſunt, neque in eadem perrexiſſent diu, ſed relectis modo impreſſis veſtigiis retrogredi cito anhelaſſent, niſi facem prætuliſſet phyſica, Chemia & Anatome, fidæ duces caſtiſſimæ comites. Laudari eapropter debet primus fere in eadem incedere auſus Willisius, qui in pharmacevtice rationali multa egregia nos docuit. Neque Blancardi tractatus, de operationibus remediorum in corpore vivo prætereundus, utpote varia bona continens. Nemo vero majus elogium ſibi depoſcit, quam Hoffmannus & Boerhaavius, ille nempe partim variis diſſertationibus, partim Tomo III Med. Syſtem. partim in obſervationibus chemicis egregie operationem remediorum phyſico-mechanicam illuſtravit; hic in eximio hercle libello, *de viribus remediorum*, quem ab ipſo autore editum optarem, adeo perſpicue remedio-

(*d*) Tab. I. p. 4. (*e*) loc. cit. p. 5.

mediorum energiam exponit, ut non ſine ſumma voluptate legi poſſit. Taceo, qui non omnium in genere, ſed aliquorum ſeorſim medicaminum vires ex mechanicis principiis deductas dedere, Bergervm, Wedelivm, Vatervm, Freindivm, Hambergervm, Heistervm, Schultzivm & alios. Doleo valde, nondum me acquirere potuiſſe *mechanicam morborum Mazini*, *mechanica morborum* mihi lectæ accommodatam, quæ ſecundum claſſes, quas exhibet, recenſitam alicubi vidiſſe, probe ſcio. Valde vero optarem, ut claſſes illæ remediorum diaphoreticorum, diureticorum, pectoralium, cephalicorum, hepaticorum, nephriticorum &c. non adeo rigide ſervarentur ubique, aut ſaltem, ut melius explicaretur, quotuplici reſpectu, quo fine, qua ratione, quousque, quibus conditionibus corporis poſitis aliquod remedium ſit pectorale, hepaticum &c. quæ dotes illi neceſſariæ, ut vel diureſin, vel diaphoreſin moveat, ut vel illi, vel huic morbo pectoris, hepatis, renum, opituletur. Certe hiſce denominationibus & claſſibus Semi-Medici miſerrime in damnum ægrorum abutuntur, ex hoc fonte creberrima practica peccata emergunt. Dabo, ut melius intelligar, hujus rei exemplum: Communis practicorum loquendi mos pectoralia habet, *balſamum peruvianum, ſperma ceti, helenium, oleum amygdalinum, caſcarillam, maſſam pilularum de ſtyrace, ſyrupum e ſiliquis*, &c. Jam vero, eorundem vires, ex quibus agunt, eſſe diverſiſſimas, facile patet. Sane balſamus peruvianus & helenium acri principio villos pulmonales irritant, eorumque motus excitant, viſcidosque ſimul humores ſolvunt. Sperma ceti & oleum amygdalinum irritationes demulcent, fibras emolliunt & laxant, tenuem acrimoniam incraſſant; Caſcarilla fibras bronchiales, acrimonia ſua irritat, blande tamen ſimul ſtringit. Maſſa pilul. de ſtyrace ob opium, & ſyrupus e ſiliquis ob papaver motus ſuſpendunt & placant. Nonne igitur ſatius eſſet, expoſito morbo quocunque pectoris, formare juſtas indicationes, tumque pro re nata commendare vel acria motus excitantia & viſcidum ſolventia, vel motus ſedantia, vel fibras relaxantia & mollientia, vel eas paulisper ſtringentia? Ita omnino ſatis bene careremus in arte termino pectoralium, qui nullum alium uſum præſtat, quam ut confuſiones pariat, tyrones confundat, pigros confirmet, diligentes moretur. Non puto has cautiones, quas urgeo, eſſe de nihilo, namque propoſita methodo multo accuratius verſaremur in praxi, neque contra intentiones noſtras ipſi ageremus ſæpe, & in eadem formula e diametro ſibi contraria innumeris vicibus præſcriberemus. Quot vero compoſitiones officinales tum vel abjiciendæ penitus, vel ſaltem mutandæ forent! Utimur omnes ſæpiuscule *pulvere pectorali balſamico Wedelii*, ſatis bono & laudabili, in quo tamen flores benzoës, oleumque aniſi, ob irritantem acrimoniam, cum demulcente & emolliente indole

liqui-

liquiritiæ parum conſpirant. Laudo ipſius *elixir pectorale*; quia autem ex meris acribus conſtat, illis neutiquam reſpondet ſimultanea præſentia liquiritiæ. Vix dici poteſt, quam ſæpe hoc remedio, quod, ubi excitante acrique ſtimulo opus, dum bronchia viſcidis humoribus obſeſſa ſunt, ſat bonum habetur; quam ſæpe, inquam, practici eo abutantur, quia pectorale audit, quam ſæpe id interponant demulcentibus, pro tuſſi forte placanda exhibitis, quam nova doſis elixirii ſemper iterum provocabit. Quam male caſcarilla & ſperma ceti; quam male ſperma ceti & oleum fœniculi in eadem formula pectorali præſcribuntur! Quod vero de pectoralibus dixi, hepaticis, uterinis, viſceralibus, paucis omnibus aliis, vage nimis & confuſe ita denominari ſolitis, non minus applicatum velim, dum prolixitatem tempus & alia inſtituti ratio vetant. Video & lætor prorſus mihi aſſentiri celeb. FREVNDIVM: *Scriptores*, inquit, *de remediorum viribus differentes, pro actione interna operationem ſenſibilem ſubſtituunt, ita apud eos alia diuretica, alia diaphoretica, alia emmenagoga appellantur, cum tamen de agendi modo nihil inde innoteſcat, quæ quidem medicamentorum operatio non modo non eſt primaria, ſed fallax etiam & incerta, e. g. Si exhibeatur diaphoreticum, nemo ignorat, id pro voto minime ceſſurum, niſi aperiantur pori; iis enim occluſis, quamcunque in ſanguine virtutem exerat remedium, ad ſudorem provocandum eſt prorſus inefficax. Sive tamen ſudor ſuccedat, ſive minus, eodem modo in ſanguinem agit diaphoreticum; Sanguinem enim ad certos quosdam gradus attenuat & reſolvit, ut ejus tenuior pars per poros cutaneos, niſi præcludatur via, elabi poſſit; ipſa tamen diaphoreſis non eſt actio medicamenti primaria, ſed ab humoribus ita attenuatis, niſi pori prohibeant, neceſſario fluit. Si enim pori occluſi fuerint, ita ſanguinem rarefacit diaphoreticum, ut ardorem, nonnunquam & febrem inducat. Ita ut propria medicamenti virtus non in humorum diaphoreſi, ſed reſolutione conſiſtat. Par eſt in emmenagogis ratio; ea quippe perpetua & immutabili quadam agendi norma plethoram exſuſcitant, ut per uterina vaſa erumpat ſanguis. Poteſt vero talis eſſe ad uterum obſtructio ſive canalium, ſive ſanguinis vitio, quæ a nullis emmenagogis pervinci queat, cum tamen emmenagogi eadem ſit, ac ſi menſes cieret, in molem ſanguineam operatio. Ita ejusdem remedii varia eſſe poteſt ſenſibilis operatio, uti recte argumentatur cl. Cockburnius, vis vero, quam in humores exercet, unica ſibique perpetuo conſtans.* (*f*) Abrumpo tandem tractationis filum, cum ex diſputatis hoc paragrapho abunde apparuiſſe credam, neglectum inquiſitionis in vires mechanicas remediorum ſæpiſſime efficere, ut inepta & fatua a practicis adhibeantur. Profluit bonam partem ex hoc vitio Medicis familiari uſus vanus abſorbentium & terreſtrium, in quorum vires precarias ſeorſim inquirere præſenti tractatu anniſus ſum, iis, quantum meæ vires ferunt, principiis pertinax adhærens, quæ omnium maxime ad examen rigoroſius virtutum pharmacis inſitarum facere perſuaſus ſum. Illum igitur ut Lectores æquo animo ferant, enixe rogo. Cœterum, non omnes, ſed potiores cauſſas uſus inepti multorum remediorum in praxi triviali hac diſſertatione exponere, in animum induxeram.

(*f*) Emmenol. cap. XIV. p. 184.

SERIES CAPITVM.

CAP. I. De terreorum Remediorum præparationibus pharmaceuticis ad uſus clinicos pag. 1

II. De terreorum encomiis, eorumque celeberrimo, non tamen ſemper ſine damno, uſu. 17

III. De Pathologia acida, ſola largi terreorum uſus cauſſa. 28

IIII. De Pathologiæ acidæ confutatione, & hinc conſequente promiſcui terreorum abſorbentium uſus vanitate. 36

V. De vera terreorum utilitate in correctione acidi in primis viis peccantis, præcipue in morbis infantum. 40

VI. De dubio terreorum e ventriculo & inteſtinis in ſanguinem humoresque tranſitu. 53

VII. De viribus terreorum diaphoreticis, communi Medicorum ſuffragio ipſis adſertis. 62

VIII. De terreis pro diureticis falſo venditatis. 97

IX. De terreis male pro antiſpaſmodicis habitis. 110

X. De terreis in convulſionum & epilepſiæ medicatione fruſtra habitis 136

XI. De viribus terreorum roborantibus tonicis & adſtringentibus. 158

XII. De ineptiis circa cardiacas terreorum vires. 176

XIII. Temperantium antorgaſticorum & refrigerantium elogium terreis detrahit. 213

XIV. De abſurdo uſu terreorum in hæmorrhagiarum medela. 233

XV. De terreis falſo inter antiphlogiſtica remedia relatis. 265

XVI. De inepto terreorum anti-nephriticorum apparatu. 278

XVII. Terreis antifebrilibus dicam ſcribit. 311

XVIII. De terreis exanthematibus febrilibus ineptiſſime deſtinatis 336

XIX. De febrium malignarum in genere ſpectatarum therapia per terreſtria pharmaca fruſtranea. 365

XX. De remediis terreſtrium pulverum in Petechiis & Purpura fruſtaneis. 436

XXI. De uſu pulverulentorum terreſtrium in febribus intermittentibus & Catarrhis incondito. 447

XXII. De Arthritidis & Rheumatiſmi medela fruſtra terreis commiſſa. 461

XXIII. De ridiculo uſu pulverulentorum terreſtrium ad ſanguinis coagula ſolvenda, ſimulque de aliis quibusdam Pulverum inertium viribus precariis 471

CAPUT I.

Terreorum remediorum catalogum, eorumque præparationes pharmaceuticas ad uſus clinicos recenſet.

§. I.

Terra Phyſicis & Chemiſtis corpus dicitur durum, ſimplex, friabile, in igne permanens fixum, nec in eo fluens, in aqua, oleo, alcohole, aëre non diſſolubile. Competit adeo ſuppeditata deſcriptio exacte terræ illi elementari, quam vegetantium æque ac animalium fabricam ingredi, ac abſolvere maximam partem novimus; ita quidem, ut utrorumque cohæſio atque duratio ſoli fere terræ huic debeatur, aliter & aquæ & aëris injuriis citiſſime diſſolvenda. Mihi hac vice de terreorum remediorum viribus in corpus humanum verba facturo id negotii haud incumbere, ut in ea quæ de terra ſinceriſſima elementari acutioris ingenii Philoſophi commentati ſunt ſubtili meditatione inquiram, lectores meos largituros confido. Terreorum remediorum nomine quæ hic veniant?

Sufficiet opinor uſibus meis indigitaſſe pauciſſimis, me ſub medicamentorum terreſtrium nomine, de quibus agere mihi conſtitutum eſt, comprehenſa velle ex materia medicinali illa omnia, quæ forma pulverulenta apparent, aut in eam facile redi-

 guntur,

guntur, quæque ſimul odore & ſapore manifeſto deſtituuntur, atque & menſtruis aqueis & oleoſis & ſpirituoſis diſſolvi renuunt, imo in ipſo igne fixa perſtare obſervantur.

Sane aliter terreſtria remedia depingere, atque aliter ea a cœteris remediorum generibus ſegregare non potuere Chemici pharmacevtici, omnibus facile hac in parte inter ſe conſentientibus.

Illud nimirum rerum uſus docet, atque illud accurata corporum naturalium inquiſitio confirmat, ea quæ remediorum elogium inter medentes meruere diverſa ratione agere in corpus humanum vivum.

Videas quæ aquoſo potiſſimum principio operationem ſuam edunt, quæ gelatinoſa materie qua turgent, quæ ſale differentis indolis, quæ oleo blandiſſimo, quæ Sulphure ſvaveolenti, graveolenti, vaporoſo in ſolida & fluida corporis animalis præcipue operantur. Atque illa omnia quidem non ingreſſura fore præſentis opuſculi argumentum ſponte patere arbitror, quando ea ſola ediſſere animus eſt, quæ in nos nec aqueo, nec ſpirituoſo, nec oleoſo, nec ſalino, nec mucilaginoſo, nec ullo alio elemento agunt, ſed mere terreſtri aut ad ſummum ſimul tenuiſſimo martiali.

§. 2.

Terreorum remediorum ex regno animali & minerali petitorum, nec non arte paratorum recenſio.

Jam vero quando recepto in medicina more tria naturæ regna contueor, terrea remedia quæ voco, planta illa lapideæ ſubſtantiæ corallio excepto, inter vegetabilia vix reperio, haud enim hæc in corpus humanum agere ſolent terra ſua ſola, ſed potius teſte BOERHAAVIO (*a*) vires plantarum medicatæ abſolute habitant in illa earum parte, quæ deſtillatione, infuſione, & decoctione inde elici poteſt, nihil ſingularis habente terra, quam aqua fervens infuſa & ebulliens penitus intactam relinquit. Tanto autem copioſior ejuscemodi medicamentorum apparatus in animali regno occurrit. Huc enim referri omnino debent, quæ multoties ægris offeruntur, *cranium humanum*, *calculus humanus*, *cornu cervinum*, *dens apri*, *ebur ſeu ſpodium*, *ungula alcis*, *dens hippopotami*, *lapides cancrorum*, *carpionum*, *percarum*, *mandibulæ lucii piſcis*,

(*a*) in Chem. Tom. II. p. 29. edit. Lipſ.

piſcis, tali leporis, unicornu verum, unicornu foſſile, umbilicus marinus, conchæ, margaritæ, mater perlarum, lapis bezoar Orientalis & Occidentalis, teſtæ ovorum, oſtrearum, &c.

Nec minerale regnum deſtituitur terreſtribus remediis, quibus hodie adhuc frequentiſſime curationes ſuas clinici Medici aggrediuntur. Quem enim fugeret immenſus terrarum ut vocant medicamentolarum numerus, quorſum *bolum Armenam, terras ſigillatas diverſo natali ſolo gaudentes, Lemniam, Melitenſem, Samiam, Goldbergenſem, Lignicenſem, Strigonienſem* referendas habemus. Mirum videbitur lecturis quando terreis mineralis regni remediis *Succinum* officinarum *præparatum* etiam adnumerandum eſſe exiſtimo, licet bituminoſam ipſius indolem negare nullus velim; Dabo vero, ubi alia occaſione uberius de eodem acturus ſum, rationes meam ſententiam dilucide comprobantes, atque æquis rerum arbitris ſuffecturas. Neutiquam deinde in recenſione medicamentorum terreſtrium e mineralium ſeu foſſilium familiis petrorum omittendi ſunt lapides pretioſi, & minus pretioſi; Utrique enim dudum pharmacevticis officinis illati ſunt, & adhuc inferuntur. Ad priores ſpectant *margaritæ, Topaſius, Smaragdus, Sapphirus, Rubinus, Hyacinthus, Granatus, Chryſolithus, Cryſtallus;* Ad poſteriores *lapis Judaicus, Lyncis, nephriticus, Oſteocolla, lapis Spongiæ, &c.*

Atque hæc fere ſunt illa, quæ natura medentibus per multum tempus ſuggeſſit remedia terreorum cognomine merito ſalutanda, ſed auxit adhuc apparatum eorum ars, mireque ſibi placuere Chemici varii generis producta terreſtria ignis ope elaborando, atque iisdem, ut ſæpe ſolent, eximias vires in medicina affingendo. Natum inde eſt *antimonium diaphoreticum, ceruſſa antimonii, materia perlata, bezoardicum minerale, ſolare, martiale, magneſia alba, Sulphur antimonii fixatum, &c.*

Satis amplum ita catalogum terreſtrium remediorum exaravi, quem tamen licet accurate digeſtum omnibus placiturum vix ſpero, valde enim vereor, ne multi lecturorum obiiciant nimis me hallucinatum fuiſſe, quando varia in eodem terrea ſimpliciter

dixi, quæ ex aliis omnino principiis ſimul agentia corpori humano ægro medelam promittere videntur. At ſuſpendant velim illi pauliſper præceps judicium, conſtabit ſibi hoc meum aſſertum, & firmabitur per omne opuſculum quod meditor, neque enim temere illud fui aggreſſus.

§. 3.

Præparatio pharmacevtica terreorum.

Scripſi hactenus terreorum remediorum indicem, illorum non minus quæ arte terreſtria producuntur, quam eorum ſimul, quæ natura ipſa terreſtria excludit. Priora fere ſub pulverum forma ſtatim apparentia nullis adminiculis indigent amplius, quo aditum facilem in fauces, iterque patulum per œſophagi canalem nanciſcantur, ſed apto inſtructa vehiculo lubenter ægrorum ventriculos ingrediuntur; Poſteriora præparationem, & reductionem artificialem in pulverulentam formam prægreſſam poſtulant, antequam Pharmaci elogium tueri rite poſſunt. Quis enim ægro epileptico fruſtum cranii humani maſticandum exhiberet? Quis pleuritico dentem apri rodendum commendaret? Quis calculi tormenta patienti nephriticum lapidem dentibus comminuendum porrigeret? Atque ego quotiescunque Pharmacopœorum curioſam hac in parte ſolertiam contueor, toties illos id ſæpe ſæpius agere convincor, ut multo labore nihil agant, imo vero interdum inutilia inutiliora reddant, quando vires eorum imaginarias exaltare & multiplicare ſibi videntur. Sane uti inſignis eſt artificiorum pharmacevticorum numerus, quæ riſum intelligentibus movent, etſi vulgo fortuna atque intellectu tali magnifici aliquid & polychreſti fovere reputantur; ita officinales terreorum medicaminum præparationes, miræque præparationum varietates, non poſſunt non offendere prudentes Medicorum animos, fucum facere ægris ſuis inglorium atque abjectum ducentium. Agite Lectores mei! ingrediamur una pharmacopolia noſtra, atque ibi ſpectemus parumper artes illas, quas experiri ſolent terreſtria medicamenta, antequam pyxidibus ſuis incluſa ad uſum reponantur, & juſſu curioſi forte in hiſce Medici capſulis illata chartaceis ægris deguſtanda transmittantur. Ecce optime paucis omnia

com-

complexus eſt LANGIUS (*b*) *lapides*, inquiens *& terrea in Officinis triturantur*, *pulveriſantur*, *calcinantur*, *ſolvuntur*, *præcipitantur*, *liquantur*, *ſyrupiſantur*, *in ſal convertuntur:* Dicite amabo! anne ita vobis omnia videntur exhauſta martyriorum genera, anne in unum congeſta cuncta illa ſupplicia quibus affici miſerum quoddam remedium valet; ſed poſcit opinor neceſſitas, ut niſi id patientiæ veſtræ grave ſit omnia curatius ſigillatimque luſtremus.

§. 4.

Vocat nos primo ad ſui conſiderationem præparatio illa remediorum noſtrorum terreſtrium, quam ſimplicem denominare fas erit, quæ jubentibus ita recentiſſimis diſpenſatoriis hunc ferme in modum ſuſcipitur. Accipiunt ungulas, dentes, cornua animalium, eaque raſpata contundunt, & cum aqua quadam deſtillata minutiſſime terunt, dein exſiccant & uſui ſervant. Hac ratione præparantur cranium humanum, cornu cervinum, dens apri, hippopotami, ebur ſine igne, lapides carpionum, mandibulæ lucii piſcis, tali leporis, ungula alcis, unicornu verum &c. Præparatio ſimplex per contuſionem & tritum.

Ita ſola contuſione & tritura adſperſa ſubinde aqua quadam deſtillata præparantur corallia rubra & alba, lapides cancrorum, cryſtallus, gemmæ omnes, lapides omnes, ut Judaicus, lyncis, nephriticus, ſuccinum citrinum & album &c.

Qui omnia intenti miſerorum ægrorum commodis extrema ſollicitudine agunt, & præparatorum horum vires longe eminentiores reddere ſatagunt, ii ſingulis definitas ſuas aquas deſtillatas ſtricte adſignant præparando remedio, ejusque operationibus in corpus humanum ad amuſſim reſpondentes Quis enim non crederet cranii humani vim nervinam & antepilepticam augeri, ſi cum adſperſa aqua liliorum convalliorum teratur? Quis dubitabit margaritas, rubinum, Smaragdum, gemmasque alias eminentiorem obtinere virtutem cordialem, ſi inter lævigandum & triturandum ſubinde guttulæ quædam aquæ roſarum affundantur?

(*b*) in colleg. chym. Oper. p. 503.

tur? Anne res ipſa loquitur lapidis Judaici & nephritici poteſtates diureticas intendi, ſi cum aqua petroſelini lævigentur? Atque utrumque calculum felicius atterere, ſi cum aqua ſaxifragiæ admiſta in pollinem redigantur, imo vero ſpasmos nephriticos felicius ſiſtere, ſi hujus loco aqua malvæ recipiatur.

§. 5.

Calcinatio in veram calcem vivam.

Abundare ſinamus quemque ſuo ſenſu, neque invidenda ejusmodi ſapientiæ pharmacevticæ ſpecimina cuipiam vertamus vitio; progrediamur potius ulterius, illasque præparationes videamus, quæ calcinationis miniſterio hujusque variis modis ſuccedunt. Vidimus modo corpora terreſtria ex animali, æque ac minerali, regno deprompta ſolius contuſionis & triturationis ope redigi in pulveres ſolere, uſibus dein clinicis inſervientes. Hac vero præparatione non contenta pharmacopolia eadem corpora alii pulveriſationi inter Chemicos familiari ſubjiciunt, quam illi calcinationem appellant, diverſa iterum ratione adornandam. Hac quippe calcinatione, quacunque demum methodo exerceatur, corpora antea dura, ſolida, denſa ita deſtruuntur, ut abeant in pollines ſubtiliſſimos, aut ſaltem ut eam acquirant friabilem indolem, quæ pulveris formam leviſſimo tritu valet recipere, ut adeo calcinationem in genere ſpectatam rectiſſime pulveriſationem chemicam dixerit Celeb. TEICHMEYERVS *(c)*. Quando autem calcinationem terreſtrium corporum in remedia cedentium memoro, ante omnia de ipſorum transmutatione vi ignis intenſioris in veram calcem vivam verba facere teneor. In memoriam enim obſecro revocent Lectores mei haud ſaltem e lapidibus calcariis in variis Germaniæ Regionibus ſatis familiaribus parari ſolere calcem vivam, ſed & talem ex ovorum teſtis, ex cochleis, ex teſtis cancrorum, ex coralliis, ex omnibus conchyliis & oſtracodermatis marinis acerrimo igne confici, quæ cum aqua adſperſa effervescit, & valde urentem acrimoniam cuſtodit. Neque ignotum puto in Batavia omnia ædificia conſtrui calce ex oſtrearum teſtis, variisque conchyliis parata, quibus maris

(c) in Chemia Part. II. c. II.

ris littora ibidem refertiſſima viſuntur. Valde propterea a vero aberraret is, qui notabile diſcrimen inter calcem vivam e diverſis ſubjectis confectam ſtatueret, etſi ea quæ de ignea ipſius indole, hujusque effectibus dicenda ſunt, obſervante BOERHAAVIO (*d*) de calce viva ſaxea magis valent, quam de oſtracodermatis parata. Eſt cœteroquin omnis ſibi ſimilis, neque ulla ratione diſcrepat ſive ex conchis, ſive ex lapide, ſive ex alia quadam materia uratur. Recte igitur pronunciavit ETTMVLLERVS (*e*) *Teſtæ ovorum calcinatæ ſunt inſtar calcis vivæ*, & alibi: (*f*) *Oſtracodermata poſt calcinationem abeunt in perfectam calcem*, atque in diſſertatione de præcipitantibus (*g*): *Calcinata oſſa ad calcis naturam accedunt*, tandemque alio iterum loco (*h*): *Conchæ calcinatæ ſe habent inſtar calcis vivæ.* His omnibus igitur ſobrie penſitatis ultro appareat neceſſe eſt, illa præparata terreſtria, quæ vere ad calcis vivæ ingenium accedunt circumſpecte admodum, ſeriaque deliberatione ægris exhibenda eſſe, utpote nervoſæ compagi infeſta valde & hoſtilia, etſi providi artifices inde quorundam morborum aquoſorum præcipue & a laxa nimis fibra pendentium medelam petunt. Atque id omne quidem non minus de famoſo illo ſpecifico antifebrili Crollii aut Strobelbergeri intellectum volo, quod ex inventoris mente e conchis ad albedinem calcinatis conficitur, meaque ſententia ad inſecura contra febres remedia referendum eſt. Idem ſane mecum inter alios cenſet clariſſ. GOERITZIVS (*i*) cujus ipſiſſima verba huc adſcripſiſſe operæ pretium erit: *Conchæ præparatæ ſi calcinantur ad albedinem*, inquit, *ſunt vera calx viva, etſi modus ille eſt parandi ſpecificum antifebrile Strobelbergeri, ſed juxta Wedelium omiſſa calcinatione macerando ſaltem cum aceto vini ſunt præparandæ, aliter ſua acredine ardorem in ventriculo & faucibus cauſantur.* Nec ignotum rerum pharmacevticarum gnaris autumo, hanc ſpecifici antifebri-

lis

(*d*) in Chem. Tom. II. p. 275.
(*e*) Oper Tom. I. p. 601.
(*f*) in Collegio pharmacevtico in Ludovic. operum Tom. I. p. 860.
(*g*) Cap. III §. 7.
(*h*) Operum Tom. I. p. 906.
(*i*) in Act. phyſ. medicis Nat. Curioſ. Volum. III. obſ. 25.

lis Strobelbergeri præparationem Wedelianam hodie fere communi conſenſu alteri præferri, adeo ut oblitus quaſi veteris præparationis Cel. JVNCKERVS (*l*) ſimpliciter pronunciet, *antifebrile Strobelbergeri conſtat ex conchis acido citri ſaturatis.* Atque hæc de terreorum remediorum præparatione, vi calcinationis in veram calcem vivam abeuntium, ac ita in corpus animale agentium memoraſſe hac vice ſufficiant.

§. 6.

Calcinatio philoſophica.

Ordo dictat, ut obiter annotata uſtione cornuum cervinorum in fornace figulino ad albedinem usque inſtitui ſolita, ad philoſophicam calcinationem, quam vocant, pedem promoveamus. Hæc oſſibus cornubusque animantium uſibus medicis inſervientibus præcipue deſtinata ita ut notum inſtituitur: Suſpendunt in capitello parteve ſuperiori veſicæ fruſta cornu cujusdam philoſophice calcinandi, ut aſſurgens aquæ vapor id penetret, emolliat, & friabile reddat, quare & aliquibus hæc calcinatio vaporoſa appellatur. At plerumque in Officinis oſſa philoſophice calcinantur non in alembico, ſed coquuntur diu ſatis in aqua, donec mollia & manu friabilia reddantur. Purificantur tum, cortice exteriore nigricante ſeparato, ſiccantur, atque in pollinem teruntur. Ita paratur cornu cervi philoſophicum, cranium humanum, dentes apri, hippopotami &c.

§. 7.

Calcinatio corroſiva.

Reſtat adhuc calcinatio corroſiva, ſeu præparatio magiſteriorum, de quibus aliqua ut adnectam inſtituti ratio utique poſtulat. Fiunt illa ex gemmis, ex cornubus, dentibus, aliisque partibus animalium oſſeis & teſtaceis. Hæc omnia quippe groſſe contuſa vel raſa beneficio aceti deſtillati vel alius liquoris acidi corroduntur & ſolvuntur; ac dein communiter cum oleo tartari per deliquium ſolutioni inſtillata præcipitantur pollines ſubtiliſſimi, ut plurimum candidi, aqua communi abluendi, & dein exſiccandi, magiſteriorum nomine tum ſalutari ſoliti. Habentur ita confecta magiſteria concharum, coralliorum, cornu cervi, cranii

(*l*) in Therap. gen. Tab. IV, p. 140.

cranii humani, dentis apri, lapidum cancrorum, mandib. luc. piſc. matr. perl. lap. Judaici, lap. percar. perlarum, rubinorum, ſapphirorum, ſmaragdorum, terrarum ſigillatarum, ungulæ alcis &c.

Sane vix dici poteſt, quantas olim tribuerint vires ſuperſtitioſi & nimis arti ſuæ faventes Chimiatri ejusmodi magiſteriis; ut in medendo panaceæ, clavæ Herculeæ ac remedia panchreſta haberi ea mererentur, ſi vera eſſent omnia, quæ de iisdem illi mentiuntur. At eluſa toties ſpe, quam impudens jactantia inflaverat, lapſaque eapropter, utpote ſolis umbris & nebulis nitente medentum fiducia, ſegnius tandem uſurpari cœperunt in artis exercitiis magiſteria, laudesque iis affixæ, quas compilare, & huc tranſcribere tædet, fabulis in medicina eheu! ſatis obviis ex merito fuere annumeratæ. Mihi equidem eadem de viribus magiſteriorum in corpus humanum animo ſedet ſententia, quæ in appendice ad animadverſiones in pharmacopœiam Auguſtanam prolata legitur a ZWELFERO: *Vulgaria magiſteria*, ait, *ſunt mortuæ calces, ventriculum ſaltem & inteſtina albugine obducentes, gravantes, diuque indiſſolutæ illis adhærentes, aut ſi e ventriculo elabantur, vaſa obſtruunt, concoctiones impediunt, ac tandem morbos graviſſimos inducunt.* Anne autem hoc idem eſt dixiſſe ac ſi cum celeber. HOFFMANNO (*m*) & autoribus diſpenſat. Brandenb. affirmavero, eſſe magiſteria calces nullius in medicina uſus. Neque ullum ſupereſt dubium, illud quod de magiſteriis terrarum ſigillatarum edixit ETTMULLERUS valiturum de magiſteriis quibuscunque. *Magiſteria terrarum ſigillatarum*, inquit, *acido menſtruo parata, & cum ſale tartari præcipitata ſunt calces inertes de acido & alcali ſimul licet inſenſibiliter participantes, adeoque nullarum virium.* (*n*) Valde itaque miratus ſum Celeb. cœteroquin Chemicum Lipſienſem GOTHOFR. ROTHIUM (*o*) fautorem magiſteriorum ſemet profiteri, ac præter rem ipſorum uſui clinico patrocinari, quando in ea verſatur opinione, non requiri ad bonitatem

B tatem

(*m*) Diſſ. de medicamentis alterantibus §. 7. & 8.
(*o*) in Coll. pharmacevt. in Schrœd. Operum Tom. I. p. 712.
(*n*) in Chymia p. 147.

tatem remedii, ut totum in ventriculo ſolvatur & in maſſam ſanguinis abeat, ipſa adeoque magiſteria etſi antacidam virtutem non habent, tamen alias vires diureticas, roborantes, leniter adſtrictorias, exerere poſſe. Quod ſane uberiori adhuc demonſtratione eget, & ipſi niſi omnia me fallunt aſſerto Rothii repugnat. Illud etiam pulchre perſpectum teneo ſuperius a me allegatum ZWELFERUM minus bene de magiſteriis vulgaribus ſentientem, utpote a liquidis corporis humani non ſolvendis, modum propoſuiſſe parandi magiſteria ut dicit ſolubilia, nempe per menſtruum quoddam, ex floribus æris, an vero is ſit melior, atque an tum magiſteria ſic parata majores vires poſſideant, ego in medio relinquo, ſed valde dubito.

§. 8.

Præparatio arcana.

At vero quid opus eſt? ut plura de hiſce rebus proferam in medium; quarum vanitatem in vulgus notam autumo, dolendum valde quosdam medentum non contentos receptis ubique Pharmacopœorum calcinationibus philoſophicis, corroſivis, & aliis e laſciviente cerebello peculiares quasdam & ſingularis ac arcani quippiam fovere viſas præparationes terreſtrium remediorum produxiſſe, quaſi ſibi ipſis in luſibus & ineptiis placerent. Indulgeatis obſecro Lectores mei ingenue quærenti, quid vobis videatur de methodo ſingulari Zwelferiana terras medicinales ad uſum præparandi, quam ipſiſſimis auctoris verbis vobis proponere operæ pretium duco. Evolvite quæſo animadverſiones in Pharmacopœiam Auguſtanam, & ibidem ubi de præparatione boli armenæ agit (*p*) ſequentia præcepta invenietis: *Omnem terram pinguem præſertim aſtris imprægnatam ſaleque centrali imbutam eſſe neminem eſſe credo qui eat inficias; atque hoc ablato, omni etiam virtute terra ſpoliatur. Quid autem aliud hac præparatione, quæ per frequentes abluitiones fit cum aqua, vino & aceto, efficitur amplius, quam quod potiores terræ virtutes dicto in ſale (quod in quovis liquore reſolubile eſt) fundatæ eluantur. Itaque cum qualibet bolus ſatis pura inveniatur ac fere nullis vel paucis lapillis commixta, qui tamen facili negotio manuum opera ſeparari*

(*p*) p. 405.

parari poſſunt, relinquamus hanc ineptam præparationem. Si autem alicui volupe eſſet bolos vel terras medicinales majoribus virtutibus impragnare, is illas rore majali vel aqua pluviali ingenti tonitru ac fulgure delapſa frequenter imbuere ne gravetur, quo facto illas aëri & aſtris exponat, ac ſponte vel leniter exſiccare ſinat, a radiis vero ſolaribus interdiu ſtudioſe præſervet. Fallor, aut iſtiusmodi ridicula artificia ſæpe bilem ſæpe jocum movere debent ingenuis & doctis Lectoribus; indignabunda ſaltem admiratio habebit eorum animos, ubi ineptisſimas hasce fabulas totidem verbis transſcripſiſſe ex ZWELFERO in clavem ſuam Clar. HOFFMANNUM animadvertent, atque (eheu! pudet dicere) ipſum palam adſeruiſſe legent, terras medicinales mirificis viribus hac ratione confortari. Qui æque ſtolidam terrarum ſigillatarum præparationem & ſpeciatim adverſus peſtem & venenatos animalium morſus commendatam animi gratia videre cupit, adeat PETR. POTERIUM (q) ipſas in urinali vitreo in fimo equino per aliquot dies recondentem & ita energiam ipſarum augeri autumantem.

§. 9.

Saturatio terreorum cum ſucco citri.

Nolo tempus terere recenſione ulteriori inutilium ejusmodi inventorum pharmaceuticorum, ſed jubet recentior in officinas introducta præparatio, quam ſaturationem cum acido citri vocant, ut de eadem pauca exponam. Notum in vulgus eſt hæc enchireſis, neque opus ut eandem fuſius deſcribam; atque & illud nemo ignorat eam inter terrea remedia conchis præcipue ac cancrorum lapidibus deſtinari. Sunt certe modernorum Practicorum haud pauci, qui conchas citratas tantopere amant, ut pluribus quas præſcribunt formulis easdem adjiciant, multa inde bona ſibi promittentes. Atque, ut nil diſſimulem, videntur mihi Medentum aliqui inter ſelectiora ſua & experta remedia terrea ejusmodi acido ſaturata referre, & arcani quippiam ipſis adſcribere. IUNCKERUS certe *marina acido citri ſaturata ad mucum ſolvendum in pectoris affectibus* collaudat (r) & quid pro-

(q) Operum p. 525.
(r) in Conſp. Tab. XXX. p. 264.

deſt aliorum elogia appoſuiſſe. Ego meam qualemcunque ſententiam ut aperte eloquar, intelligere hactenus nequivi, quid tandem boni uſibus clinicis ex ejusmodi præparatis officinalibus accedat; viresque eorundem ſingulares adhuc dum ingenue ignoro. Salva ſint Doctorum Medicorum judicia, at palam nihilominus aſſeverare auderem, ſatis commode nos carere poſſe terreis acido ſaturatis in artis exercitiis, quicquid polychreſti tandem præ ſe ferre videantur. Atque ſaturetur abſorbens quodcunque acido citri ſucco, quid inde? Non agit amplius in corpore, ut abſorbens, nec agit, ut acidum; ſed ipſa ſaturatione emerget aliquod ſal mediæ naturæ, at ut facile conſtat parca admodum quantitate. Abſit a me, ut huic ſali vires medicas derogatas cupiam, an autem opus eſt, ut ſalia media, quibus officinæ abundant, quæ largiſſime aliunde petuntur, exigua quantitate ex concurſu abſorbentis cum acido creemus. Anne duo grana ſalis medii cujuscunque idem præſtabunt ac drachma dimidia vel & integra forte lapidum cancrorum acido citri ſaturatorum? Anne igitur æger omnem hanc terream molem fruſtra deglutit, cujus ſal parce admodum terræ adhærens unice alicujus bonæ operationis in corpore animali eſt capax. Sane ſi quid video, aut aliquis demonſtrare debet ſali huic ineſſe præ aliis mediæ naturæ ſalibus prærogativam, aut ultro concedere tenebitur pertinere ſaturationem abſorbentium cum acido citri ad compendia per diſpendia, & ad operas pharmaceuticas ineptas ac inutiles.

Plura dicam: Præſtabat forte ſæpius porrexiſſe abſorbens absque omni prægreſſo tali artificio quam extinxiſſe citri ſucco ejus virtutem antacidam, quæ ventriculo acida colluvie ſcatenti amica & utilis futura erat. Jure hic apponere poſſum verba cl. ETMVLLERI, qui in diſſert. de uſu & abuſu præcipitantium ea acidis ſub præparatione ſui non nimis tractanda eſſe præcipit, quia exſuuntur alias vi ſua abſorptiva & inverſiva, adeoque fruſtra propinantur. Quantum enim extra corpus ſaturantur magis acidis, eo minus intra corpus inſerviunt iisdem corrigendis. (ſ)

Atque

(ſ) Cap. III. §. 11.

Atque eapropter omnino neſcio, quomodo tolerari poſſit, & quid tandem peculiaris polliceatur Diſpenſatorii Brandenburgici *pulvis*, ut dicitur *abſorbens citratus* e lapidibus cancrorum cum acido citri ſaturatis conſtans, quum ſi a viribus ita dicitur mea ſententia contradictionem in adjecto involvat; ſtatim enim abſorbens pulvis eſſe deſinit, quando incipit eſſe pulvis citratus.

§. 10.

Vellem nunc, poſtquam varias in Officinis adhucdum obvias terreorum medicaminum præparationes adnotavi, ut omnes illi Medentum, qui eas tolerant, defendunt, amant, gnaviter & candide profiterentur, quæ tandem inter illa præparata multiplicia reliquis putarent præferenda, atque an rationem veram & ſufficientem proferre in medium valeant, cur hoc tempore hoc, cur alio aliud præſcribant. Ego quidem maximopere vereor, ne vel Practicoti in arte viri ingenue neſciant, quis genius manum ipſis modo ad antimonii diaphoretici, modo ad concharum præparatarum, modo ad Cornu Cervi ſ. igne vel uſti, vel philoſophice præparati ordinationem adigat. Scribunt quippe candidi quicquid terreorum primo menti calamoque obverſatur, facillime ad mutandam pulveris præſcripti formulam proni futuri, ſi aliam æger poſceret, cujus electionis ſufficiens fundamentum æque non perſpirent. Ignorant nempe, ut vera loquar, aut non curant ſaltem, quid bezoardico ſuo minerali, vel ſuis dentibus hippopotami vere effectum in corpore velint, an effectus quem intendunt rationi congruat, an a pulvere tali conſiderato probe phyſico morbi ingenio deſiderari prudenter, expectarique poſſit. Equidem de differentiis & prærogativis præparatorum terreſtrium in Officinas receptorum diſceptatum paſſim eſt a Viris doctrina & praxi celebribus, ſuntque inter eos haud pauci, qui licet omnia, ut facile poſſent, flocci non faciant, aliqua tamen jure negligenda eſſe, & reliqua majoribus, ut ſibi perſuadent viribus pollentia in uſus clinicos vocari debere autumant. Movit inter alios ſpinoſam hercle quæſtionem celeberrimi nominis cœteroquin Medicus Daniel Sennertus, *an aliqua*

Lites de Prærogativis Terreorum.

detur inter Cornu Cervi ſine uſtione & cum uſtione præparatum differentia? (*t*) Hac autem ſententia prolata litem omnem dirimendam judicat. *Non exiguam inter utrumque dari differentiam exiſtimo, nam Cornu Cervi cum uſtione paratum, neque ſpirituoſum, neque oleoſum aliquid, neque ſalem volatilem amplius habere certum eſt. In Cornu Cervi vero vapore aqueo præparato & non uſto ſaltem mucilago illa glutinoſa, quæ eſt ſuccus alimentarius Cornu Cervini ſeparatur. Superſunt autem ſpiritus aut liquor & oleum ac ſal volatile, quæ omnia in eo adhuc reperiuntur, id quod in deſtillatione per retortam pateſit, qua & ſpiritus & oleum & ſal volatile ex eo elicitur, carbonibus etiam injectum odorem, qui ſpiritum & oleum refert, ſpargit, qualis in uſto non percipitur.* Ita Cornu Cervi ſine uſtione præparatum, ſeu philoſophice calcinatum ægris inſervire poſſe Clar. SENNERTVS largitur. Sed huic iterum ceu inutili in medicina pharmaco Cornu Cervi crudum ſubtiliter & minutim raspatum præferri debere ZWELFERVS probare nititur, en propria ipſius verba: *Quamvis Cornua & oſſa qualicunque calcinatione quam philoſophicam appellant, quæ per vaporem aquæ ferventis cujuscunque peragitur, tantopere non deſtruantur, ſuisque nativis viribus perinde ſpolientur, atque alias in violenta illa calcinatione ſive præparatione, quæ per totalem combuſtionem perficitur, nihilominus non parum ipſis & hoc modo detrabitur. Et licet ex cornibus vel oſſibus ita philoſophice præparatis ac deinde deſtillationi ſubjectis de ſpiritu, ſale volatili & oleo ipſorum fœtido non nihil eliciatur, non tamen propterea exiſtimandum ipſa adhuc iisdem quibus crudum cornu pollere viribus, vel majoribus etiam (prout nonnulli ſibi imaginantur) vel etiam, uti alii arbitrantur hac calcinatione nil aliud peractum fuiſſe, quam quod friabilia ad pulveriſandum aptiora & magis pura reddita ſint. Quippe qui ambo cornua tam crudum, quam philoſophice calcinatum examini ignis ſubjiciet, re ipſa deprehendet, multum de nativa ſua humiditate, ſale volatili & oleo huic cornu philoſophice calcinato detractum eſſe, & eorundem vix parte quarta adhuc gaudere, ut propterea & hanc calcinationem philoſophicam licet*

(*t*) in Paralipomenis p. 64.

licet totali uſtione aliquanto meliorem approbare nequeam, e contra vero ipſum crudum C. C. ſubtiliter & minutim raſpatum pluris æſtimem, quod tamen diverſimode parari inque virtutibus ſuis exaltari poteſt. (*u*) Age videamus animi gratia, quomodo bonus vir exaltationem hanc virium medicinalium in cornu cervino ſi Diis placet repoſitarum moliatur. Iterum Lectoris venia ipſiſſima ejus verba appono: *Recentes Cervorum corneæ excreſcentiæ poſt cornua decidua provenientes vocantur Typhæ. Has ipſas tenellas adhuc molles, lanuginoſas ac ſanguine turgidas typhas jam una cum cruenta illa maſſa ex qua enaſcuntur mactato cervo accipe, easque fruſtulatim inciſas cucurbitæ vitreæ immitte ac lente deſtillando calore M. B. exſicca, aquam prolectam bis, ter, quaterque cohobando. Tandem materiam vel maſſam in fundo cucurbitæ relictam in pulverem ſubtiliſſimum redige, qui ſpreto C. C. uſto & philoſophice calcinato ſtudioſe aſſervandus eſt.* (*v*) Hic pulvis ita præparatus deinde ingreditur Zwelferi pulverem bezoardicum cervinum, alexipharmacum cervinum, antepilepticum cervinum &c. (*x*)

Vidimus ita Cornu Cervi diverſimode uſibus medicis adaptatum & gradu virium per ſcalas quaſi adſcendens atque unum ſemper ab altero ſuperatum. Adhibetur utique ad hunc usque diem in praxi C. C. uſtum, ſuperat hoc ex mente Sennerti C. C. philoſophice præparatum, præpollet iterum Zwelfero judice C. C. ſimpliciter minutim raſpatum. Omnibus his tamen palmam præripit ex ejusdem Zwelferi ſententia raspatum & peculiari ſua methodo exaltatum.

Quodſi igitur de gradu quo morbus affligit judicare ſciverit peritus artifex, habebit ſemper de quo ægrum ſuum ſoletur, ſecundum ordinem & menſuram. Fingamus hujus rei exemplum; Cornu Cervi eſt remedium alexipharmacum, ſubſcribunt Practici; laboret ergo æger quispiam maligna febre, initio morbi ſufficiet *C. C. uſtum*, increſcente malo opus erit *C. C. philoſophice*

(*u*) in animadverſionibus in pharmacop. Auguſt. p. 463.
(*v*) ibid. p. 466.
(*x*) loc. cit.

phice præparato, ſupremæ malignitatis notis ſeſe offerentibus confugiendum erit ad *C. C. crudum*, *ſimpliciter raſpatum ac pulveriſatum* & ægro morti proximo exiſtente, ut conſcientiæ conſulatur, exhibebitur optime *C. C. Zwelferiana methodo exaltatum*, aut forte adhuc convenientius *C. C. auratum Diſpenſ. Viennenſ.* ex croci ſolaris Scrup. 2. & C. C. philoſ. præp. unc. una conſtans. Sed ut omnia certius adjumentum afferant, non negligendæ cautiones Agricolæ (*y*) qui cornua ab interemptis cervis inter bina Mariæ feſta adſcenſionis, & nativitatis impetranda eſſe monet, ſi uſum præſtare debeant.

At abſit luſus in re ſeria, ego niſi præceps nimis & præmaturus in judicando viderer, amico Lectori in aurem interea dictum vellem, ad unum omnia hæc cornua cervina quocunque modo præparata eſſe inutilia, inſulſa & inepta pharmaca, ac fruſtra vel tantillum boni effectus inde expectari. Reſervabo hujus aſſerti ſeveriſſimam demonſtrationem peculiari tractationi quam alibi apponere non obliviſcar, neque enim quæ de ſale volatili cornu cervinum habitante gratis differunt viri in chemicis alioquin verſatiſſimi, me ulla ratione feriunt. Supervacaneum eſſe opinor adducere plures hujus commatis lites, pluresque diſceptationes, quæ circa differentias & prærogativas variorum aliorum medicaminum terreſtris indolis ventilatæ ſunt. Amat hic naturam, ille artem. Damnat hic ignem chemicum & ſuffurari remediis terreſtribus, quicquid energiæ poſſident, audax clamat, quando ille ſecretas vires intempeſtive inertiſſimis calcibus affingit, quod chemicum quid ſpirant. *Plurima ſimplicia*, ſcribit Helmontivs, (*z*) *ſpecificam proprietatem per præparationem magisque per ſeparationem & ignem amittunt. In ungula alcis & bezoardicis quiddam eſt quod crudis ſimplicibus proprium eſſe mavult.* At bone DEVS quantum alii chemicis pulveribus tribuunt! quam longe omnibus fere medicaminibus præferuntur a Chymiatris artis ſuæ idololatris bezoardica ut vocant mineralia, ſolare, Jo-

(*y*) in libro cui titulus: Cervi tum integri & vivi natura & proprietas, tum excoriati & diſſecti in medicina uſus.

(*z*) in tractatu cui titulus: Tria prima principia, Operum p. 257.

Joviale, martiale! Quam portenſa commenta de iisdem in Practicorum monumentis proſtant! cum tamen recte annotante IUNCKERO (*a*) *ſimplex illud antimonium diaphoreticum bezoardico minerali prærogativam non concedat.* Atque quid prodeſt tandem plura commemorare, ſatis opinor a me oſtenſum eſt, nil certi conſtare inter Medicos de differentiis, uſibus prærogativis illorum remediorum quæ terreſtrium nomen merentur, quid ergo mirum eadem intempeſtive ac inutiliter ſæpe ſæpius porrigi, atque ſine omni diſtinctione uſurpari, etiam iis in morbis quorum verum ingenium nil minus quam terreorum uſum indicat.

Capvt II.

Terreis encomia ſumma tribui, eaque creberrime uſurpari a Practicis, non tamen ſemper ſine damno, exponit.

§. I.

SCilicet negari nulla ratione poteſt terrea medicamenta præ omnibus aliis cujuscunque demum ſint generis, creberrime in praxi uſurpari; ut vel amatores eorundem æquo animo rem penſitantes ultro confeſſuros credam, ad abuſum usque ea ægris porrigi. Volo nimirum hoc terreorum nomine omnia illa intellecta, quæ §. I. ſigillatim recenſui, atque ut & impoſterum, quando terreſtria remedia hoc opuſculo nominata invenient, me de univerſo illo catalogo in genere ſpectato verba facere Lectores mei reminiſcantur, obſecro, quod ipſum hic ſemel inculcasſe ſufficiet. Sæpe ego miratus ſum viros in arte principes eo potuiſſe procedere, ut terrena remedia mihi ſine præjudicio eorum vires æſtimanti toties inania viſa, polychreſta vocent, & inter ſelecta medicamenta jure referenda eſſe ſcribant. Taceo lubens loca, quæ magna copia in libris ſeſe offerunt, ne Medicos ſummi nominis carpere videar, quorum merita ultra cenſuram poſita violare nefas duco, licet in Medicina nullas autoritates,

Terrea ad ſtuporem laudantur a Practicis.

(*a*) in Conſp. Tab. LX. p. 577.

tes, nulla in intellectum dominia agnoſcam. Quem enim Medentum fugerent laudes vel ſolis abſorbentibus remediis affixæ, quæ partem ſaltem terreorum medicaminum complent, & quis neſcit illa recepto Practicorum more ea ſæpe copia aliis pharmacis aut adjici aut interponi, ac ſi ad omnem eorundem energiam abſorbendam ſtudio deſtinarentur. Apponam pace Cl. ALBERTI elogium abſorbentibus ab eo in diſquiſitione de medicamentorum modo operandi dicatum, ut aliqua ratione fidem aſſerto meo conciliem. *Abſorbentia*, inquit, *quæ ſingularem uſum & utilitatem in medicina habent, alienarum materiarum præcipites noxias efficacias hebetant, enervant, obtundunt, & veluti reſorbent, ne ſui juris maneant, & in ſimplici concentrata ſua qualitate noxam pariant. Hac ratione hæc abſorbentia remedia variis aliis operationibus therapevticis ſubſerviunt, & abſtergentibus, aperientibus & nonnullis aliis cooperantem ſuam utilitatem conciliant.* (*b*) Quid dicam de lapidibus pretioſis in quibus magnam eſſe virtutem HELMONTIUS (*c*) aſſeveravit, qui tot remediorum officinalium compoſitionibus gratis ad hunc diem adjiciuntur, & pudet dicere a ſuperſtitioſis Medicis nondum negliguntur, etſi ſole meridiano clarius eſt, ea ad nulla alia remedia quam ſimpliciter terreſtria referenda eſſe. Atque non-tantum in genere terrea, neque tantum claſſes certæ terreorum in genere hyperbolice deprædicantur a Medicis, aut nimis credulis, aut obiter nimis in veras eorundem vires inquirentibus, ſed quod mirum dictu omnino videri poterat, integri libri proſtant unius terrei, unius abſorbentis remedii virtutes ita complectentes, ut Lectoribus ad Horatii ſtylum ſæpe bilem ſæpe jocum tanti tumultus moveant. Adeat qui ingemiſcere ridens & ridere ingemiſcens cupit *Gammarologiam Sachſianam*, ac in ea virtutes lap. cancr. medicas inveniet, quas in iis in æternum non quæſiviſſet, de quibus ne per ſomnium quidem cogitaſſet; ita nempe panchreſtum hoc remedii genus extollitur, ut valde mirum ſit cur lecto hoc opuſculo Medici ſibi nondum religioni duxerint, ſi lap. cancr. admiſcere omnibus quas præſcribunt formulis negli-

(*b*) Spec. III. p. 149.

(*c*) Poteſtas medicaminum operum p. 297.

gligant; Cur non miſſis aliis medicaminibus ſolis cancr. lapidibus curare morbos graviſſimos aggrediantur. Magnam eapropter gratiam ſine dubio inivit CRVGERVS apud Practicos lapides cancr. in deliciis habentes, quod candide docuerit quomodo oculi cancr. factitii, quales e conchis oblongis paratos obſervavit, a veris dignoſcendi ſint. *Multum intereſt*, inquit, *ut verorum oculorum cancr. nobis ſit copia. Equidem non diſſimulo eos easdem acidum annihilandi cum conchis & margaritis habere vires, interim tamen plus adhuc iis ineſſe dudum obſervavi. Nam lapidem bezoardicum imitantur quoad vim bezoardicam, ſudoriferam & expulſivam, urinam movent, calculum frangunt, ſanguinem coagulatum diſſolvunt, pleuritidem diſcutiunt, colicæ medentur, vulnerarii ſunt &c.* (*d*) Atque has ipſas & longe plures virtutes medicas ineſſe cancrorum lapidibus, perſvadere credulis poterat noviſſima editio *Diſpenſatorii Brandenburgici* ingensque ibi obvius pulverum apparatus quibus omnibus oculi cancrorum admiſti ſunt. Ingrediuntur nempe I. *Pulverem bezoardicum Sennerti*, II. *bezoardicum anglicanum*, III. *abſorbentem citratum Stahlii*, IV. *abſorbentem nitratum ejusdem*, V. *abſorbentem tartariſatum*, VI. *pulverem antimonialem album Stahlii*, VII. *pulverem antinephriticum*, VIII. *pulverem contra calculum*, IX. *pulverem contra caſum*, X. *contra febres*, XI. *Cordialem*, XII. *Galactopœum*, XIII. *pulverem incidentem Stahlii*, XIV. *pulverem pleuriticum*, XV. *præcipitantem*, XVI. *ſtomachicum Birckmanni*. Crediderim ego ſatis hunc pulverum catalogum probare quam multis indicationibus explendis lapides cancrorum pares fuerint judicati.

Dicite amabo Lectores mei, quis plura ab uno eodemque remedio expectaret, quis plura deſideraret jure! Sed adhuc patiamini precor, ut vobis citem hiſtoriam Coralliorum a GANSIO conſcriptam, fidemque faciam vos inibi coralliis ſi non majores, pares tamen laudes tributas fere inventuros ac SACHSIVS & CRVGERVS cancr. lapidibus perperam aſſignarunt. Si ſatis otii vobis ſuppetit, ut evolvere queatis AGRICOLÆ librum cui titulus:

(*d*) M. N. C. Dec. III. Ann. 3. obſ. 147.

Cervi tum integri & vivi natura & proprietates, tum excoriati & diſſecti in medicina uſus, atque ſimul cum eo conferre volueritis *Elaphographiam Joh. Andr. Grabe*, monſtra elogiorum cornibus cervinis adſcripta mirabimini. Liceat ſaltem illud hic tranſcribere, quod in fronte Grabius præmittit, en ita ſe habet in extenſo ſplendidus ſplendidioris operis titulus: *Elaphographia ſeu Cervi deſcriptio phyſico-medico-chymica, in qua tum cervi in genere quam in ſpecie ipſius partium conſideratio theoretico-practica inſtituitur, ad multifarium uſum præſertim medicum omnibus fere corporis humani affectibus ceu Panacæa apprime conveniens.* O nos beatos Medicos! Si plena hujusmodi ſcriptorum extaret Bibliotheca, largitura theſaurum ſanitatis & longævitatis nullo ære redimendum, nulli alii æquiparandum.

§. 2.

Et in praxi clinica hodierna creberrime uſurpantur.

At ſi inane hoc votum ſit, ſi inter deſiderata medica pertineat, æquo animo defectum feramus librorum, omnium reliquorum terreorum medicaminum dotes ſeorſim exponentium. Effecere enim allegati & alii quidam qui allegari poterant, ut ad hunc diem Medici clinici admodum liberales inveniantur in remediorum terreſtrium præſcriptione. Non enim ſufficit, ut pulverum forma in quibuslibet fere ægritudinum generibus ad nauſeam ventriculo obtrudantur, ſed & potionibus variis, emulſionibus, electuariis, emplaſtris grandi mole adjiciuntur. Si curioſos rerum harum luſtrare materiem non pigeat pulverum tonicorum, adſtringentium, alexipharmacorum, bezoardicorum, cordialium, anodynorum, antiſpasmodicorum, antepilepticorum, anticatarrhalium, antifebrilium, antidyſentericorum, ant-orgaſticorum, cephalicorum, nervinorum, diaphoreticorum, lithontripticorum &c. quorum formulæ quotidie magna copia ad Pharmacopœos transferuntur, patebit certo, eosdem ſi non plenarie ſaltem maximam partem terreis conflari. Atque quot potiones ut appellantur diapnoicæ ægris ordinantur, quæ C. C. præpar. antimonium diaph. bezoardicum minerale, matrem perl. non recipiunt? Nonne manca videretur pluribus, minusque ſuf-

fectu-

fectura ad ciendam diureſin præſcripta potio, ſi lapides cancr. teſtæ ovor. conchæ præp. in fundo vitri non ſubſiderent. Quis neſcit miſturarum antiſpaſticarum ex aquis fragrantibus concinnatarum vires, ut communis fert ſententia, augeri & intendi additione pulveris ungul. alc. dent. hippopot. lapidis manati, unicornu veri, cranii humani. Et ut rem omnibus notam non prætermittam, quem fugit laudabilis mos nonnullorum Practicorum ægris ad extremam debilitatem adductis, atque animam agentibus ceu viaticum quoddam ex hac vita in aliam meliorem, ordinandi potiunculas analepticas margaritarum pulvere largiter oneratas, nunquam in miſeri ægrotantis, ſed in ridentis pharmacopœi emolumentum & ipſius præſcribentis certiſſimum ſuperſtitioſæ ignorantiæ teſtimonium. Quæ de potionibus dixi de emulſionibus repetere nolo, eadem enim ſors ipſis accidit, ut turbidiores adjectione variorum pulverulentorum reddantur, guſtumque offendant, cui cœteroquin præ multis aliis pharmacis favere deprehenduntur. Et quid electuaria demum memorare juvat? quæ dum variis intentionibus a Medentibus deſtinantur, modo hos modo alios terreſtres pulveres ſibi admiſtos gerunt, temperanti, vulnerario, antifebrili, diaphoretico, diuretico ſcopo ordinatos. Emplaſtra tandem, quorum multa confuſum chaos ſunt ac uſum haud præſtant, quem præſtare reputantur, quemque nomen indicat, etiam in ſinu ſuo glutinoſo, reſinoſoque fovere interdum terreos pulveres mirum videri poterat, quum eo ipſo illi inutiles habendi ſint, quod per ſe poros cutaneos obſtruere quidem poſſint, ſed intrare nequeant, maxime cum viſcoſa emplaſtri materie irretiantur & involvantur. At interea non adeo raræ ſunt in Officinas transmiſſæ a Practicis formulæ, quæ ad empl. diaph. Myuſ. antimonium diaph. & ſuccinum præp. recipi jubent, & quis in hiſce rebus verſatus neſcit decantatum in Diſpenſ. Vienn. recentiſſimo emplaſtrum ad abortum conſtare ex variis glutinantibus, ipſisque admiſtis terreis adſtringentibus, ut alia nunc hujus farinæ exempla taceam. Sane ſi his omnibus probe ponderatis computum inire vellemus veritatis limites vix eum exceſſurum crederem, qui aſſerere haud vereretur, in urbe ampla,

 qua-

qualis noſtra eſt VRATISLAVIA, mille forte libras terreſtrium remediorum per anni ſpatium ab ægrotantibus abſumi. Illud ſaltem eſt certiſſimum quod moles diſpenſatoriorum hodiernorum recentiſſimis editionibus teſtibus, nullo eorundem excepto, ultra tertiam partem decreſceret, ſi carerent terreis remediis, adeo horum farragine inutili adhuc dum ſcatent, dum omnium ferme pharmacorum genera ingrediuntur. Eheu! quantus in hisce libris fatuus & inanis, ut aliorum, ita & terreſtrium medicaminum apparatus! quis vero numerum definiet ſecretis & arcanis pulverulentorum remediorum formulis, quas plerique Practicorum in uſus ſuos ſibimetipſis concinnant, quas a Viris auctoritatem in medendo aſſecutis mutuantur, aut jure quodam hæreditario obtinuere. Si vulgi approbationem mereri potuit ejuscemodi pulvillus, vel felix ad Magnatum usque ventriculos penetravit, ſive proſit, ſive gratis aſſumatur, per ægrorum conclavia latiſſime vagari incipit Medentibus ipſis eruditis ſubinde imponens. Uſus Tyrannus! Doleant has turbas illi materiæ medicinalis ſcriptores, qui ad capita certa omnem remediorum apparatum redigere conati ſunt. Plaudo ego ipſorum ſtudiis, veneror bonos animos, ſed nunquam probo facilem calamum, ubique fere ſine ratione ſufficienti terrea larga ſerie adſcribentem. Sive enim in libris medicinalem materiam pertractantibus caput de adſtringentibus, ſive de antifebrilibus, ſive de antispasmodicis (& quid opus ut omnia ſecundum ordinem recenſeam,) evolvere aggrediar, nullum ferme invenio, quo locus ſuus terreis non tribuatur, quo jure, ex examine, quod inferius curatius inſtituam, dilucide apparebit. Ego quidem valde pertinere ad cautiones de limitandis laudibus remediorum, quales celeberrimus WERLHOFIUS elegantiſſime conſcriptas Medicis largitus eſt, terrea medicamenta dudum credidi. Utinam Practicorum multi ea ex hac penu quæ pro inanibus & futilibus ore & ſcriptis ſerio declararunt ægris ſuis non præſcriberent nihilominus! Utinam alii non feſtinanter nimis in operibus ſuis miſerrimis pulvillis adjeciſſent epitheta remedii optimi, egregii, incomparabilis, nobiliſſimi, divini, certiſſimi, infallibilis, & quæ ſunt alia. Me

quidem

quidem nec hæc elogia movent, nec ulla alia, ſed quoties commendata libris lego terrea remedia, vel formulam video ad Pharmacopolium transmiſſam, hujusque farinæ quisquiliis condecoratam, toties animo obverſantur Bagliviana verba, quibus ceu ſigillo muniri cupio ea quæ durius hoc paragrapho, at non inique, elocutus ſum. *Ego*, inquit, (*e*) *certe vix capere poſſum, quomodo medici indiſcriminatim ad omnes morbos pulveres teſtaceorum, & alcalicos, ut vocant abſorbentes, præbeant, qui non aliud revera ſunt, quam terra inutilis & caput mortuum mixtorum. Certum enim eſt ſtomachum noſtrum in ſtatu ſano vix digerere eos poſſe, quoniam difficulter in ſubſtantiam noſtram vertuntur, quanto minus in morboſo, in quo juscula tenuia vix digeruntur.*

§. 3.

Per abuſum vero etiam non raro damnoſa evadunt.

Probe hoc notent velim ii qui plenis buccis pulveres ſuos bezoardicos amica vel tenerioribus corporibus pharmaca clamant, atque nulli ægrorum noxam eos inferre aſſerere non verentur. Exiguam credo gloriam aſſecutus eſt Medicus, ubi remedium non nociturum præſcripſit, quis enim ægrorum eum unquam advocavit, ut non noceat; neque otioſum morbi ſpectatorem ullus ægrotantium deſiderabit. Proſit omnino oportet, ſi per ægritudinis naturam id licitum eſt, vocati Medici adventus; at infelicem ægrum, qui a macris inſipidis terreis pulveribus levamen expectare jubetur, fruſtra illud eheu! anhelabit, niſi vires vitæ Medentis incuriam & ſocordiam ſuppleant. Neque tamen adeo ſine omni limitatione verum eſt innoxie ſemper terreſtres pulveres deglutiri, cum exempla non deſint, ubi manifeſta ſatis & gravia damna largius paulisper uſurpati induxerunt. Nihil fingam, ne ex præconceptis opinionibus inſultare innocentibus remediis videar, nec quæ ipſe obſervavi prolixe enarrabo; at alienas experientias adducere opportunum erit, majus hic pondus habituras. Digna eſt, quæ primo loco a me referatur joco-ſeria hiſtoria in appendice ad animadverſiones in Pharmacop. Aug. a Zwelfero annotata (*f*) quam miſſis fuſius ibidem enarratis circum-

(*e*) Operum p. 388.
(*f*) p. 66. 67.

cumſtantiis, ut ſe habet, candide adſcribam. Æger erat prænobilis de gravativo pectoris ſtomachique ſenſu, nauſea & inappetentia conquerens. Acceſſerat his malis febris lenta, quamvis alias optima victus ratione, inſuperque pulvere cordiali & cephalico per tempus aliquod uſus fuiſſet. Vocatus in auxilium Zwelferus re bene perpenſa porrexit vomitorium lene, peractaque operatione ægrum inviſens bene eum habentem & magnum circa præcordia levamen ſentientem invenit. Luſtraturus ea, quæ per ſuperius & inferius guttur æger ejecerat, fere ad duas libras viſcidi & craſſi humoris in pelvi vidit, in cujus fundo ad digiti craſſitiem pulvis cineres albicantes colore referens pro ſedimento erat. Quæſivit per jocum Zwelferus an cineres comediſſet nobilis Patiens, & reſponſum ab eo audivit, ſe cineres quidem comedere ſolitum haud fuiſſe, pulverem vero pretioſum ejusdem fere coloris in ultimis Comitiis ſingulis diebus adſumſiſſe. Statim allata ſcatula, quæ pulverem talem continebat, una cum pulveris formula, qua inſpecta patuit, eum compoſitum fuiſſe ex magiſteriis perlarum & coralliorum, C. C. uſto præparato & pulv. Marchion. Ita perſpectis manifeſte juvantibus & nocentibus merito indignatus eſt æger, ſe hactenus haud exiguo ſumtu ægritudinem contraxiſſe, non niſi rejecto iterum prophylactico remedio redditum ſanabilem. Accedat lepidæ huic hiſtoriolæ alia parallela a SAMVELE LEDELIO *Miſcellaneis Naturæ Curioſorum* (g) inſerta cum inſcriptione: *Noxa a nimio uſu pulverum.* Aſſumſerat vir quidam per aliquot hebdomades quotidie duas vel tres doſes pulveris cujusdam terreſtris indolis, donec tandem ea remaneret ſtomachi debilitas, ut nil aſſumptorum amplius retineret, ſed omnia per vomitum rejiceret. Omnis medicatio erat fruſtranea, tandem dato emetico felici effectu, cum pituita viſcida magna copia rejiciebantur egregii pulveres, ſanumque relinquebant, quem aſſumpti ægrum reddiderunt. Ut trigam documentorum noxas pulverulentorum terreſtrium manifeſtas reddentium compleam, exorata Lectoris venia binis citatis adſcribam obſervationem Cl.

ALBER-

(g) Dec. II. Ann. 6. obſ. 24.

ALBERTI (*b*) Vomitum fruſti molem pugni majoris æquantis ex abſorbentibus remediis compacti exhibentem. Sic autem caſui recenſendo is præfatur: *Prudens medicamentorum ordinatio character eſt periti artificis, quo ab empirica Medicina diſtinguitur. Quod abſorbentia medicamenta attinet, ad eadem tam vilioris ſortis & indocti homines quam medici varii velut ad ſacram anchoram confugiunt, ita ut ſub quacunque morborum invaſione & ſenſatione thecas & ſcatulas ſuas Cornu Cervi aut lap. cancr. impletas arripiant, magnaque mole talia remedia ægris ingerant. Quanta vero damna a largo & liberali illorum uſu proveniant ante aliquot annos peculiari diſſertatione expoſui.* Sequitur tunc recenſio caſus ipſius huc rediens: Ægro febricitanti ſtudioſus contubernalis exhibuerat primo vomitorium, dein largius pulveres abſorbentes. Secuta inde eximia Cardialgia ad lipothymiam usque, una cum conatu vomendi, febrilis typus turbatus, peſſimaque alia accedebant ſymptomata, nullo medicamine conſopienda. Septimo die cum metu ſuffocationis accidit vomitus, quo magma & fruſtum mucidum albicans evacuatum fuit, ſecutus affectus ſoporoſus, nono die acceſſere ſpaſmi & mors. Quis crediſſet unquam, quis fando audiviſſet innocentiſſimis terreſtribus remediis aliquem fuiſſe necatum. Fides hic ſit penes autorem, neque aliquam nobis neceſſitatem impoſitam video, ut de veritate hujus rei dubitemus. Illud ſaltem neminem fugere arbitror, dari inter Medicos ſat multos qui caute mercandum eſſe cum uſu abſorbentium injungunt, & damna ſi non capitalia ſemper ſanitati, minimum multum mali afferentia inde provenire aſſeverant. Aperte ſcripſit Celeberrimus HOFFMANNUS: (*i*) *Abſorbentium ſeu ſic dictorum præcipitantium exhibitio non parum prudentiæ deſiderat, ſub ventriculi enim atonia, ſi is viſcidorum colluvie ſcatet, & ſalſi magis quam acidi ibi hærent humores eorum uſu plus nocuiſſe quam profuiſſe obſervatum eſt.* Atque quod mirum dictu videri poterat, ſæpe ubi cultro anatomico ſubjecta ſunt gravibus malis

(*b*) in Actis phyſ. med. N. C. Vol. II. obſ. 139.
(*i*) diſſert. de benignorum remediorum abuſu & noxa §. 15.

malis demortuorum cadavera, ac ſolenni extiſpicio Medici cum Chirurgis interfuere jacuit otioſa in ventriculo, neſcio an ipſum corpus delicti rudis indigeſtaque moles pulverum, pigrorum nimis ad opem ferendam cerebro, nervis, cordi; quibus forte ex impoſitæ ſignaturæ pharmacevticæ lege auxilium adferre debuiſſent. Teſtem hujus rei excitatum jam Celeb. HOFFMANNVM iterum producere liceat, *ſunt exempla*, ait, *(l) ubi in lentis & hecticis febribus abſorbentes & præcipitantes pulveres largiori doſi atque intempeſtive dati fuerunt qui poſtea in ventriculo per ſectionem aperto magno pondere fuerunt inventi.* Jam vero his expoſitis neutiquam opus eſſe duco, ut prolixa oratione commonſtrem terrea remedia nimis crebro ægris adhibita gravare ventriculum, inhibere decentem alimentorum in eo ſolutionem, enervare menſtrui ſtomachici vires, extinguere naturalem ciborum appetentiam, alvum reddere ſegnem & difficilem, cum hæc omnia & plura alia ſponte unicuivis apparitura ex dictis credam. Valde ego propterea vereor, ne ex frequenti & facili præſcriptione pulverum terreſtrium, qui plenis ſcatulis ſæpe ſæpius in Officinis præparantur ad cuſpides cultri interdum devorandi, magna illa ærgorum hypochondriacorum caterva omnem malorum ſuorum lærnam e ſolo languente ventriculo & inteſtinorum tono propullulantem indies animadvertens, graviter lædatur. Væ vobis! ſi nimii fueritis in deglutiendis inſipidis pulvillis, ſi acida veſtra colluvies in ſtomachi & duodeni cavo ſtabulari ſolita, iis ſolvendis & abſumendis par non fuerit. Nolo ego hic loci omnes cautiones ex merito exponere, quas prudens terreorum pulverum uſus requirit, ablegatos ſaltem cupio meos Lectores ad diſſertationem Cl. ETTMULLERI *de uſu & abuſu præcipitantium*, in qua varia paſſim ſalubria monita huc trahenda occurrunt. Præcipit ille ſapienti conſilio, ut non niſi moderata doſi ea uſurpentur, ac frequentiſſime hic in exceſſu peccari ultro largitur, dum aut ſæpius reiterantur, aut diutius continuantur, aut copioſius una vice ingeruntur, nulla ſæpe ratione habita morbi, ipſius, morbi

(l) l. c. §. 18.

bi temporis, ſubjecti ægrotantis & quæ ſunt reliqua. Deinde non minus Medentes monet, ne ſordes mucidas & pituitoſas everrere atque ejicere ex ventriculi burſa, & inteſtinorum canali negligant, antequam terreos ſuos pulveres ingerendos exhibeant. Fingamus enim hoſpitari in ventriculi & duodeni cavo magnam viſcidorum ſuccorum colluviem, anne accedentibus terreſtribus pharmacis illa reddetur inertior, viſcidior, tenacior, aut forte cum iis in grave & inſolubile corpus concreſcet? Anne ita obturabuntur glandularum omnium oſtiola, quæ in digeſtionis commoda continuo humorem limpidum plorant? Anne venarum lactearum orificia glutinoſa quaſi & gypſea materia obducta & infarcta omnem ſuccis alimentoſis aditum interdicent? Mitto alia lubens, quæ circa uſum præcipitantium ſic dictorum remediorum tenenda ſunt a prudentibus Practicis, unam ſaltem adhuc cautionem Ettmüllerianam additurus, ex qua ſola apparet, magnum hunc eorundem Encomiaſten inerti eorum, minusque ab humoribus noſtris animalibus ſolubili indoli nihilominus parum fidere. Suadet nimirum (*m*) providus, ut uſui ejuscemodi remediorum blanda purgantia & primas vias abſtergentia ſubjungantur, quia fixiora ſunt illa terreſtria pharmaca, ac minus reſolubilia, adſtringentia item, vel in ſe talia, vel in corpore talia evaſerunt, ut adeo ſatis pertinaciter quandoque in plicis & cellulis inteſtinalibus deliteſcant, ſique forſan per ductus lacteos primi generis penetraverint, glandulas meſenterii valde infarciant. Atque an hæc omnia, quæ præeunte ETTMULLERO ediſſerui, aliaque varia ſobrie ſatis ponderent Medici clinici ad præſcriptionem terreorum ſuorum pulverum in qualibet ægritudine ſine diſcrimine feſtinantes, ac an illi pulveres non ſubinde noceant, dum ex ſua indole ſæpiſſime prodeſſe non poſſunt, jam quidem fuſius indagare nolo, æquis & præjudicia ſincere horrentibus Lectoribus omnem hanc rem æſtimandam & dijudicandam committens.

(*m*) Cap. III. §. 26. diſſ. cit.

CAPUT III.

Solam Pathologiam acidam largum adeo terreorum uſum introduxiſſe evincit.

§. I.

Prima origo uſus terreorum merito inquirenda.

QUando autem ita in terreſtrium pharmacorum ordinatione Practici non liberales ſaltem, ſed prodigi teſte quotidiana experientia obſervantur, omnes illi omnino qui clinicas artes non ſecundum uſum tyrannum, ſed ſecundum rationem exercere cupiunt, tandem neceſſario in admirationem rapiuntur, quæ eos reſpicere, atque curatius ſcrutari jubet, qua demum ratione factum ſit, ut olim in Medicina terreſtria illa remedia uſurpari cœperint. Habent nimirum omnia pharmacorum genera ſua fata, plurima velox & inanis credulitas in officinas intrudit, plurimorum uſum ſola novitatis ſpecies ad tempus valere efficit; Fervet in principio opus, donec tandem opinionum commenta dies deleat, nimisque clara reddatur inanis fiducia, quam ut ætatem ferre poſſint remedia omni vera energia carentia. Eandem ſortem ominor terreſtribus pharmacis, quorum uſus parturiente falſa quadam hyotheſi, & obſtetricantibus præjudiciorum monſtris excluſus primum eſt, tandemque feliciter citoque ſatis adolevit, ſed brevi ſpero ſeneſcet & emorietur. Scire nimirum refert nondum adeo per longam annorum ſeriem caput extuliſſe & tyrannidem in Medicos & ægros exercuiſſe pharmacorum terreſtrium congeriem. Etſi enim inter antiquos terræ medicatæ & bolaria concreta in praxi interdum adhibita ſunt, monumentis eorundem hujus rei teſtibus; tamen largior uſus terreorum, & inter ea talium, quæ Veteribus plane incognita fuere, ſuperiori demum ſeculo fuit introductus. Paucis omnem hiſtoriam terreſtrium pulverum complexurus ſum, quando dixero ex quo acidum in Pathologiam a celebribus quibusdam Viris invito Apolline fuit intruſum, etiam illa remedia, quo-

quorum certe præcipua virtus antacida eſt, ceu polychreſta deprædicata ſunt: ita evanida quædam & ſterilis hypotheſis pathologica materiam medicinalem & praxin clinicam turpiſſimis erroribus inquinavit, quod alias in eximium Medicinæ damnum ſæpiſſime factum.

§. 2.

Primus fere terreſtrium remediorum fautor ſalutari debet HELMONTIVS, in figmentis condendis & vocabulis inanibus inveniendis facillimus. Quamvis enim Pathologiæ (quam dum emendare, proh DEVM immortalem! ſtudebat pejorem & obſcuriorem reddidit) præcipua fundamenta voluerit poſt archæum irritatum, Gas, Blas, Duelech & alia hujus farinæ commenta; tamen qui ſcripta ipſius portentoſis inſcriptionibus condecorata ſedulus perlegerit, multis locis acidum ceu cauſam multorum affectuum accuſatum & terrea viciſſim ceu vera & optima ejus antidota multis collaudata inveniet. Acidum ſcilicet venis hoſtile eſſe paſſim pronunciat, & alibi, *omnem aciditatem eſſe præter naturam & hoſtilem; in inteſtinis acidum excitare tormina, in lotio ſtranguriam, in ulceribus corroſionem, in pelle ſcabiem, in artubus podagram* (n) diſerte eloquitur. Atque alio iterum loco inquit: *Acor primæ coctionis reſiduus, nec ſat correctus ad inteſtina pergit pro torminibus; In venas porro tranſiens febres varias excitat, contracturam abdominis, hydropes, meſeraicarum obſtructiones, paralyſes item artuum & ſtrangurias* (o) Satis luculenter opinor animadvertitis Lectores mei Pathologiam acidam Helmontianam, eccur ergo mirum vobis videretur quando vobis narravero aſſertum praxin ipſam, & ſanationem morborum ab acido deductorum reſpiciens, quod prona conſequentia ex ſtabilita hac pathologia fluit. Clamat videlicet audax Helmontius (p) lapides cancr. acorem in prima officina deſtruere & inde multos morbos curari, quamvis etiam non pergant ad illa loca ubi vera morborum ipſorum eſt ſedes.

Præcipui Fautores horum remediorum recenſentur. Helmontius.

D 3 §. 3. Mul-

(n) in Tract. Pleura furens Oper. pag. m. 245.
(o) in Tractat. Retenta. Operum, pag. 380.
(p) in Tr. a ſede animæ ad morbos. Oper. p. 183.

§. 3.

Tachenius.

Multo vero adhuc latius dominium in omnem Pathologiam ſe diffundens acido aſſerere anniſus eſt OTTO TACHENIVS princeps Pathologiæ acido-ſalſæ ſed infelix conditor. Nolo tempus terere allegatione tædioſa locorum variorum ex variis ipſius ſcriptis huc pertinentium, quum neſciam quid in tanta ferculorum medicinalium acidis embammatibus conditorum multitudine, præ reliquis apponere meis Lectoribus debeam, omnia quippe guſtui nimis inimica crederem. Allegaſſe opinor ſufficiet tractatum ipſius *de morborum principe*, in quo omnem lapidem movet, ut morbos univerſos ex acido, hujusque fermentatione cum alcali deducat, atque ad curationem eorundem Talia ſua volatilia, & quod peculiari tractatu (q) multis extollit ſal viperarum una cum abſorbentibus terreſtribus remediis mirum quantum facere lecturis perſuadeat. Sane vix dici poteſt quanto applauſu incondita hæc & nulli ſobrio fundamento nixa Tacheniana hypotheſis a Medicis ſat multis aſſeclas ſeſe Tachenii ore & ſcriptis ultro profitentibus fuerit excepta, eam forte ob rationem præcipue, quod magno Hippocrati eandem ſediſſe ſententiam callide Tachenius finxerat, ſplendidiorem faciem fallacibus ſuis ratiociniis ita conciliaturus. Digna ſunt quæ mea hic faciam verba Cl. FVRSTENAV: (r) *Hæc ſententia*, inquit, *uti coloribus non deſtituitur, quibus incautos rerum arbitros facile fallere poteſt, ita plures reperit poſt Tachenium fautores. Eum enim magno numero ſecuti ſunt alii, quos inter Bernh. Swalwe, Dav. van der Beoke, P. Severinum, ipſumque Franciſ de le Boe Sylvium, erectioris alias indolis virum & magni judicii Medicum nomina ſua profiteri ſcripta illorum, loquuntur.*

§. 4.

Sylvius.

Neminem ego tam rudem in hiſtoria ſuæ artis arbitror, quin probe cognitum habeat, magnum illum Batavorum SYLVI-

VM

(q) in Hippocrate chymico.
(r) in deſiderat. med. p. 139.

vm triumviratum quendam inter acidum, pituitam, & bilem conſtituiſſe, atque ex triplici hac ſcaturigine omnium in genere morborum origines derivaſſe. Atque qui famam Sylvii, quam dum viveret medicinam faciendo & docendo aſſecutus eſt, probe conſiderat, qui refertiſſima ipſius auditoria animo contuetur, qui inſignem ſtudioſorum Juvenum numerum ex Ungaria, Germania, Dania, Helvetia, Gallia, Italia, Anglia ad eum confluentium perpendit, e quibus dein haud pauci Profeſſorio muneri non Leydæ ſaltem, ſed & in aliis Academiis admoti ſunt; Qui, inquam, hæc omnia ſerio animadvertit facile colligere poteſt, qui factum ſit, ut Sylvianæ hypotheſes per omnem fere Europam diſpergerentur, atque avide ubique exciperentur.

§. 5.

Eminet inter diſcipulos Sylvii Cornelivs Bontekoe, qui non minus acidi & viſcidi fautor extitit, & ut ferebant ejus in arte principia antacida terrea paſſim in ſcriptis ſuis laudavit. Atque ab hoc autore iterum æque ac ab antea laudato Sylvio acida ſeminia per orbem medicum latisſime fuere diſperſa, ita ut eximia copia Viri celeberrimi hinc inde ſurrexerint, qui acidam hæreſin amplecterentur, falſoque huic fundamento omnem ſuam pathologiam ſuperſtruerent, quos inter Janvm Abrahamvm a Gehema, Joh. Jacob. Waldschmidt, Theod. Craanen, Steph. Blancardvm, Mich. Ettmvllervm & Christ. Langivm hac vice nominaſſe ſufficiet. Ego quidem maximopere dolendum eſſe reor, viros hos graves, eruditos, in chemicis verſatiſſimos adeo præjudiciis occæcari potuiſſe, ut non ſaltem ſemetipſos miſere fallerent, ſed dum Doctorum munere in Academiis fungebantur diſcipulis innumeris ſuos errores inter multa alia bona communicarent, & non ſine ſpecioſa argumentorum evanidorum pompa juvenilibus animis infigerent. Notum ſe maxime reddidit Gehema tractatu germanico idiomate conſcripto, (s) quo omnibus Venæſectionibus, ſcarificationibus, purgationibus &c. ſententiam damnatoriam ſcripſit, eaque omnia in

Bontekoe. Gehema.

(s) Von Grauſamen Mediciniſchen Mord-Mitteln.

in perpetuum e medicina proſcribenda eſſe profeſſus eſt. Tam acri vero odio acidum ceu cauſam generalem omnium ægritudinum corporis humani is proſequitur, ut in regulis ſuis diæteticis (*t*) omnia alimenta acida & aceſcentia, acetum, ſaccharum, fructus horæos, vinaque acido ſapore notata nocentiſſima ſanitati proclamaverit. Et hiſce quidem opinionibus reſpondet omnino inter alia remedia prophylactica ab eodem ibi commemorata pulvis quem vocat univerſalem ex antimonio diaph. lap. cancr. corall. præparatis & nitro fixo concinnatus. Nec abhorret ab ejus ſententia, quando alibi cancrorum lapides unum ex præſtantiſſimis remediis vocat, quia iisdem acidum hoſtis vitæ humanæ infenſiſſimus potentiſſime oppugnatur. (*u*)

§. 6.

Blancardus. Waldſchmidt. Craanen. Ettmüllerus.

Atque qui ſcripta WALDSCHMIDII, CRAANII & BLANCARDI perlegere voluerit ſedulus, eandem omnibus circa cauſas morborum mentem fuiſſe, ſcorbutoque, quem ab acido & viſcido pendere contendebant, æque ac remediis ipſi opponendis, volatilibus puta ſalibus, & terreſtribus pharmacis, omnia fere in medicina tribuiſſe clariſſime perſpiciet. Edidit inter alia multa ſcripta STEPHANVS BLANCARDVS *praxin medicinæ apparenter novam, qua oſtenditur omnes morbos prognaſci a ſpiſſitudine ſanguinis, humorumque aliorum ex ſolo acido & viſcido oriunda. Opus* ut verba habent *curioſum valde & utile, cui ſimile ab orbe condito nondum repertum:* Prodiit hic liber ex Belgico Idiomate in Germanicum verſus, Hannoveræ, cujus contenta non opus eſt, ut recenſeam, quum in fronte ſtatim ſincera illorum facies appareat. De MICHAELE ETTMVLLERO potius celeberrimo olim in Lipſienſi Academia Profeſſore, communique multorum ſagacium medicorum Præceptore ac demum Practico famigeratiſſimo aliqua ſeorſim adnotare lubet. Perplacet judicium, quod de eodem tulit ſupra laudatus Cl. FVRSTENAV, quod lectoris venia integrum

(*t*) Sub titulo: Der richtige und ſichere Wegweiſer zur beſtändigen Geſundheit und einem langen Leben in verſchiedenen Geſundheits-Regeln.

(*u*) in dem reformirten Apothecker, p. 45.

grum adſcribam. *Neque*, inquit, *ipſum Michaëlem Ettmüllerum ab hac longe abfuiſſe ſententia monumenta ejus haud obſcure ſignificant, licet hic qua erat ingenii ſagacitate & peritia experimentali inſtructus, mox ſuboluerit quod hypotheſis magna laboraret generalitate, quam proinde ipſe ſpecificationis mentione ad minimum notare laboravit, acidum pleuriticum, cephalalgicum, nephriticum, venereum, & ſpecificum quodlibet introducens illisque & ſpecifica abſorbentia opponens.* Et ſane ſi libere quæ vera ſunt eloqui licitum eſt omnia ETTMULLERI opera ſat magnis duobus Voluminibus comprehenſa, quarum laudibus quas jure meruere inter Medicos neutiquam inſultare cupio, ubique ferme acidum ſpirant; Vix enim in univerſa praxi affectus aliquis occurrit, qui non ab acido deducitur, ad cujus medelam volatilia & abſorbentia præcipue non commendantur. Audiamus paulisper ipſum de cauſis morborum differentem: *Ab acido in ſanguine* ait *coagulationes & grumeſcentiæ, fermentationes nunc imminutæ, nun depravatæ, ab eodem lympham inquinante dolores partium, modo fixi, modo vagi, item exulcerationes partium, coagulationes ſuccorum in ſcirrhos, qui ex efferveſcentia facile abeunt in cancrum; ab eodem acido ſuccum pancreaticum inquinante tormina, inteſtinorum excoriationes, ab eodem in ſtomacho fames canina, pica, aſitia &c. proficiſci ſolent, & in genere omnia ea, quæ de melancholia & atra bile aſſeruerunt Veteres mutatis mutandis optime applicari poſſunt, cum ipſa melancholia a Veteribus ſpeciatim Hippocrat: acidus ſuccus appellari ſoleat.* (u) *Cauſæ* deinde pergit *quæ augent vel alterant hoc acidum in univerſo corpore ſunt aër frigidus & hybernus & quæcunque aſſumpta vel manifeſte vel occulte acida. Pertinet huc Paracelſi tartarus, qui nil aliud eſt quam ſuccus acidus facile coagulabilis vitio primæ digeſtionis generatus, unde omnia coagula, ſcirrhos, calculos podagricorum nodos, venereorum tophos a tartaro ſeu ſucco acido coagulabili aut coagulato eſſe dicere poſſumus, qui ſi minora & anguſtiora vaſa obſideat, eaque*

(u) Inſt. med. part. II. c. 2. quod agit de cauſis morborum; inter quæs refert cacochymiam acidam, contra hanc concreta terrea inter alia laudat.

que oppilet, obſtructionum auctor eſt. Plura ex ipſis Ettmülleri operibus tranſcribere ſuperſedeo, quum in ſequentibus largiſſima occaſio mihi naſcitura ſit, varia quoad pathologiam & praxin ex ipſius hypotheſibus deprompta ediſſerendi. Ad ſolam illius diſſertationem de præcipitantibus hic loci adhuc ſemel provocare mihi liceat, in qua parum abeſt quin omnia morborum præſidia in antacidis abſorbentibus quærenda eſſe ſtatuat. Quid enim! nonne ibi diſerte ſcripſit, (w) *eſſe acidum tantum non omnium morborum fontem & originem primam, materialem & occaſionalem cauſam; Atque abſorbentia & ſic dicta præcipitantia exiſtere univerſalia & primaria alterantia.*

§. 7.

Langius & quì recentiſſimus eſt Teichmeyerus.

Supereſt adhuc commemorandus a me ex catalogo ſupra ſcripto CHRISTIANVS LANGIVS, cujus pathologica & practica principia, ut paulo clarius appareant, bina ex illius materia medica excerpta loca apponam. Attendite ſaltem obſecro Lectores & polychreſtas imo vero panchreſtas lap. cancr. & C. C. igne calcinati vires medicas arrectis & patulis ſatis auribus hauriatis: *Lapides cancr. inſerviunt pro ſcopo abſorbendi acidum, cumque acidum hoc hoſtile ſit humoribus, illosque coagulet, unde poſtea obſtructiones, & dolores partium, ſimulque ipſis etiam ſolidis partibus ſit inimicum, easque rodat & vellicet importune, patet ſtatim quam plurimos morbos ex hoc fundamento oriri, & hinc cum deſtruatur acidum ipſos polychreſtum omnino eſſe medicamentum, adeo ut ſi vellem morbos omnes recenſere, in quibus conveniunt, opus haberem prolixum ſatis catalogum exhibere.* (x) Et porro: *C. C. igne calcinati uſus polychreſtus omnino eſt pro ſcopo abſorbendi & præcipitandi acidum, tam primarum viarum, quam in remotioribus corporis receſſubus, ipſisque fluidis partibus hærens. Cumque quamplurima mala unice ex hoc principio aſſurgant omnino uſus prædicti Cornu admodum eſt inſignis.* (y) Vereor valde ne tædia vobis cre-
em

(w) cap. II. §. 20. & 21.
(x) Oper. p. 437.
(y) Oper. 438.

em Lectores ingenui, plurium hujuscemodi male fundatarum, eademque ſemper chorda oberrantium ſententiarum compilatione. Unicum ſaltem ex N. C. miſcellaneis locum forte fortuna mihi occurrentem ut vobis citem, æquo precor animo feratis. Ita ibi mentem ſuam eloquitur Cl. SOMMERVS: (z) *Lapides cancr. ſunt maximarum virtutum in peſte, febribus malignis. Si in quorundam individuorum Ventriculo chylum non dulcem, ſed aceſcentem, aut acrem aut inſipidum offendant illum invertunt & corrigunt, ne pro chyli differente vitio fermenta morboſa, maniaca, epileptica, pleuritica, hypochondriaca, nephritica, arthritica, febrilia accendantur.* En ergo plenam ægritudinum gregem facile medicamentis evporiſtis abigendam; Credat qui volet, ego nimis in veras horum aliorumque mere terreſtrium remediorum vires mihi inquiſiviſſe videor, quam ut inanem fiduciam in iis ponam, quicquid tandem boni viri de eorum Virtutibus nugentur. Multus fui hactenus & nimius forte fuiſſe videbor aliquibus in adducendis Autoribus acido præter rem patrocinantibus, ſed tamen filum hujus tractationis abrumpere non poſſum, niſi ſincerum dolorem antea teſtatus, qui omnem animum meum cepit, poſtquam adhuc hodie favere acido in pathologicis clariſſimum Jenenſium Profeſſorem TEICHMEYERVM clariſſime perſpexi. Sincere ſcribo, non capio quomodo ex calamo Chemici ſummi nominis, in hodierna harum rerum luce fluere potuerint verba: *Maxima morborum pars tum chronicorum, tum acutorum ab acido coagulante & corrodente originem ducit.* (a) Valde ego veneror Virum cujus in Medicina omni peritiam multi colunt, ſed pace ejus huic quidem aſſerto nullus ſubſcribo, fuſius in ſequentibus quid me aliter ſentire, atque quibus is paſſim ex hypotheſi ſua favet, terrea medicamina reſpuere cogat, elocuturus.

(z) Dec. III Ao. 3. Obſ. 151.
(a) in Chemia. p. 179.

CAPUT IV.

Pathologiam acidam penitus a Viris graviſſimis eſſe confutatam docet; adeoque ſimul apparere quam vanus ſit largus adeo & promiſcuus terreorum abſorbentium uſus concludit.

§. 1.

Acidum ex pathologicis ejectum.

FAllor vero maximopere, aut ex his omnibus quæ antecedente paragrapho elocutus ſum, liquido conſtat, ſolam illam ſterilem hypotheſin de acido præcipua morborum cauſa uſum terreſtrium medicamentorum in medicinam introduxiſſe. Quodſi igitur veritatis pondere illa ſententia ſatis corroboraretur, utique nulla præſtantiora darentur, vel excogitari unquam poſſent pharmaca, quam antacida terreſtria, quarum ea vis eſt, ut effervescendo acidum quodvis non obſtante vel ſumma ipſius acrimonia, haud ſaltem mitius & inertius reddant, ſed deſtruant penitus, omni ſapore acido extincto, omnibus acrimoniæ acidæ effectibus ſubito pereuntibus. Et o nos Medicos felices, ſi iis præſidiis inſtrueremur, quæ notum ſemper, nec unquam verſipellem hoſtem atque iisdem ſemper armis indutum certo proſternerent; quid enim facilius quam cauſas morborum unius ſemper indolis aggredi, & aggredi eo antidoto, quod omnibus ægritudinibus una ſemper virtute reſpondet. At vero adeo brevis ævi fuit tam late dominans acida pathologia, adeo a viris doctiſſimis invictis ratiociniis impugnata eſt, ut inanium commentorum ſaltem rudera ſuperſint, ſpecioſaque olim & magnifica hypotheſis in umbras & nebulas fuerit reſoluta.

§. 2

Speciatim ab Hoffmanno, Bergero, Pitcair-

Nemo Medicorum ignorat quam maſculo auſu, quam intrepido animo monſtra hæc opinionum aggreſſus ſit feliciſſimus Domitor FRIDERICUS HOFFMANNUS, ſcripta olim eleganti exercita-

ercitatione *de acidi & viſcidi pro ſtabiliendis omnium morborum cauſis inſufficientia.* Verſantur præterea credo in omnium manibus doctiſſimæ diſſertationis a Cl. BERGERO *de acido inſonte* editæ, quibus certe pauperies argumentorum pro acida pathologia militantium elegantiſſime oſtenditur. Nec infelicior fuit in hiſce ſtudiis ARCHIBALDVS PITCARNIVS, qui diſſertatione brevi ſed nervoſe elaborata de opera quam præſtant corpora acida vel alcalina in curatione morborum larvam præjudicatis circa acidam pathologiam opinionibus detraxit, nudasque eas & miſeras omnium oculis expoſuit. Digniſſima inſuper eſt quæ hac occaſione a me collaudetur Oratio immortalis BOERHAVII *de Chemia ſuos errores expurgante* in qua varia ſolide deducta inveniuntur, quæ acidum deſtruunt, & fruſtra in pathologicis a fautoribus ſuis id allegatum fuiſſe comprobant. Rectiſſime ſane propterea ſcripſit qui peculiarem tractatum de acido inſonte promiſerat, (*b*) celeberrimus BAGLIVIVS: *Putant aliqui morbos omnes ab acido produci & omnes pariter per alcalia remedia curandos eſſe: Hoc medendi genus, utpote omnium facillimum & brevi dierum ſpatio a rudi quaque muliercula etiam addiſcendum præ cœteris hodie invaluit; At Medici ignari illius Hippocratici quod centena ſint quæ hominem lædunt, tali medendi ratione mihi videntur conjectari potius ſive divinare de rebus morborum quam invenire & ſcire.* (*c*) Obſtrictum ego omnem Medicum opinor, ſi munus quod ipſi incumbit rite tueri ſatagit, ut multitudine errantium nullam errori veniam conciliante, cerebrinas hypotheſes non gratis amplectatur ſed prudenter de omnibus dubitet, atque veritates medicas quæ examen rigidius ſuſtinent per omnem vitam conquirat. Pigrum omnino & ingeneroſum habendum id genus medentum quod ex alienis tantum commentariis ſapere cupit & aſſentire quam indagare mavult. (*d*) Neque refert erraſſe aliquando, modo qui erraverit ſemel, ſerio tamen reſipiſcat, agnitaque culpa, alios ut cautius mercentur candidus hortetur. Meruit, me

nio, Boerhavio, Baglivio, Vallisnerio.

(*b*) Operum p. 50.
(*c*) Praxeos Med. lib I. cap. V. § 2.
(*d*) Verba ſunt Helmontii de lithiaſi c. 7.

me judice, eapropter laudes juſtiſſimas ANTONIVS VALLISNERIVS abjurata acida hæreſi ad meliorem frugem redeuns. Ecce confeſſionem fidei pathologicæ prout eam ipſe eloquitur. (*e*) *Obſervavit Borellus, quod quilibet ſuccus acidus ſero ſeu albumini ſanguinis commixtus & igni approximatus ejus impediat concretionem. Res hæc admodum me conturbat, pulchras enim ego fabellas texebam ex acido. Conſultationes meæ, remedia ipſa vel acidum accuſabant vel infringebant. Quo nunc me vertam vix invenio. Coagulavit Malpighius ad ignem ſerum ſanguinis ſine acidis, ſed neutrum experimentum par eſt Borelliano. Acidum ſiquidem venarum in calore eſt, quale illud ad ignem quare obſiſtet potius ſanguineis concretiunculis, quam favebit. Neque infuſum venis oleum ſulphuris aut vitrioli rem explicat, cum abſurdum ſit talem vim mineralem vehementiſſimam intra ægrotantium ſanguinem comminiſci, niſi forte peſtifero veneno laborent, ac penitus exitiabili. Nutante igitur cauſa petita ex acido quid me jubes ſentire in poſterum, quas adferre ad populum phaleras.* Pergit deinde ita in Scholio ſubjuncto: *Licet indoles ſanguinis ſit ammoniacalis potius quam acida, licet urina & ſerum ſanguinis aut ſanguis ipſe extractus raro aut nunquam acidum ſpiret, ſed potius acrem halitum aut urinoſum, attamen Medici proclives admodum ſunt, ad acidum crebro culpandum tanquam cauſam plurium morborum, maxime illorum qui cum methodicis poſſunt vocari morbi aſtricti. Si pleuritis aut alia inflammatio accidit, ſi polypus concrevit, ſi dolor, ſi febris exoritur, illico habent in ore acidum tanquam ſanguis ſponte ſua non inclinaret ad coagulationem etiam procul ab omni aciditate: Motus tarditas, compreſſio in viis, ſpirituum cor agitantium languor ſatis virium habent absque acido ad ſanguinem alicubi alligandum.*

§. 3.

Neutiquam ergo in praxi locum habent terrea abſorbentia, quæ-

Studio verba Cl. VALLISNERII integra adduxi, ut habeant ſi qui ſuperſunt Lectores acido faventes, quod ſerio ruminent & expendant. Enimvero vel Tyronem artis medicæ ſufficere crediderim ad evertenda ficulnea argumenta, quibus omnis hæc hypothe-

(*e*) in Miſc. N. C. Cent. V. & VI. obſ. 97.

pothesis nititur. At quando falſiſſimum habendum eſt humani corporis ægritudines ab acido hoſtili oriri, cum longe alias cauſas ſæpe ſæpius agnoſcant, ſine dubio etiam veritati non reſpondebit eas antacidis & abſorbentibus curari poſſe. Nonne ergo mirum videri debet omnibus hæc talia curatius perpendentibus, in exilium acta pathologia acida, & pro inani & futili a tot celebribus viris declarata, illa remedia, quorum uſum hæc ſola peperit, & in medicinam intruſit, tolerari nihilominus, imo vero non tolerari ſaltem, ſed ea multitudine a Medentibus præſcribi, ac ſi acidum commune omnium ad hunc diem idolum exiſteret, atque pathologia hodierna multo fuiſſet reddita acidior, ac ſeculo ſuperiori fuerat. Attamen nemo modernorum Medicorum pauciſſimis forte exceptis ita ſtatuit. Audax ergo aſſero ego, corruente hypotheſi de acido univerſali morborum cauſa, aut terreſtria remedia gratis & præter rem multoties exhibentur a practicis, aut demonſtrari debet ea, non tantum ut antacida, ſed & aliis nominibus in corpore ægro poſſe evadere utilia. Atque ſub hoc quidem prætextu haud pauci antiquis ſuis formulis indulgebunt ſine dubio, & ad hoc aſylum celeres recurrent, ubi rationem exegerit juſtus fatuorum pulverum oſor, cur tandem non amplius exigente uſum acido pathologico, adeo ſæpe, adeo largiter ægris porrigantur. Inveni paſſim apud illos autores qui præſenti ſeculo & recentiſſime etiam ſcripſerunt, atque ſæpe attente contuitus ſum narratiunculas terreorum atque abſorbentium præſcriptiones medicas ex aliis fundamentis permittentes, excuſantes, urgentes, ſed ad fabellas eruditas, quas eheu in arte adhuc innumeras habemus illas quidem æquali jure pertinere perſpexi, ac ſuavia illa de acido inſomnia. Solidas ego artis exercitia fulcientes & rationalia magis reddentes demonſtrationes anxius quæro, inventas amo, & cuſtodio, me ipſum meamque praxin ſanato etiam ægro vituperans, horrens, odio proſequens, ſi examen paulo rigidius non ſuſtineo, ac mihi ipſi ob tenuem nimis in medendo peritiam non ſufficio. Has leges dum mihi ipſi impoſui, aſſentiri communi terreſtrium pulverum præſcriptioni prohibeor. Relinquam cordatorum & arti ſuæ bene cupientium Medi-

cunque etiam aliæ ratiunculæ allegentur.

Medicorum judiciis ea, quæ de imaginariis terreſtrium medicamentorum viribus inpoſterum exponere meditor: toties armatis quaſi oculis eorundem energiam, quia nudos effugiebat, inquiſivi, ſed aut luſcus ſum & cœcutiens, aut in iisdem nulla latet alia, quam acidum primarum corporis officinarum deſtruens. Si celeberrimis in arte viris contradico, intellectum non poſſe cogi, illi enixe rogo largiantur; ſit mihi ſentiendi libertas relicta, ſit aliis conceſſum meas lucubratiunculas examinandi ſeverius, oppugnandi ex ſincero veritatis ſtudio. Non enim quod ſincere teſtor vana altioris ſapientiæ perſuaſione tumidus, non ſciola carpendi licentia, non turpi contradicendi ſtudio pruriens, ſed ſolo ingenuo amore quo in medicam artem feror, excitatus calamum arripio. Defendat atque tueatur auſus meos celeberrimi inter Anglos Medici JOHANNIS FREINDII effatum: *Non autores in facienda medicina, ſed rationis momenta quærenda eſſe.* Eo tandem perducti ſunt Medici ut credant nocere ſæpe quæ acida hypotheſis evexit, & ubique urſit, ſalia volatilia, eo devenient confido, ut quæ ſub eodem infauſto ſidere adhiberi nimis cœperunt terreſtria pharmaca ſæpe parum, ſæpius nihil prodeſſe ægris, convicti largiantur.

CAPUT V.

Terrea vere utilia eſſe concedit, ubi acidum in primis viis peccare obſervatur, eaque propter egregie ea prodeſſe præcipue in morbis infantum probat.

§. I.

Terrea acidum deſtruunt ſæpe magna copia præſens in ventriculo.

SAtis vero opinor conſtabit ex antecedentibus, me omnem prorſus energiam in medendo derogatam terreis medicaminibus neutiquam velle. Manet illis vis ſumma acidum, vel exquiſitiſſima acrimonia pollens citiſſime deſtruendi, ita ut illud penitus immutatum, nec ut acidum nec ut acre amplius agere

in

in corpus queat. Atque optandum eſſet judicante ita Celeb. Hoffmanno (*f*) ut & alii intemperati & vitioſi humores, quales ſunt nimis acres, ſalſi, bilioſi, viſcidi, tam cito & tam valide aptis remediis & ſpecificis alterantibus corrigi & inverti poſſent. Quamvis vero certiſſimum ſit, & indubiis argumentis queat invinci, acida aſſumpta etiam ſat larga copia, ubi ſanguinis oceanum ingreſſa fuerint, ſtatim acorem deponere, & ſalſam ac præcipue ammoniacalem indolem aſſumere, imo vero virtute circulantis ſanguinis tandem ad alcaleſcentiam usque adduci; quamvis, inquam, hæc omnia ita ſeſe habeant, eaquepropter omnia illa, quæ de acido in ſanguine oberrante & luxuriante proferuntur a claris viris fabuloſa & falſisſima haberi debeant, tamen negari nunquam poteſt, in primarum viarum cavis non raro ingentem acidorum ſuccorum colluviem in maximum proſperæ valetudinis detrimentum ſtabulari; Quodſi enim acidorum vel aceſcentium alimentorum & potulentorum magna vis quotidie ingeratur, nec inter ea talia ſimul deglutiantur, quæ ex natura ſua acidum cicurarent & infringerent. Quodſi præterea vires ventriculi nimis languidæ alimenta aſſumpta illi corruptioni in quam ex naturali ſua indole feruntur permittant, & bilis ſimul energia deficiat, brevi omnino temporis ſpatio ingens acidarum ſordium ſaburra in primis corporis officinis & duodeni potiſſimum latibulo coacervabitur. Jam autem neminem modernorum Medicorum fore crediderim, qui ſanitatis intuitu inter adiaphora latentem in cavo ventriculi & inteſtinorum arundine acidam colluviem reponendam exiſtimaret, ſed e contrario illam ibi varios morbos excludere & ab aliis cauſis excluſos fovere atque deteriores reddere poſſe omnes Medicos libere confeſſuros confido. Quando vero extra omnium dubium poſitum eſt, terreſtria remedia, ubi immediatus cum acido congreſſus iis conceditur, illud promptiſſime deſtruere, & omni acrimonia privare, certiſſimum etiam evadet terreſtria remedia omnibus illis morbis

(*f*) Med. Syſt. Tom. II. p. 378.

bis egregie competere, qui ab acido primarum viarum vel excluduntur, vel foventur. Quin & alimentis vel potulentis acidis nimia forte copia per diætæ errorem aſſumptis noxam ſtatim corrigent ea pharmaca; & ægritudines graves inde metuendas feliciter præcavebunt, atque avertent.

§. 2.

Variis ægris propterea inſerviunt.

Multum ſane boni ex uſu prudenti terreorum abſorbentium ſperare poſſunt ægri hypochondriacis pathematibus obnoxii, qui ſemper fere acidarum cruditatum ſentinam in ventriculis ſuis gerunt; qua fit ut ſpaſmorum ac flatuum turbæ, quibus illi perpetuo anguntur, valde augeantur, atque increſcant. Velox ſæpe etiam auxilium largiuntur abſorbentia cardialgiæ ex diætæ vitio, acidisque ingeſtis enatæ, ac mire ægros torquente. Non minus certe cholera, morbus ex iisdem cauſis excluſus, aut quod ſatis frequens eſt fructuum horæorum eſu nimis largo proritatus, inſigne levamen experitur ab evporiſtis abſorbentibus, fermentationes in primis officinis cito cohibentibus; non excluſis aliis remediis internis & topicis quæ ſpasmos enormes placant, ac excretiones effuſiſſimas refrænant & moderantur. Rurſum etiam in febribus intermittentibus abſorbentia quæ imprudenter adhibita adnotante JUNCKERO (g) typum febrilem turbant, & lentæ ac interdum hecticæ febri anſam ſuppeditant, ſapienter porrecta cruditates primarum viarum corrigunt, & nidum morbi non raro deſtruunt, ſi ille ſuos natales diætæ vitio, & acido-viſcidæ colluviei in ventriculo hoſpitanti debet. Et cur tandem plures morbos commemorarem, quibus multum levaminis uſus remediorum terreſtrium pollicetur, ſufficit credo brevis enarratorum catalogus ad aſſerendam abſorbentibus remediis ſuam energiam, quam nemo medentum ipſis detrahet jure. Neque reticendum eſt alio etiam nomine & non tantum deſtruendo acidum hæc remedia ſæpe ægris prodeſſe. Generant quippe poſt conflictum cum ipſo acido ſal neutrum, quod ſubinde villos inteſtinorum blande exſtimulando alvum movet, vel ſi ad ſanguinem delatum ad

(g) in Conſp. Tab. 80. & 81. pag. 662. & 670.

ad arterias emulgentes & urinæ vias determinetur, diureſin proritat, vel & ad corporis corticem usque penetrans ac cutanea vaſcula patula offendens tranſpirationis ſucceſſum promovet, ſudoremque exprimit. Ecce igitur abſorbentia remedia non uno nomine utilia, eoque majores ſibi laudes depoſcentia, quo magis placide ſuam in corpore operationem exequuntur; neutiquam ergo iis carere poteſt medica praxis, cum in omnibus morbis indicatiſſima ſint, quæ ſuos acido in primis viis latitanti natales debent.

§. 3.

Nunquam vero majores fructus præſtat uſus ſufficiens remediorum abſorbentium, quam iis in affectibus, qui tenellis infantibus lacte materno adhuc veſcentibus familiares ſunt, ſæpeque graves & capitales obſervantur. Sermo autem mihi hic eſt de morbis infantili ætati propriis, quorum cauſæ in adultiores non eadem neceſſitate cedunt, ut adeo hic excluſos velim, qui tenellis cum adultis hominibus communes exiſtere queunt. Sponte credo unicuique innoteſcit multum damni pati poſſe molliſſima & cereæ teneritudinis corpuscula ab injuriis aeris, ubi illa vel nimio calore torquentur, vel auræ paulo frigidiori exponuntur, vel modo has, modo illas atmoſphæræ viciſſitudines experiuntur. Non minus animi pathemata quibus vel recens nati patent, itemque ſomnus & vigiliæ, motusque cum quiete ad cauſas affectuum infantilium referri merentur. Maxime autem poſt excretorum & retentorum vitia ſollicite in hac ætate obſervanda, ingeſta accuſanda ſunt, a quibus tantum non omnes ægritudines infantum pendent. Impugnavi in antecedentibus merito damnoſum ſeculi ſuperioris præjudicium, omnes quotquot dantur inter mortales ægritudines ex acido & viſcido derivans, at ſi hoc ipſum de infantium lactentium morbis aſſereret aliquis, & ad eos ſolos reſtringeret, eodem zelo defendere auderem acidum & viſcidum, quo illud nimis late & in omnem pathologiam diffuſum rejeci. Scilicet ſi affectus eos qui dentitionis negotium ægre ſuccedens comitantur, rurſumque illos qui a vermibus originem trahunt excipias, omnes ſane reliquæ infan-

Maxime vero Infantibus.

tum ægritudines ex acida & viſcida colluvie prognaſcuntur, cujus correctioni niſi ſedulo invigilaverit Medicus, oleum ſane & operam perdet. Atque ut hæc veritas ſummi in medendo uſus clariſſime pateat, ante omnia animadvertendum eſt ingeſta omnia ſi vires digeſtionis ſuperent, eam in nobis indolem acquirere, quam ſuæ naturæ per calorem humidum fotæ debent. (b) Cum vero tenellorum infantum commune alimentum ſit lac cui nimis & intempeſtive ſollicitæ matresfamilias pulmenta ſua jungunt ex crudis farinoſis non fermentatis plerumque parata, facillime innoteſcit ventriculo per ſuam naturam exiſtente debili & oneri ſibi impoſito ſuperando ſæpius haud pari, non poſſe non oriri cacochyliam acido-viſcidam, fœcundam multorum malorum matrem, lacte ex ſuo ingenio ad acidam corruptionem prono, & pulmentis glutinoſam ſuam indolem non deponentibus ac inſuper non minus acorem facile contrahentibus.

§. 4.

Videndum autem ut in eorum curatione veris abſorbentibus utamur.

Quando autem ita uſum abſorbentium in artibus clinicis extollo, & late ſe diffundere largior, omnes Medicos amice ſimul rogatos volo, ut ſedulo ſibi caveant, ne multa ad abſorbentium claſſem celeres referant, quæ decenter inſtituto examine per indolem ſuam eidem neutiquam poſſunt inſeri. Error ſcilicet ſatis vulgaris occupavit plurimos forte materiæ medicinalis ſcriptores, ut partes animalium duras multumque terræ cuſtodientes, cranium humanum, cornua alcis, os de corde cervi, lap. percarum, manati &c. præter rem abſorbentes dicant, & acidum deſtruere falſo afferant. Requirit nempe natura antacidi remedii, ut cum inſtillatis acidis protinus efferveſcat & eorum acrimoniam ſtatim hebetet atque extinguat. Quoniam autem omnia modo citata, utut in pulverem minutum redacta ſint, cum acidis miſta illorum acrimoniam prorſus intactam relinquunt, nec vel minimum ſtrepitum alicujus efferveſcentiæ cient, facile conſequitur, illa minus recte ad abſorbentia & antacida revocari, niſi antea vel philoſophice vel alio modo calcinata fuerint.

Bene

(b) conf. Boerh. aph. 60.

Bene hoc ipſum jam annotavit Clariſſ. LANGIUS (*i*) qui cauſam, quod hujus generis terrea animalia cum acidis plane non congrediantur, nec illud edulcorent, unice ex gelatina copioſa ipſis inſita derivandum ſtatuit, ſiquidem hac per coctionem extracta ſtatim corpora admodum ſitibunda & cum acidis effervescentia evadunt. Neque enim ſal volatile, quod in iisdem animalium partibus Autores certo reſpectu vere latere contendunt aliquid efficere, ut jure elogium antacidorum tueri queant, fuſe & pulchre eloquitur. Rurſum etiam ſerio hic annotandum eſt magiſteria ad unum omnia nulla ratione abſorbentibus adſcribi poſſe, quicquid etiam Autores varii de iis prædicant, cum acido nimio ſub ipſa præparatione ſaturata jam fuerint, ac ita ad id abſorbendum prorſus inhabilia reddita, quare recte ſcripſit Gualterus HARRIS (*l*) dum ſelectum abſorbentium in uſus tenellorum infantum inſtituit: *Magiſteria lapidum pretioſorum apud multos ampliſſimis præconiis celebrata nullis ego laudibus efferre poſſum. Certe nativas quæcunque ſunt vires alienis commutarunt. Quæ potenter abſorbere acidum apta nata prius fuerunt, acido-dulcia jam reddita, arti plane debent, quod ad idem minus valeant.* Omnibus his igitur ex abſorbentium catalogo ſollicite ejectis ea tantum ad cicurandum peccans acidum reſervanda ſunt, quæ ſuam vim effervescentia & pugna cum eodem luculenter demonſtrant, idque penitus enervant & extinguunt.

§. 5.

An vero opus eſt, ut in clinicos uſus more recepto omnem illam verorum abſorbentium molem in Officinas recipiamus? An ulla ſobria ratio poſtulat, ut tot pyxides modo C.C. philoſophice calcinato, modo C. C. uſto, modo chelis cancr. conchis præparatis, & teſtis ovorum, modo coralliis & cryſtallo montana, modo magneſia, modo mandibulis piſcium &c &c. &c. impleamus. Omnia hæc abſorbent acidum, id verum eſt, ſed anne ſoli lapilli cancr. & mater perlar. præparata ſufficerent? Fallor certe, aut idem

Ex quorum ingenti farragine quædam ſelegiſſe ſufficier.

(*i*) differt de antacidis.

(*l*) de morbis acutis infantum pag. m. 50. edit. Amſtel.

idem illud ſuadet ſana ratio. Sed ita cum arte & cum ægris ludimus Medici! Ita meremur ut legentes elegantes noſtras omnem fere apparatum abſorbentium ſæpe gratis coacervantes formulas pharmacopoeorum famuli nobis iraſcantur; vel ſoluti in riſus & cachinnos Practicorum inceſſu gravi & vultu elatiores ſpiritus prodente officinam plus decies per diem prætereuntium, aut ſi opes forte dives olim at pauperior noſtro tempore tandem redditus Galenus conceſſerit, curru vectorum turpem inſcitiam, ſuperſtitioſamque ſocordiam demirentur. Sane inanem & fruſtraneam quam ipſis imponimus operam tot pyxides & ſcatulas aperiendi, ſuisque locis ſecundum ordinem iterum reponendi ipſi Officinarum domini vix ferrent æquo animo, niſi puerorum more interdum ineptientes gemmas etiam & margaritas præcipue præparatas præſcriberemus, gratumque ipſis ita præſtaremus officium, quando inter luſus & jocos ſerio ſaltem de ipſorum crumena agitur pinguiori forte præ noſtra ordinarie gaudente. Sed mittamus ejusmodi tricas! certum ſatis eſt, neminem Medicorum notabile aliquod diſcrimen inter abſorbentia indicare, nec veram & eminentem prærogativam unius præ altero demonſtrare poſſe, niſi forte teneriorem ac in pollinem ſolubilem magis indolem quibusdam eſſe præ aliis quispiam objicere velit. Atque hoc ipſum lubens concedo, putarem ergo oſtracodermata rudiora & cruda marina, utpote ad ſaxeam & lapideam indolem fere accedentia, eaquepropter ægre ventriculo obedientia penitus e Medicina eſſe proſcribenda, ac inſtar omnium ſervari debere matrem perlarum, & cancrorum lapides, utpote in pulverem fere impalpabilem levi opera redigendos & tenerrimorum puerulorum ſtomachum haud gravaturos. Sæpe cogitavi, an forte diverſa abſorbentia ſub eadem doſi diverſam quantitatem acidi deſtruerent, tumque fore ea præ reliquis ad uſus clinicos aptanda, quæ minima doſi maximam quantitatem edulcorarent. Eram in eo, ut experimentis inſtitutis paulo accuratius hanc in rem inquirerem, ſed gratum mihi otium fecit ſupra jam laudatus Langius, qui pondere ſcrupuli dimidii ſemper ſervato omnia quoquot dantur abſorbentia ſeorſim inveſtigavit, accurate-

teque attendit, quot guttulas ſpiritus ſalis acidi ſingula deſtruerent. Vi vero horum experimentorum ſatis notabilem diſcrepantiam dari eo quidem reſpectu inter abſorbentia Langius invenit, (*m*) quando nimirum dimidius ſcrupulus dentis monocerotis gt. XX. mandibularum lucii piſcis gt. XXX. lapidum cancr. & matr. perl. gt. L. perlar. Orient. gt. LX. Occid. gt. LXXX. teſtarum oſtrearum ultra gt. C. deſtruxit. Habet hic in quo occupetur curioſa Medicorum induſtria, nollem tamen oſtrearum teſtas ob majorem in acidum dominium reliquis in praxi præferre, cum cætera cuncta largiori paulisper doſi facile idem præſtent & facilius multo in ventriculo ſolvantur, eidemque ita nullas moleſtias procreent. Si unum abſorbens ſcrupuloſo practico non ſufficiat, addat alterum, ſeligat tertium, at omnia quotquot ſunt, commiſcere & confundere atque ſine ulla ratione modo hanc inconditam ſeriem, modo alium ineptum catalogum in una formula conſcribere vix ſapientiam practicam arguere videtur. Peſſimus interim & ridiculus abuſus nil veris abſorbentium virtutibus derogat, quæ citra omnem controverſiam polychreſta ſunt, peccante acido, & ſæpe pulchros effectus poſt ſe relinquunt.

§. 6.

Magnus eſt eorum autorum numerus, qui ſua de morbis infantilibus cogitata orbi medico aperuere, pauci tamen quod valde miror, inter eos ſunt, qui ad acidum & viſcidum ceu cauſam plurimorum affectuum ſatis attenderunt, licet plurimi illud, ſed obiter quaſi ſaltem allegaverint. Sane etiam doctiſſimus LUDOVICUS MERCATUS (*n*) humiditatem aqueam craſſioris conditionis calore vivifico orbatam, cauſam proximam ſtatuit eorum morborum, qui frequenter in pueris viſuntur atque inde multa mala deducit; Inter cauſas occaſionales demum lactis pravam conſtitutionem, & hinc natas cruditates acidas referens. Primus autem fere qui ſerio acidum ceu præcipuum ægritudinum in-

Porro cavendum; ne apud infantes, ubi abſorbentia ſunt indicatiſſima, ea negligamus, & ultimos praxeos fert inepta pharmaca adhibeamus.

(*m*) diſſ. cit cap. 1. §. 5.

(*n*) lib. II. de morbis puerorum.

infantilium fundamentum agnovit FRANCISCVS de le BOE SYLVIVS extitit, huic enim ſuperſtructus eſt integer tractatus de infantum morbis conſcriptus, quem operibus ipſius ſimul editis inſertum poſſidemus. Preſſit dein ſine dubio Sylviana veſtigia MICH. ETTMVLLERVS, cujus *valetudinarium infantile* docte & eleganter concinnatum ſoli acido & viſcido omnem morborum tenellis lactentibus familiarium geneſin adſcribit, ac ea ſoliditate cuncta inde derivat, ut paucis exceptis vix habeat lector quod cum ratione opponat. Neſcio autem an laudatum Cl. ETTMVLLERVM non ſuperaverit doctiſſimus Anglus GVALTERVS HARRIS edito elegantiſſimo *de morbis acutis infantum* libello ab omnibus medicinam facere tenellis cupientibus attente pervolvendo, in quo totus ægritudinum huic ætati familiarium apparatus uni acido tribuitur, omnisque poſtea medendi methodus in illius præparatione & evacuatione ponitur. Atque niſi omnia me fallunt acidum in infantibus peccare ipſis ſenſibus facile obvium redditur. Quis enim alvinas puſionum fæces grumoſas ac acidiſſimum nidorem longe lateque ſpargentes, colore viridiſſimo, qui adjecto oleo tartari per deliquium in flavum iterum abit, tinctas, lintea interdum imo vaſa ænea arrodentes adſpiceret? Quis ructus eorum acidos, vomitusque caſeoſos, quis luridum pallorem cum facie omnes artus habentem contueretur? Qui acidum in tenellis corpuſculis peccare non animadverteret. Unde enim ea flatuum vis, unde atrocia illa tormina, omnem excutientia ſomnum, tot noctes inter perpetuos ploratus & clamores abſumentia, atque mammæ deliciis vix per aliquot momenta demulcenda? Nonne a coagulo acido inteſtinorum villis pertinacius ad hærescente, & ſpaſmos ibi & convulſiones fibrarum nervearum proritante? An aliunde immanes ſæpe vomitus integra lactis coagulati fruſta rejicientes deducendi ſunt? An ab alia cauſa prognaſcuntur diarrhœæ grumoſæ & viridescentes, quam ab acido, quod bili admiſtum viridem colorem parit? Frequens tenellis malum ſpasmodico-flatulentum, quod cardiogmum vocant, de quo tam mira narrant mulie rculæ, nemo Medentum ex alio fundamento certius quam a lacte coagulato

viſci-

viſcido & acido facto derivaverit. Videas ex eodem fonte tuſſes clamoſas, videas aſthmata ad ſuffocationis periculum urgentia, videas ſæpe febres continuas ejecta per blandam catharſin ſaburra acido-viſcida in inteſtinorum alveo nidulante feliciſſime ceſſantes. Et quid tandem dicam de affectu puerili ætati præ reliquis admodum frequente, convulſionibus & epilepſia. Sane ut ſolet ſolidiſſime ſcripſit Boerhavius inſultus epileptici hinc (nimirum a lacte coagulato & acido facto) plerumque originem ducunt, irritato genere nervoſo ope acrimoniæ vellicantis. (o) Nihil amplius de morbis infantilibus ab acore viſcido enatis memoro, probat opinor enarratorum ſeries quam pulchre iis curandis abſorbentia remedia conveniant, quæ ſi unquam hic certe ſummos effectus pollicentur proximam morbi cauſam directe oppugnando & deſtruendo. Ita autem hæc omnia evicta hodie & extra dubium poſita eſſe autumo, ut vix ullam objectionem amplius patiantur, eaquepropter vix aliquem Medentum ea medicamina in morborum infantilium medicatione poſſe negligere, quum ii hæc ſibi quaſi jure peculiari vindicent, ratio videtur dictitare. At quod valde mirum eſt, longe alia habet vulgaris praxis, quæ tenellorum ſaluti deſtinat, an negligens & præcepta artis haud curans, an monitorum ſaluberrimorum, quæ ſana ratiocinia ſuppeditant, neſcia aut oblita ambigo. Feſtinant ubi morbo qualicunque tenellus aliquis decumbit, ſine ulla deliberatione, cum credulis & ſuperſtitioſis fœmellis Medici ad miſeram eſſentiam dulcem, plenis buccis extollunt pulverem ſolarem nigrum Hallenſem, & ægritudini mortis formidinem incutienti pondus grani hordei ſuffecturum autumant. Porrigunt ſpecificum cephalicum Michaelis, etſi paucis ab uſu horis elapſis, puſiones id per inferius guttur ordinarie reddant e linteis per curatrices eluendum, quaſi pudorem Medicis ſuis moturi, quod porrexerint remedium omnem cum cauſa morbi conflictum renuens, & gratis ventriculum cum canali alimentorum tranſiens. Confugiunt ſæpe

(o) aph. 1357.

pe quaſi ad ſacram anchoram ad pulverem epilepticum Marchionis, tanta certe energia vix pollentem, qualis eidem tribuitur, & ſi dicendum quod res eſt, cauſæ morborum infantilium ſuperandæ prorſus imparem. (*p*) Concedunt omnino interdum, hoc enim fateri debeo, ſuum terreis abſorbentibus locum, ſed aut parcis nimis doſibus ea præſcribunt communiter, aut cito nimis ab uſu deſiſtunt. Turpe dictu eſt margaritas præparatas nullam præter antacidam virtutem cuſtodientes, & ſi largius hoc fine exhibeantur (licet nulla præ cancrorum lapillis iis vis eſt) ſæpe profuturas, ad pauca grana ſcopo cordiali analeptico & antepileptico ridicule non raro adhiberi. Verbo eloquar abſorbentia quæ amplis doſibus adultis porriguntur, ubi nil uſum eorum indicat, tenellis hæc remedia præ multis aliis pharmacis præcipue poſcentibus vix primis labris deguſtanda præbentur, ut aliquis harum rerum ignarus injurios in tenerrimorum infantum vitam & ſanitatem, & rapaciſſimos præſidiorum ad ipſos pertinentium helluones adultos homines haberet, niſi culpa ad medicos poſſet deferri, atque abſorbentia remedia paratu ita exiſterent facilia.

§. 7.

Cum enim uſum abſorbentium apud infantes viri graves valde inculcent, is hic denuo morbis ipſorum vindicari meretur.

Neque tamen interea poterit negari, præcipuas quos ſupra nominavi de affectubus infantibus propriis ſcriptores, dum acidum recte urgent, multis elogiis antacidorum abſorbentium uſum in medicatione eorundem commendare, imo vero vel primum hujus generis remediis locum concedere. Ubique fere abſorbentia quorum rationem veram utilitatis hactenus paucis fuiſſe notam juſte afferit porrigenda tenellis ægris vult Clariſſimus Sylvius. (*q*) Nec minus multus eſt in iis extollendis Celeb. Ettmullerus. Vocat ea apud infantes anodyna tutiſſima et indubi-

(*p*) Rectiſſime hunc pulverem nullius in infantum affectubus eſſe efficaciæ monuit Cl. Stahlius diſſ de morbis infantum, ut adeo eo magis mirandum ſit, cur ad hunc diem non ſaltem providæ matres ad unam omnes, ſed tot præclari Medici ad ineptum hoc remedium recurrant, quod nec acido ſuperando, nec viſcido ſolvendo par deprehenditur, nec aliis finibus quadrat.

(*q*) libro de morbis infantum, Operum p. 611. §. 70.

dubitata (r) Gvaltervs Harris & exhibitos ejusmodi pulveres tormina & inquietudines quaſcunque eadem certitudine compeſcere ait, qua rhabarbarum alvum movet, qua narcotica dolores & vigilias ad tempus tollunt, cortexque peruvianus febres debellat. (s) Sed largiores doſes, repetitumque uſum perite deſiderat; (t) atque dum mitiſſime agunt, & nullam calefactionem teneris corpusculis præbent, eorum uſum omnibus aliis medicamentis in puerulis curandis longe anteponit. (u) Probat ſolertiſſimi & candidiſſimi viri placita ratio, rata ea eſſe jubet circumſpecta & caſta experientia, ſed quid tandem boni inde conſecuti ſunt miſeri puſiones? Parum dico, & nihil fere! Quid enim me impellit, ut quæ vera ſunt & veriſſima diſſimulem. Nidor excrementorum nares feriens aperte tormina infantilia acido deberi loquitur. Experimentorum fide certum eſt tantillo acidi corpori calloſo cerebri vel duræ meningi vivi animalis admoto, miſerrime id convelli, at quotusquisque medicorum in torminibus & convulſionibus puerulorum hæc expendit ſerio? Moriuntur multi, qui forte aliquando ſervari poterant puſiones, cum eſſentia dulci, pulvere Marchionis, vitali, ſolari, ſpecifico cephalico, antepilepticis variis; Quid enim hæc omnia ad peccans acidum quod ſola abſorbentia multum repetita & ſaponaceis laxantibusque miſta feliciter oppugnare valent. O quam polychreſta hæc ſunt apud ægros infantes remedia! quam turpiter a peritis cœteroquin viris negliguntur! norunt eorum energiam experti. Sæpe ego, quod ſine jactantia dixerim, his profui, ſæpe vidi veritatem aſſerti Boerhaviani: (v) *Epileptici inſultus his ſolis curantur, ſi medelam capiunt.* At quam multa his opponuntur inepte & gratis! Eja vos Medici! qui iniquam conſuetudinis tyrannidem mecum in arte deteſtamini, negligamus inanem illum fatuorum remediorum apparatum, quo vocalis &

 lucri

(r) de morbis acutis infantum p. 11. edit. Amſtel.
(s) p. 94.
(t) p. 52. & 56.
(u) p. 68. 69.
(v) aph. 1358.

lucri cupida jactantia vulgo & multis ex ordine noſtro hactenus impoſuit. Vindicemus una tenellis ægrotantibus ea, quæ ipſis a viris gravibus aſſerta ſunt, quæ turpis oſcitantia ipſis raro nimis & parce nimis hactenus conceſſit. Magna abſorbentibus vis eſt, & major quam prima fronte aliquis crederet, imo omni ſolari medicina præſtantior. Sed utut continuato uſu egregie affectubus infantum pluribus felicia medeantur, caveamus ſedulo ne in aliud devium deflectamus, iisdemque ſolis fidamus. Omnis methodus Harriſiana curandi infantum morbos his, & intermiſſis laxantibus abſolvitur, atque eadem licet ſterilis & ſimplex videatur ſæpe ſufficit. At non acidum ſaltem ſed & viſcidum ſimul in tenellis corpuſculis peccat, illi recte abſorbentia deſtinantur, huic incidentibus & ſaponaceis opus, & tum utrumque pulchre penitus everrunt tuta & lenia laxantia. Raro nobis apud infantes adhibentur mel, vitelli ovorum, ſapo venetus, elixir proprietatis clauderianum, oleum amygdalarum, ſed vix dici poteſt quam eximios effectus hæc remedia poſt ſe relinquant, fruſtra reclamantibus iis, qui ſuis ſpecificis & aliis ineptis pharmacis inhærent, nec de cauſarum morbificarum vera indole, nec de opponendorum remediorum viribus ſolliciti. Qui volatilibus nimis paulisper a Sylvio & Ettmullero collaudatis & præcipue liquore C. C. ſucc. ac ſpiritu ſalis ammoniaci aniſato parce & circumſpecte uti ſciverit, qui laxantia alvum, ac inter ea mannam præcipue & rhabarbarum cum clyſteribus blandis ſaponaceis, juſto tempore adhibuerit, qui oleoſa ac mucilaginoſa, quæ interdum a ſpaſmorum ferocia & acrimonia urgente efflagitantur porrexerit, qui ſaponacea, vitellos ovorum, ſaponem Venetum, mel ſimplex vel & ſquilla acuatum viſcido peccanti opportune oppoſuerit, qui demum abſorbentia non ad grana & ſcrupulos, ſed neceſſitate poſtulante exiguis ſed crebro repetitis doſibus & interpoſitis ſubinde ſaponaceis & laxantibus ad integras ſenſim drachmas exhibuerit, habebit forte omnia, quæ affectubus infantum conveniunt, ac iis utens ſæpe de pulcherrimis eventubus felix lætabitur. Hæc e contra indicatiſſima remedia pigre ignorans, aut oſcitanter negligens, parum in medicatione infantum gloriæ

acqui-

acquiret, quæcunque demum alia pharmaca elegerit ac quocunque demum illa nomine magnifico ſuperbiant, quum aliis fere omnibus præter citata adhibitis, nemo puſionum, niſi ſponte ſanetur.

CAPUT VI.

Terreorum e ventriculo & inteſtinis tranſitum dubium in ſanguinis humorumque oceanum expendit.

§. I.

QUicquid vero condigne a me collaudata abſorbentia boni in infantilibus morbis præſtant, id omne in ventriculo & inteſtinorum alveo exequuntur; neque opus eſt dum cauſam continentem & proximam hic offendunt, ut ulterius ad vaſa pergant, ipſumque ſanguinis humorumque oceanum ingrediantur. Multis etiam adhuc, iisdem ſat ponderoſis dubiis expoſitus eſt terreorum remediorum in genere ore aſſumtorum, ex inteſtinis per vaſa lactea ad maſſam ſanguineam tranſitus, quem multi horum medicaminum amatores ceu indubium & extra controverſiam poſitum gratis ſupponunt; Quando iis varios effectus in corpore humano adſcribunt, qui ſine eo concipi omnino nequeunt. Quodſi ſerio perpendentes ea quæ ſubtiliores Anatomici de lacteis venis ſcripſere, harum oſtiola in inteſtina ex omnibus punctis tunicæ villoſæ hiantia, adeoque longe minutiſſima animo contueamur; vix veroſimile nobis videri poterit terrea remedia quæcunque, etſi in ſubtiliſſimum pollinem redacta ſint ſervata ſua terreſtri indole ingredi illa facile poſſe. Valde autem e contra probabile eſt, omnia hujus generis remedia præcipue ſi doſi paulisper largiori peccent artifices, ac vis motus periſtaltici langueat, occludendis & obſtruendis lacteorum principiis ac venularum aliarum bibularum orificiis admodum habilia inveniri. Atque ejusmodi ſuſpicio naſci omnino debet attentius conſideranti, ab abſorbentium abuſu oriri interdum ſolere in infantibus adnotan-

Vix probabile eſt terrea pergere ultra primas vias.

te Cl. ALBERTI (x) atrophicos affectus, a denegato chyli ex inteſtinis in vaſa lactea ob obſtructionem eorundem introitu unice pendentes. *A nimia adhibitione terreorum abſorbentium* ait, *uti ſunt conchæ præparatæ, corallia, lap. cancr. obſtrui poſſe foramina vaſorum lacteorum firmiſſime opinor, obſervarunt enim, qui corpora infantum diſſecuere, quod in iis, quibus abſorbentia in nimia doſi propinata fuerant cruſtæ quædam ſolideſcentis materiæ tum in ventriculo, tum etiam in inteſtinis tenuibus oculis ſe ſubjecerint, quæ vix ab horum ſubſtantia divelli potuerunt, ſicque non ſolum in ventriculo ſeparationem liquoris gaſtrici prohibuerunt, verum & oſtiola vaſorum lacteorum clauſere, ut chylo aditus ad maſſam ſanguineam fuerit præcluſus.* At vero objiciet forte aliquis, non de ſolis infantibus abſorbentibus utentibus ſed & de adultis etiam hic ſermo, nec de abuſu eorum, ſed de uſu perito & modico, quando intrare illa lactea vaſa affirmatur. Regero autem facile multo minimum facilius corpuſcula terreſtria remedii præterlabi in canali alimentorum aperta oſtiola, & alvo tandem cum excrementis excerni, quam in ea ſeſe inſinuare, atque ulterius in ſubtiliſſimis alveolis progredi. Fingam deinde, imo vero, quia nulla fictione hic opus, aſſumam tanquam certum, in ventriculo & inteſtinis congeri ſæpiſſime mucum viſcidum ac pituitoſum; Ponam porro terreum pulverem aſſumptum huic mucoſo magmati commiſceri, an ingreſſurus is aperta oſcula lactea ſeſe ex his vinculis ſtatim & facile extricabit? An potius cum muco efformabit tenacem & limoſam cruſtam patula villoſæ tunicæ oſtiola oblinentem atque obſtruentem. Judicent omnes a præjudiciis liberi. At vero ſit ſit ita, ingrediatur cum ſuo vehiculo aſſumtus terreſtris pulvis illa minutiſſima foraminula, quæ ex inteſtinis ad alveolos lacteorum ducunt, an tum certo & ſtrato itinere facilis perget, atque per tot anfractuoſos canaliculos ad ipſum mare microcoſmicum devolvetur? Qui illos mirabiles glomos, gyrosque vaſorum ex quibus glandulæ meſaraicæ effinguntur; qui lactea primi generis vaſa his glandulis innumeris ſurculis implantata, indeque minutiſſimis tubulis emergentia iterum, & in vaſcula ramoſa majora

ſenſim

(x) diſſert. de atrophia §. 10.

ſenſim degenerantia, quæ tum vaſa lactea ſecundi generis audiunt, mentis oculis ſolers contuetur, is hercle mille difficultates, mille obſtacula videbit quæ liberum tranſitum terreſtrium pulverum ad ſanguinem morantur.

§. 2.

Verum quid hæc omnia ita ponderaſſe juvat? audio obmurmurantes fautores pulverum hallucinari me inſigniter, nugarive impune, de inſignibus remediis, quæ demum recluſa & ſoluta in ventriculo immutataque rudiori textura facile anguſtiores vias ad ſanguinis oceanum ablegantes decurrere ab ipſis reputantur. Nova ergo occurrit de ſolutione remediorum terreſtrium in ventriculo meditatio, cui operam aliqualem daturus ſtatim reminiſcor verborum HELMONTII (y) apprime huc facientium. *Gemmæ*, inquit, *ſilices, marmora & quæcunque cryſtallinam habent duritiem, nequicquam agunt aut patiuntur in nos aut a nobis niſi per modum appenſi. Vis horum ideo languida, quia corpore nimis denſo clauſa latet. Perlæ vero & corallia ac quæcunque conchyliorum ſaxatilem duritiem habent gemmis quidem in duritie cedunt, attamen proinde nondum conficiuntur in ſtomacho humano, ut bene in quibusdam avibus. Lapides autem bezoar, cancrorum &c. adhuc perlis minus duri non ſunt de natura ſaxatili, ſed potius fiunt ex ſucco lacteo ſemicaſeato & ſemiputrefacto, habentque tophi naturam inter cartilaginem & lapidem neutram. His ita pro veritate rei ſuppoſitis dico, quod lapis bezoar, cancrorum &c. quoad ſolidam pulveris ſui materiam nullatenus digerantur a ſtomacho humano, attamen illis ineſt ſuccus lacteus & mucilagineus magnæ virtutis, exiguæ tamen quantitatis.* Aliquot deinde interjectis verbis Galeniſtas alloquitur HELMONTIVS: *Si lapides præfati vel perlæ pulveretenus aſſumta in nobis liqueſcerent, fruſtra tentatis diſſolvere ea.* Ægre ita ſolutionem remediorum terreſtrium ut ex citatis apparet ſuccedere in ventriculo ultro HELMONTIVS agnoſcit, neque prudentiorum Medicorum aliquis eam adeo facile expectandam eſſe judicabit, niſi forte in ventriculo occurrat aliquid

An ſolvuntur in ventriculo? an ſoluta pergunt?

(y) Oper. Part. II. p. m. 104. Tr. de febribus.

aliquid quod menſtrui vires gerat, atque ita terreum remedium aſſumtum ex ſua indole indiſſolubile permanſurum ſolubile demum reddat. Norunt autem ſagaces chemici vel ex ſola magiſteriorum præparatione eximias acido vires eſſe recludendi & diſſolvendi integre terreſtria corpora, quod ipſum præ multis aliis eleganter adnotavit in ſuis doctiſſimis elementis Chemiæ inſignis Boerhavius. Audiamus propria ipſius verba: *Denique*, inquit, *aqua poteſt diſſolvere multa terreſtria corpora quæ ſola nunquam ab eadem aqua dilui poterant neque diſſolvi. Oſtracodermata piſcium mollium, chelæ, thecæque cancrorum, gammarorum, cochleæ limacum, piſciumque, tam in fluviis quam in mari degentium; lapides, calculi, concreta lapidoſa animalium; illorum cornua, ungues, oſſa & alia ſimilia poſtquam primo in acidis ſuis propriis ſolventibus eroſa penitus fuerunt, deinde queunt in aqua omnino diſſolvi. Idem etiam creta, corallia, margaritæ, mater perlarum, ſaxa calcinata, ſilices, dudum docuerunt* (z) Atque his ita ſeſe habentibus, verum omnino redditur terreos pulveres deglutitos ſi acidos humores in ventriculo offendant, maxime ſi tenerioris nec rudioris laxeæve indolis fuerint, accedentibus aqueis & diluentibus humoribus commode ibidem poſſe diſſolvi. Tamen interea non negandum eſt cum id experimentorum ope demonſtrari queat, dari in terreorum pharmacorum catalogo bene multa, quæ ad ſolutionem ſui acrius paulo fortiusve acidum requirunt quale in humanis corporibus ſupponi non poteſt, quæque adeo non obſtante præſentia acidi nihilominus indiſſoluta ibidem poterunt hærere, ſi mitius illud acidum, quod præſto eſt, ſolutioni haud ſufficiat. Id ſaltem veriſſimum habendum prorſus impoſſibilem eſſe ſolutionem terreorum aſſumptorum in ventriculo, ſi nihil acidi in eodem occurrat, quod minimum rebus naturaliter conſtitutis non adeſt, cum nec gaſtricus liquor nec ſuccus pancreaticus vel tantillum acidi contineant, quicquid tandem

(z) in Chemia art. I de aqua p. 489 Idem repetit Boerhave, ubi alibi de menſtruis agit, nempe p. 612. ita inquiens; Plura terreſtria ſi in acidis corroduntur prius, tum patiuntur ſe in aqua perfecte dilui, ut ibidem dein ita lateant, ut totus liquor limpidiſſimus appareat.

dem viri cœteroquin doctiſſimi de eo proferant. Quare notatu digniſſima cautio eſt, quam de uſu abſorbentium agens appoſuit Excell. HOFFMANNVS: (a) *Quia alcalina terrea non niſi ab acido diſſolvuntur cavendum utique eſt, ne in iis morbis, ubi primam regionem in qua abſorbentia maxime operationem ſuam exequuntur magna crudorum & viſcidorum ſuccorum colluvies obſidet, indiſſoluta ibi hæreant, ſtomachum gravent, appetitum & digeſtionem deſtruant, alvumque reddant adſtrictiorem.* Eſt igitur & ſolutio terreorum in prima regione non ſemper extra dubium poſita, ſed ſi eam etiam tantisper poſito præſente acido largiar, & ab eo ſoluta terrea pergere ad ſanguinem poſſe concedam, id tunc poſtulo jure ab adverſariis meis, ut & ii mihi concedant terrea ſoluta non amplius eſſe terrea, nec agere ut terrea in maſſa ſanguinea. Aliam igitur indolem quando per ſolutionem acquirunt, ea indoles primo inveſtiganda eſt, antequam certi aliquid de actione eorum extra ventriculum & inteſtina poteſt determinari; aliter enim omnia quæ terreis medicamenti particulis ad ſanguinem delatis, ibidemque modo gravitate, modo aliis falſo ſuppoſitis potentiis agentibus pulchre differuntur, pro fabellis nitidis & eruditis narratiunculis habenda erunt. Enixe ego lectores ingenuos obſecro, ut meditationes meas ſerio expendant, quas de terreorum pharmacorum ſervata ſua priſtina terreſtri indole difficulter concipiendo ad ſanguinem tranſitu hactenus expoſui.

§ 3.

Elegans locus Fulleri tranſitum negantis.

Sunt certe quos idem mecum ſtatuere non ſine voluptate animadverto, atque inter varia hujus rei teſtimonia quibus omnibus offendere lecturorum patientiam nolo, unum paulo diffuſius & prægnans ſufficiet, quod, impetrata ab iis venia, adducam. Habet Cl. FVLLERVS in pharmacopœia ſua extemporanea (b) inter multa egregia remediorum genera pulverem ut vocat edulcorantem, ex terra lemnia, coralliis rubris, lap. cancr. teſtis ovorum

(a) Med. Syſt. Tom. III. p. 467.
(b) pag. 235.

rum & oſtrearum concinnatum, atque hujus occaſione ita diſſerit: *Ubicunque datur acidum in ventriculo & inteſtinis hujusmodi abſorbentia & concentrantia locum habent.* *Utrum vero illud unquam deprehendatur extra primas vias nec ne, nondum ſatis compertum habeo. Obſervabile quidem eſt juſcula carnium ſi diu ſint ad corruptionem aſſervata aceſcere, exindeque probabile forſan ducatur argumentum, ſuccos in corporis receſſubus occluſos & corruptos aciditatem contrahere. Hoc vero ſi conceſſerim, nullatenus tamen ſequitur edulcorantia terrea tales ſuccos tam longe diſſitos corrigendo paria eſſe, quippe quorum vis omnino in primis viis abſumi ſolet; Adeoque in ſanguinis maſſam & corporis habitum pervenire nequit. Si experientiam conſulamus certiſſimum eſt infantes acido nocivo in viſceribus abundare ſolere, magnamque partem morborum eos affligentium ab hoc fonte eſſe deducendam, eorumque curationem conſequenter a teſtaceis & cretaceis omnino eſſe petendam, atque tam peculiaria eſſe huic ætati medicamenta, ut raro pueris conſulto & ſufficiente quantitate exhibita novi quin laudabiles exinde effectus ſequerentur. E contra vero adultis utiliter data nunquam memini. Ratum ergo habeo teſtacea pueris & primis viis, minime autem adultis ſanguini & ſuccis appropriata eſſe remedia.* Dictum hoc omne ſibi velim putent illi, qui vix morbi nomine audito facillimi inveniuntur in offerendis ſuis rudibus & terreſtribus pulveribus. Peſſimæ ſunt hæ conſuetudinis leges atque a nullo ſolide docto Medico agnoſcendæ. Eheu bone Deus! quis hoc crederet prudens! Jacent otioſi in ventriculo pulveres, & a medentibus nihilominus morbis iis deſtinantur ſæpiſſime, quorum ſedes a ventriculo longe remotiſſima; Debent illi in fugam agere hoſtes, cum quibus congredi ut fieri debebat per tot locorum intervalla prohibentur! Papæ! mordaci ſale hæc medentum turba conſpergenda videtur, dolendumque valde ab Harveo caſtigante acriter Medicos aquarios, aſino-Doctores, lanio-Doctores, ferreos doctores &c. negligenter eſſe omiſſam ſectam Doctorum pulverulentorum & terreſtrium.

§. 4.

Ipſi fautores terreorum il-

Fingere hi tandem deſinant eximios terreſtrium pharmacorum effectus, quos nemo ſine ſufficienti eorum cum humorum

maſſa

maſſa miſtione mente valet aſſequi, imo vero ingenuo ſuffundantur pudore quando pronunciavero illos etiam Medicos, qui acido cauſæ morborum & antacidis ei opponendis remediis tantum non omnia in medicina attribuere, libere & cordate nihilominus aſſerere, omnem actionem terreſtrium pulverum in ventriculo abſolvi, neque eos poſſe ulterius progredi intra animal, ut ad Pitcarni ſtylum loquar. *Lapidem cancrorum non diſſolvi e ſtomacho humano, nec proinde etiam penetrare ad loca procul diſſita in materia ſua lapidea, ſed acorem ſtomachi reſolvere quantum poteſt de ingeſtis lapidibus, atque in prima ſtomachi officina perire rerum aſſumtarum craſes, exurgereque novas*, palam eloquitur Pater acidi & antacidorum in medicina HELMONTIUS. (c) Neutiquam deinde mihi tempero, quin huic effato jungam ea quæ diſſertatione aliquoties jam allegata de uſu & abuſu præcipitantium ſcripſit Cl. ETTMULLERUS. *Fixa præcipitantia, ut mineralia terrea, metallica, lapidea & vegetabilia ſtyptica ac duræ animalium partes, exque his parata calcinata, uſta, ſoluta &c. C. C. uſtum ſpecificum febrile Strobelb. terra ſigillata, lapis hæmatites, antimonium diaph. bezoardicum minerale, unicornu animale & minerale ultra primas vias materialiter haud penetrant, quin utcunque alterata & in primis viis præcipitata cum ſcoriis recrementitiis per ordinarias portas denuo eliminentur. Quæ ſolubilia facilius ac menſtrui medio hinc inde diſtribui apta nata ſunt ut ſalia fixa, lap. cancr. oſſa lucii & ſimiles animalium partes facilius ſolubiles, forſan altius intra corporis receſſus extra primas vias diſtribui probabiliter videntur. Tamen conſideranti præcipitationem particularum metallicarum v. g. plumbi in aceto ſoluti, Auri in ſpiritu ſalis, ſcrupulus facile ſuboriri poſſet, an non ſoluta licet iſta in ventriculo in inteſtinis tamen ante ſui in lactea propulſionem, pariter ſi non ex toto ſaltem ex maxima parte præcipitentur, quocunque fiat medio, & ita foras amandentur. Similiter enim & oſſa a canibus ſoluta aut teneriores lapilli a gallinis quaſi liquefacti excrementa eorum copioſe impragnant, etiamſi a ſanis & quorum vis digeſtiva, ac ſi ita loqui licet ſolutiva potens admo-*

lum difficilem conceptu eſſe, ultro concedunt.

(c) in tract. aditus præcluſus ad condum &c. Oper. p. 342. Part. I.

modum exiſtit devorata & deglutita fuerint. (*d*) Hæc omnia ſine præjudicio trutinans nullus mirabitur, ubi Cl. LANGIUM de tranſitu terreis ad ſanguinem denegato veluti de re quadam extra controverſiam poſita loqui animadvertet. Ita enim ille differit in diſſertatione ſua de palpitatione cordis, *de terreis quæ communiter præcipitantia dicuntur notum eſt, quod vires ſuas ſtatim in primis viis perdant, & ultra ipſa non niſi mutata penitus ferantur.* Quodſi igitur ſummi antacidorum patroni quorum trigam allegavi confiteri haud verentur, actionem & operationem horum remediorum in corpus humanum circumſcriptam eſſe primarum viarum terminis, quis jure vitio vertet neganti pertinaciſſime impoſſibilem eſſe curam eorum morborum per terreſtria remedia, qui remotiorem a ventriculo & inteſtinis ſedem nacti ſunt, quorumque continens cauſa ſine immediato remedii opponendi contactu ſuperari nequit. Aut ſane hic cadit omne abſorbentium terreorum elogium, quod vel ipſi pathologiæ acidæ ſtatores his remediis decrevere, aut fabulæ ab iis in medium proferendæ ſunt, quibus tamen quomodocunque etiam effingantur, nulla ægritudinum fugata eſt unquam.

§. 5.

Licet uſum eorum, qui ſine eorum tranſitu in ſanguinem ſæpe vanus eſt, fabellis quibusdam ſtabilire nihilominus laborent.

Atque hæ ut alibi luxuriant, ita & hic non deſunt. Ponunt quippe fautores acidi in pathologicis ejus fontem in ventriculo & inteſtinis, inde vero illud auræ inſtar ſe diffundere per omne corpus, atque ita parere morbos graviſſimos, fonte malorum expugnato ſtatim feliciter profligandos lepide nugantur. Ita enim OTTO TACHENIUS (*e*) acidum ſtomachale in corpore peccans non inſtar torrentis, ſed inſtar auræ ſeu odoris operari aſſerit, pariterque ETTMULLERUS (*f*) acidum ex ventriculo auræ inſtar ſe in omnes partes diffundere, hinc nec opus eſſe ut ſenſibus adeo manifeſte ubique pateat perperam contendit. Fluunt inde omnino egregia illa confectaria præcipitantia vulgo dicta,

(*d*) Cap. II. §. 24.
(*e*) in clave p. 237. & 242.
(*f*) diff. de præcipit. cap. II. §. 22.

ᵭa, & ſi primas vias non excedunt, nihilominus partes remotiores (*g*) curare, quia auram peregrinam figunt, atque cancrorum lapides etiam in ventriculo conſtitutos mitigandæ vulneris in pede inflammationi rubori, dolori pares exiſtere, dum ſaporem acidum in ventriculo abſorbent. (*h*) At bone DEVS quis modernorum Medicorum ea laboraret in arte ſua imperitia, ut ejusmodi narratiunculis fidem adjiceret. Si vero aura illa eſt inane figmentum, ſi deinceps vix credibile reddi poteſt terrea migrare ex ventriculo ad mare microcoſmicum prona inde conſequentia fluit, non poſſe ea remedia ſanare morbos in remotioribus locis; nec poſſe præſtare operationes in corpore vivo, quæ tranſitum remedii ad ipſam partem affectam cum ſanguine circulante neceſſario ſupponunt. Judicate obſecro ipſimet cordati doctique Medici! anne ita cadunt plurima illa bona, quæ ex uſu terreorum remediorum in morbis perperam ſperantur? Anne hæc ſola conſideratio ſufficit demonſtrationi ineptiſſimi uſus pharmacorum hujus generis? Vix credo aliquos veſtrum conſenſum partium nervoſarum cum ventriculo allegaturos, atque ex hoc capite terreorum polychreſtas virtutes derivaturos, quum nemo unquam probaturus ſit, vere in nervos agere hæc medicamina. Si acidum in ventriculo ac inteſtinorum canali peccaverit, ac ibi fibrarum ſpaſmos convulſionesque proritaverit, eosdemque anomalos motus propagari ulterius per nervorum ſyſtema fecerit, ut ſæpe in infantibus fit, proderunt omnino ex abſorbentium terreorum catalogo omnia, ſed bene hic juvabit animadvertiſſe, cauſam malorum per conſenſum nervorum etiam in remotis a ventriculo partibus mala patrantem oppugnare quidem hæc remedia, non autem ipſa agere in nervos ventriculi & in alios commercii lege cum iis adfectos. Sane veriſſimum eſſe perſvaſus ſum, nil boni unquam extra ventriculum efficere abſorbentia atque ea propter fruſtra eadem opponi omnibus morbis ſedem ſuam nactis extra ventriculum, ut ſæpe dixi. Vix mihi videtur res ſatis clara reddita alia demonſtratione egere, non-

(*g*) ibid. §. 25. 26.
(*h*) ibid. §. 25.

dum tamen finem dicendorum facio. Ero nimirum ego non rigidus ſaltem, ſed æquiſſimus ſimul virium terreſtribus medicaminibus adſignari ſolitarum cenſor. Concedam tantiſper per univerſum quod meditor opus, etſi id concedere nunquam teneor, miſceri aſſumpta hæc remedia undis vitalibus ferrique per totum corpus cum iis ad partes ſingulas. Sed vel his etiam conditionibus poſitis nihilominus ea ſine omni fructu ſæpiſſime ab ægris aſſumi, clariſſime demonſtrabo. Quis plura a me poſceret jure?

CAPUT VII.

In vires terreorum diaphoreticas communi Medicorum ſuffragio ipſis adſertas inquirit.

§. I.

Terrea communi conſenſu ad diaphoretica referri probatur

Atque ita tranſeam tandem, miſſis omnibus aliis ambagibus, ad rigidius examen quod terreis medicaminibus indixi, inquiramque primo loco accuratius, an jure tueantur virtutem ſuam diaphoreticam, quam ipſis communi conſenſu hactenus tributam eſſe omnes norunt. En ſelectiorum ex hac claſſe apparatum! *C. C. ſine igne, & variis aliis modis præparatum, lap. cancr. antimonium diaphoreticum bezoardicum ſolare, martiale, minerale, ſuccinum præparatum, mandib. lucii piſcis, unicornu foſſ. verum; umbilicus marinus, præparat. terræ ſigillatæ variæ, conchæ præparat. mater perl. præp. margar: lapis bezoar. Orient. & Occid.* Ex compoſitis: *Pulv. bez. Senn. Ludov. Mich. Wed. pannon. rub.* &c. Hæc omnia, quantum novi dicuntur, habenturque diaphoretica. Neque ignotum alicui eſſe poterit, quantum fiduciæ in his omnibus collocet vulgus, imo eminentioris etiam ſortis fœmellæ, providæque Matresfamilias. Ad omnes demum morbos quadrare C. C. uſtum cum lap. cancr. veſperi ante lecti introitum aſſumtum ſub ſpe fluxuri inde ſudoris apud nos quidem plebeji homines opinantur, pariterque euporiſtum hoc remedium ditiorum quidam inconſulto

ſulto Medico ituri cubitum frequentiſſime deglutiunt, ac ſi mador aliquis cutis mane cum euphoria regiminis lectique beneficio obtineatur, (*i*) id ſibi ſuisque ſervant, ac inter domeſtica pharmaca recondunt. Ita ſi plebi, plebejisque ditiorum præjudiciis fides habenda eſſet, firma niteretur talo ſententia hæc & alia terrea vi gaudere certiſſima movendi ſudores. At vero nec Practici clinici aliter ſtatuunt, quæ enim præſidia ex omni medicinali materie illis magis adhibentur quam diaphoretica ut dicuntur fixa? quotusquisque ægrorum a lectulo ſuo reſurgit, qui pulveres diaphoreticos fixos non deguſtaſſet? quotusque eorum fatis cedens terræ matri cuſtodiendus traditur, qui terræ remedia ſuo in ventriculo ſepulta non ſecum ex orbe reportaret. Revolvite paulisper lectores mei! Medicorum doctorum etiam peritorumque monumenta, nec ad medicinæ Practicorum vulgares medendi methodos ſaltem attendatis; atque & illos quod ſæpe miratus ſum ubique fere mentionem injicere diaphoreticorum fixorum experiemini, neque facile occurret morbus cui ab iisdem hujus generis remedia non opponuntur. Dies certe deficeret, ſi hujus aſſerti teſtimonia innumera allegare animus eſſet. Rurſum percurrite obſecro ſecundum ordinem materiæ medicæ, rerumque pharmacevticarum ſcriptores, atque ad unum omnes, nec recentiſſimis eorum exceptis terrea ad diaphoretica referre mirabimini, unumque ex altero bona fide transtuliſſe in ſuum volumen præconceptas opiniones, erroresque ita erroribus cumulaſſe liquido animadvertetis. Ut nugis innumeris ſcatet ***pharmacopœia Schrœderiana***, ita dives etiam eſt terreſtrium remediorum pro diaphoreſi elicienda commemoratione, nec opus ut excerptis inde petitis chartas perdam, cum liber ubique obvius in omnium manibus verſetur. Valde doleo eadem oberrare chorda Commentatores Schrœderianos viros cœteroquin doctiſſimos HOFFMANNUM atque ETTMULLERUM, inſuperque alios ſanio-

(*i*) Deberent illæ providæ Matresfamilias atque vix ultra plebem ratiocinantes interdum Medici ponderare illa, quæ notat Sanctorius cap. de ſomno mane perſpirationem ſponte ſuccedere ſolere, ita illam non inepte tribuerent pulveribus verſus noctem heri deglutitis.

niora paulisper & veriora docentes libere carpere. En hujus rei documentum! Rectiſſime pro inutili & inepto pharmaco ZWELFERVS declaraverat *C. C. uſtum*, ſed cum hoc non faciens HOFFMANNVS in clave pharmecevtica ita loquitur: *(l) Zwelferus ceu inutile rejicit, & terram mortuam dicit C. C. uſtum, ſed alii uſtum in ſubſtantia aſſumptum diaphoreticum eſſe ſtatuunt, his nos etiam adſtipulamur, experientia quotidiana edocti C. C. uſtum non ſolum diaphoreticum obſervari ſed & ebullitionem humorum ſedare &c. Licet enim particulæ ſalinæ cum ſulphureis videantur deſtructæ tamen nil obſtat, alia enim eſt ignis, alia Archei ſtomachici eſt operatio cum remedii adaptatione, quam nullus intellectus humanus ſatis aſſequi poteſt. Nonnulli hunc effectum a ſale aliquo fixo, quem in eo ſupereſſe putant, provenire ſtatuunt, ſed autoptica deſtituimur experientia.* Si hoc omne ſibi perſuadere potuit HOFFMANNVS *in clave*, nil mirum eſt eum C. C. philoſoph. calcinato palmam præ omnibus diaphoreticis ex animali regno petitis detuliſſe (*m*) ac conchas præparatas admirandæ eſſe virtutis diaphoreticæ palam adſeruiſſe. (*n*) Eandem vero prorſus mentem cum Hoffmanno fovet *in collegio pharmacevtico in Schrœderum* Cl. ETTMVLLERVS ibidem enim lapid. cancr. ſudorem pellere, (*o*) mandib. lucii piſcis æque ac terras ſigillatas idem præſtare, (*p*) tandemque ex cervo omnia parata eſſe ſudorifera, (*q*) publice profeſſus eſt; ut alia hujus commatis aſſerta taceam. Recte ſupra *C. C. uſtum* repudiaſſe ZWELFERVM monui, ſed multa alia & inter ea omnia ſic dicta bezoardica & diaphoretica fixa, quæ perperam ſervavit quoque rejicere is debuiſſet *in animadverſionibus in pharmamacopœiam Auguſtanam* quas merebatur omnino, & adhuc proh dolor! promeretur. Notum eſt, quid cœteroquin ſua reformatione in pharmacevticis boni præſtiterit vir egregius DAN. LVDOVICI, ſed eheu! cum aliis ante ſe fatua diaphoretica fixa tolera- vit,

(*l*) p. 657.
(*m*) in clave p. 657.
(*n*) p. 699.
(*o*) Oper. Tom. I. p. 692.
(*p*) p. 694. & 711.
(*q*) p. 659.

vit, ac inter diaphoretica animalia quæ exponit Cervo tanquam diaphoreticis exuperantiſſimo primum locum decrevit, *C. C. phil. calcinatum* actione ad diaphoreſin ſat evidens pronunciavit, *C. C. uſtum* revera in ſe non ob vehicula & ſtragula aut creditum quoddam ſal fixum officium ſuum præſtare in diaphoreſi elicienda edixit; *magiſterium etiam C. C.* ad diaphoretica retulit, tandemque *conchas præparatas & lucii piſcis mandibulas* claſſi horum remediorum inſeruit. Æque deinde facilis fuit in diaphoreticorum mineralium recenſione ad afferendum terreis variis ſuum locum. *Terras* nimirum *ſigillatas* cum *unicornu foſſili*, *antimonio diaphoretico*, *bezoardico minerali* ſervandas in officina autumat, ipſeque *pulverem* ſuum, ut vocat *polychreſtum* ex C. C. phil. calcinato, terra ſigillata & unicornu foſſili concinnat, quem jure Cl. STAHLIVS taxavit. (*r*) Pauciora elegerat ex diaphoreticis fixis in uſus clinicos LVDOVICI, ſed integrum eorum Catalogum recitat WEDELIVS (*s*) in amœnitatibus ſuis materiæ medicæ, quem hic apponere tædet, ut omnia taceam, quæ ex tractatu *de pharmacia in artis formam redacta*, & ex libro *de compoſitione medicamentorum extemporanea* allegare poſſem. Nil quicquam detractum volo *cynoſuræ mat. med. Hermannianæ*, ſed ægerrime fero, inter multa quæ expungi merebantur largiter collaudaſſe terrea diaphoretica Autorem non ſaltem, ſed & qui continuationem operis dedit Cl. BOECLERVM. An hic integro pharmacopolio contra quosvis morborum inſultus auxilia ſuppeditanti (*t*) & in cervo latenti inferendum etiam ducat C.C. phil. præp. uſtumque in medio relinquo. Paucis dicam: Omnia præſtantiſſimorum hominum ſcripta materiam medicam ac pharmacevticas compoſitiones complectentia & vel recentiſſimis temporibus luci publicæ expoſita diaphoreticis fixis, iisdemque falſo impoſitis encomiis ſcatent. Adeat cui libet *Pharmacopœiam Argentoratenſem* (*u*) *conchas præp. C. C. phil.*

(*r*) in obſervat. Stahlianis a Gœtzio editis Claſſ. I. p. 164.
(*s*) p. 346.
(*t*) in notis ad Hermanni cynoſuram Part. II p. 3.
(*u*) p. 228. 229. 245.

phil. præp. uſtumque, *oculosque cancr. &c.* tranſpirationem & ſudores moventia remedia nuncupari videbit. Perluſtret obiter *diſpenſatorium Viennenſe*, *C. C. aurati*, *ceruſſæ antimonii*, *C. C. phil. præp.* vires diaphoreticas prædicari deprehendet; Percurrat poſt alia diſpenſatoria evoluta *therapiam generalem Junckeri*, *Jantkii ſelectum materiæ medicæ*, ac recentiſſimas *inſtitutiones materiæ med. Cl. Teichmeyeri* & ibi in capitibus de diaphoreticis integras cohortes, plenosque exercitus diaphoreticorum terreſtrium ſeu fixorum ordine collocatos conſpiciet. Nil juvat hic appoſuiſſe ipſiſſimas innumerorum pulverum bezoardico-diaphoreticorum formulas in diſpenſatoriis noviſſimis reviſis etiam & correctis communicatas; atque in differentias horum pulverum ab antiquis forte compoſitionibus inquirere. Extitit ab aliquo tempore in Officinis noſtratibus *pulvis*, ut vocatur, *diaphoreticus novus*, neque enim finis ſperandus compoſitionis pulverum, quum ſemper inveniantur, quibus facile eſt inventis aliquid addere. Componitur is ex *antimonio diaph. lap. cancr. C. C. ſine igne*, *ſuccin. alb. præp. corall. rubr. terra ſigill. & nitro ſcordiato*. Quamvis vero æque ad diaphoreſin nil faciat, ac omnes hujus farinæ ſe antiquiores, tamen eousque non vulgo ſaltem proprio marte diaphoreticum remedium ex pharmacopolio ſubinde petenti, ſed Medicis ipſis in uſu frequens redditus eſt, ut nuper etiam inter ea remedia, quæ juſſu publico typis exſcripta inſtructione contra febres epidemicas malignas commendata ſunt, relatus legatur. Et quid multa? Vera opinor elocuturus ſum, quando dixero id pene inter Medicos ad fidei articulos referri terrea fixa movere tranſpirationem; ponique hoc ipſum ad veritates illas, de quibus in arte dubitare religio ſit. Saltem ego novi neminem, qui rotunde vim diaphoreticam terreorum pulverum negaverit, meque riſu a multis exceptum iri facile prævideo, quod impugnare auſus ſim rem ita per multorum annorum experientiam extra controverſiam poſitam, ut de illa dubitare vix per ſomnium aliquis cogitaverit. Atque ab iis præcipue ſibilos & cachinnos lucubrationibus meis ominor, qui de ſecuro uſu pulverum diaphoreticorum fixorum, potiuncularumque ex aquis diapnoicis, ut audiunt, concinnatarum in acutiſſimis febri-

 bus

bus aliisque periculoſis morbis gloriantur, atque hiſce remediis, blandiſſimaque ſua & naturæ amica methodo egregie ſeſe defunctos ſuo officio ſuperbi autumant, ſive æger evaſerit, ſive migraverit ad plures. Sed teneant hi pauliſper riſum obſecro, perpendantque ſerio, an forte ad illos Practicos referri mereantur, de quibus alicubi locutus eſt Cel. HOFFMANNVS, quando ita ſcribit: (v) *Illud hoc loco adjicio, quod plurimi morborum & ratione indolis cauſarumque, & ratione laborantis corporis, adeoque etiam ratione curationis ſint prob dolor! incogniti, non ex ſe, & ſua natura, ſed propter ignorantiam eorum, qui divinam hanc artem temerario plane auſu exercent. His itaque ego auctor, ſuaſorque ſum, ut cum prodeſſe nequeant, ſi non nocere velint, debiliſſimas ſemper medicinas porrigant, quibus maxime clementer laxantia, analeptica temperata & diaphoretica fixiora annumero.* Sane hæc ad remedia debiliſſima, & nil proficientia ſi ulla alia, mea quidem ſententia pertinent. Nec reticere hic poſſum, ſæpiſſime aut nullam plane diaphoreſin indicari ex morbi ejusque ſtadii, quod decurrit, ingenio; aut nondum de humoribus ad excretionem cutaneam aptis reddendis, ut decebat, cogitatum eſſe, quando nihilominus de diaphoreſi elicienda Medici clinici colloquuntur, ſuasque eapropter terreſtres formulas unanimi conſenſu conſarcinant.

§. 2.

Tamen hinc inde diſcordes ſententiæ inveniuntur, quod declaratur exemplo unius antimonii diaphoretici.

Etſi vero omnes ferme Medici, quod ſciam, inter ſe conveniunt catalogo diaphoreticorum pharmacorum, fixa terreſtria in genere ſpectata jure inſeri; Tamen ubi ad ſpecialem inquiſitionem ventum fuerit, hinc inde diſceptationes quædam occurrunt, an hoc præ altero viribus diaphoreticis polleat, imo vero an plane illis deſtituatur. Nolo hoc argumentum ita excutere, ut claſſem integram diaphoreticorum fixorum ſigillatim percenſeam, ſed operæ pretium duco, vel animi gratia lectoribus meis exponere quam diffidentes ſententiæ circa vires unius *antimonii diaphoretici* ſecundum excellentiam ita vocati, inter medicos oc-

(v) Med. Syſt. Tom. II. Part. I. cap. VI. p. 146.

currant. Tranſeo lubens dotes alias quas in calce hac inerti reſidere creduli quidam opinantur, nimis quippe innotuit antimonium diaphoreticum, non adeo ad partium internarum exulcerationes, corrigendamque puris acrimoniam, ac prohibendam ulteriorem ejus geneſin facere, ut de eodem prædicaverit Sylvius (x) & ex illo Cl. Ettmullerus. (y) Ut vero pateat quam portentoſa elogia antimonio diaphoretico olim ſaltem adſcripta ſunt, en unicum adſcribo decumanis mendaciis refertiſſimum a Schroedero promulgatum. Ita vero id ſonat: *Antimonium diaphoreticum reſiſtit corruptioni, mundificat ſanguinem, conducit ad omnes obſtructiones, licet inveteratas hepatis, liems, meſenterii aliarumque partium internarum; Adverſus retentionem menſium, cachexiam virginum, hydropem, melancholiam hypochondriacam, luem veneream, ulcera tam interna quam externa, ſcabiem: Præſertim confert in febribus malignis exanthematibus & variolis; rumpit interna apoſtemata, verum non ſubito ſed paulatim operationes ſuas exerit.* (z) Quis ſana mente præditus hæc omnia ſibi perſuaderi pateretur? Sed quicunque non ignorat, quam magnifice de antimonio crudo Chymiatri olim ſenſerint, quantasque vires in eo deliteſcere crediderint, is comprehendet facile qui factum ſit, ut fatuo antimonio diaphoretico ceu medicamento ex antimonio parato, miræ ejuscemodi laudes fuerint tributæ. Hæc vero & alia jam ſilentio involuta volo, ne extra oleas nimis vager, ſaltemque diaphoreticam vim calci illi antimoniali adſcriptam contemplor, de qua non rite convenire Medentum judicia dixi. Studioſe nimirum attendentibus innoteſcet clariſſime alios de eo prædicare quod ſudores moveat; alios quod ſaltem blandiſſime tranſpirationis ſucceſſum juvet; alios iterum fluctuare an id pro his finibus laudare debeant vel non, ſibique ipſis interdum plane contradicere; alios tandem penitus id pro inutili calce habere, cum quibus etiam me facere lubens profiteor. Inter eos qui magnas vires diaphoretico antimonio ad ſudoris usque

(x) Pr. Med lib. I cap. 15. §. 43. ſequ.
(y) Oper Tom. II. p. 403.
(z) libr. III. c. 17.

que expreſſionem adſcribunt, ſine dubio referendus eſt JVNCKERVS, ita enim hic de eodem ſuam ſententiam elocutus eſt. *Antimonium diaphoreticum diaphoreticorum remediorum princeps vocatur ex omnibus quæ vulgaris chymia ſuppeditat. Non ſolum enim ſudorem efficaciter impellit, ſed doſi quoque imminuta ad lenem diapnoen juvandam & tuendam commode inſervit.*(a) Locat id etiam inter ſudorifera Cl. LVDOVICI, totaque Praxis MICHAELIS ad ſudorem expellendum hoc remedium commendat, ut plures alios autores taceam. Amplior autem eſt numerus eorum Medicorum, qui antimonium diaphoreticum non ad ſudorifera, nec ad diaphoretica præciſe, ſed ad diapnoica ſaltem relatum volunt, quos inter ſtudioſe ſeligo STAHLIVM Præceptorem Junckeri, ut clarum fiat nec inter eos qui pleniſſime in omnibus aliter conſentiunt concordiam hic inveniri. Scripſerat videlicet Cel. JVNCKERVS diſerte ſatis, antimonium diaphoreticum ſudorem impellere & quidem efficaciter; at videamus paucis quæ de hac ſudoris movendi potentia STAHLIO mens ſit, en ita alicubi locutus eſt: (b) *Tam de antimonio diaphoretico, quam de bezoardico minerali tenendum eſt, neutrum eorum ſudorem movere. Certe enim niſi exquiſitum regimen, lectus calidus, hypocauſtum calefactum, quies ægri, magnaque ejus patientia accedat non facile ſudor ullus ſequetur. Utraque ſaltem placidiſſime tranſpirationem promovent non vero ſudores, atque niſi juſto regimine omnia ea removeantur, quæ exitum ſudoris morantur, ab his omnibus nulla promotio ſudoris ſperanda eſt. Sunt ergo tantum lenia diapnoica, quod in infantibus & ſenſibilioris præcipue naturæ ægris maxime apparet, quod ex multiplici experientia novi. Semper enim pulveres cum antimonio diaphoretico a me dati plus profuere, quam ſine eo exhibiti. Tamen effectus non in oculos incurrit.* Multum ergo JVNCKERVS a STAHLII placitis receſſiſſe hic videtur, quod ipſum præter voluntatem feciſſe exiſtimo, quum aliter iisdem, ut notum eſt, firmiter adhæreat; eoque magis me ita judicantem non a vero aberrare convictus ſum, quia in praxi ſpeciali paſſim non ad ſudorem moventia ſed ad temperatiſſima

(a) in therap. gen Tab IV. p. 133.
(b) in mat. med. Germ. p. 155.

diapnoica antimonium diaphoreticum retulit. (*c*) Nolo virum clariſſimum eapropter accuſare quod ſibi ipſi hac ratione contradixerit, quia forte doſeos ſubjectique ægri differentiam poſſet allegare & hujus intuitu id modo ad ſudorifera, modo ad diapnoica referre; licet ſudor a ſolo antimonio diaphoretico proritatus mihi inter mirabilia mundi collocandus videatur. At vero de alio Hallenſi Profeſſore Celeb. olim STABELIO aſſerere haud vereor, quod ſibi ipſi aperte contradixerit, judicent lectores mei ipſimet! Fluctuat hic, quod ſerio attendentes deprehendent, an laudare an rejicere antimonium diaphoreticum debeat, & tacite deinde id vere rejicit. Opus eſt ut ipſiſſima ejus verba apponam: *Noſtram*, ait, *ut hac de re ſententiam breviter exponamus, non quidem cum nonnullis hoc productum inter inutiles calces referimus, ſed tantas ei virtutes, quas vulgo ei attribuuntur, concedere etiam non poſſumus, hinc loco illius ſive ſulphur antimonii fixatum, ſive regulum antimonii medicinalem, ſive materiam perlatam pro uſu interno per multos annos maximo cum fructu adhibuimus.* (*d*) Putaret his lectis aliquis nil ſingularis attribuere STABELIUM antimonio diaphoretico, at nihilominus poſtea pergit: *Effectus antimonii diaphoretici varii ſunt, nam orgaſmum ſanguinis nimium & calorem quadantenus mitigat, motum progreſſivum humorum nimis languidum adauget, humores ſtagnantes reſolvit, excretiones per tranſpirationem ac ſudorem promovet.* Ita omnino multa bona & nullo modo contemnenda de antimonio diaphoretico prædicat, at dum hoc facit videtur mihi penitus oblitus eorum, quæ ante de eo ſcripſerat, ubi de materia perlata Crügeri egit, (*e*) ibi enim ſequentia verba invenio: *Omnibus illis in caſibus adhiberi poteſt materia perlata, ubi a recenſioribus Practicis ſive antimonium diaphoreticum ſive ceruſſa illius commendatur & meliori ſane cum effectu, uti per firmam experientiam edocti ſumus, & a priori etiam facile demonſtrari poteſt, nam po-*

ſteri-

(*c*) e.g. Tab. CXXXVII. p 1017.

(*d*) Tom. II. Chym. c. 25. p. 301.

(*e*) Tom. II. c. 24. p. 293. 294.

ſteriora illa (nempe antimonium diaphoreticum & ceruſſa antimonii, attendite lectores!) *aut nullam evidentem præſtant operationem, quando per affuſionem aquæ partes ſolubiles ſalinæ ab illis penitus ſejunguntur, aut plane contrariam nempe laxantem quando tales cum reliquis unitæ permanent.* Hic igitur antimonium diaphoreticum nullam evidentem operationem præſtare aſſerit, putarem autem ſatis evidentes eſſe effectus, quos ipſi tribuerat antea, (*f*) ſed omnes ipſi non poſſunt tribui. Saltem orgaſmum ſanguinis & calorem mitigare, & tamen etiam motum progreſſivum humorum adaugere, ſibi penitus contraria ſunt. Fallor igitur maximopere, aut Stabelius in determinandis effectubus ratione excretionis cutaneæ ab antimonio diaphoretico expectandis ſibi ipſi contradicit. Reſtat tandem ut probem dari etiam Medicos doctrina & praxi celebres qui non fluctuant ſaltem, an antimonium diaphoreticum viribus decantatis polleat, nec ne, ſed qui ſine hæſitatione atque rotunde pronunciant, nullas ipſi ineſſe. Inſtar omnium eſſe poſſet illuſtris BOERHAVE, ſi ullus alius exquiſitiſſime ſummaque diligentia cuncta illa trutinans, quæ remediorum nomen meruere, antequam quiddam eorum vel laudet, vel rejiciat. *Antimonium diaphoreticum iners noxia calx eſt*, ait doctiſſimus Vir, *carens omni actuoſo deprehendendo per obſervationes, carens omni bono, quod prius adhæreſcebat.* (*g*) Neque melius de eo ſtatuit Cel. WILLISIVS: *Quamvis antimonium diaphoreticum diaphoretici nomine inſigniatur*, inquit, *neſcio cujusmodi ejus particulis hæc virtus attribui poſſit, atque talem effectum ab hoc pharmaco ſæpius fruſtra expectavimus.* (*h*) Accedat ut trigam contemptorum antimonii diaphoretici ſiſtam joco-ſerium judicium GERHARDI GÖRIS magna certe in rebus pharmacevticis intelligentia conſpicui: (*i*) *Sale*, ſcribit, *& ſulphure id eſt activis ſuis principiis mediante nitro privata calx antimonii, vulgo antimonium diaphoreticum, parique paſſu ac æquali-bus*

(*f*) l. c. p. 301.
(*g*) in Chem. Tom. II. p. m. 452.
(*h*) Pharmacevtices rationalis part. I. cap. de ſudatione.
(*i*) in medicina contempta. p. m. 179.

bus ferme viribus incedens bezoardicum minerale, tuta ſatis, nemini-que nocitura (quod & panis eſt) ſed propemodum inefficacia ſunt remedia, ſi non alicui volatili nubantur, etiamſi inter medicantium vulgus decantatiſſima ſint; minime enim conveniunt virtutibus, facultatibusque, quas illorum præcones ipſis attribuunt. Vix mihi a præclariſſimorum horum virorum ſententiis videtur abludere celeberrimus HOFFMANNVS, etſi negari non poteſt eum ſæpiuscule antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, & alia hujus generis in praxi ſua magno Medentum ægrorumque bono edita, nihilominus, quod mirandum, citare atque commendare. Quid enim ſibi volunt ea quæ differit in obſervationibus chemicis: (*l*) *Bezoardicum minerale, ceruſſa antimonii, materia perlata, antimonium quoque diaphoreticum calces fere effœtæ ſunt, & profecto parum, niſi ratione terræ alcalinæ ex calcinatione nitri enaſcentis præſtant, neque aliquid ſingulare, ſi crebrius ſola nec cum aliis miſta in uſum vocentur, efficiunt. Neque rationis fulcro hæc ſententia deſtituitur, ſiquidem & metalla æque ac ſalia non agunt in corpus niſi fuerint ſoluta; Hæ calces vero nec facile ulli menſtruo extra corpus obſecundant, nec intra corpus liquorem ſolventem offendunt, unde quid ſtatuendum jam ſit de earum virtute ex facili judicari licet.* Non ergo deſunt Medici ſummi, qui fatuam antimonii diaphoretici indolem, omnia inania promiſſa eludentem agnovere, licet alii ex præconcepta forte opinione eidem patrocinari non erubuerint. Quid vero jam vobis videtur, lectores ingenui, de hac opinionum diſcordia? Conſpexiſtis egregium ſpecimen, quomodo cum remediis, quomodo cum praxi medica agatur. Sincerus ſcribam, acerbum dolorem mihi plus ſimplici vice movere adverſa ejusmodi integerrimæ artis fata, quorum finem niſi aliter tandem cum eadem agatur, nulla hominum ætas adſpiciet. En lectores! appoſui vobis antimonium, ut vocant diaphoreticum quoad vires ſuas diaphoreticum & non diaphoreticum, utrum vultis? eligite. Si eo tenditis quo cana experientia ducere videtur, quærere ex vobis liceat, anne LVDOVICI, JVNCKERVS, STAHLIVS, STABELIVS ſalutandi viri experientiſſimi, an aliquis dubitabit ſummo jure pertinere

(*l*) lib. III. obſ. 6.

tinere BOERHAVIVM, WILLISIVM, GORIS, HOFFMANNVM ad medicos longa & multiplici experientia conſpicuos? Quid vero juvat diſcors & ſibi penitus contradicens experientia ad determinandas vires veras antimonii diaphoretici? Dicam brevibus; ut confundantur tyrones medici, ut hic eadem ratione ac in aliis momentis practicis neſciant quo ſe vertant, ut tandem deſperent de certitudine in arte ſalutari, ac deſperantes (commoda phraſi rem ipſam exprimo) omnia vadere ſinant ut vadunt. Mihi quidem amicus Stahlius, amicus Williſius, amicus Boerhaavius, ſed magis amica veritas. Hanc dum anxius quæro ratione duce requiſita remediorum ad diaphoreſin proliciendam neceſſaria inquirere jubeor, hacque inſtructus convictusque facile ad dealbandos parietes unicuique antimonium diaphoreticum relinquam, quibus WEDELIO judice (*m*) cum nil niſi fatua calx ſit commode inſervire poſſet, eo in artis exercitiis libenter ac ſecure cariturus. Neque enim id ulla ratione me movet, quod Cl. Schachtius ſubinde dicere ſolitus eſt: *Malle ſe carere digito ſuo minimo, quam antimonio diaphoretico.* (*n*)

§. 3.

Praetextus cur terrea diaphoreſin moveant.

Poſcit jam omnino dicendorum ſtabilitus ordo, ut fundamenta indicem, atque a nemine invertenda principia ponam, ex quibus firmum ferri poſſit judicium num terreſtria remedia vere habenda ſint pro diaphoreticis, nec ne. Id vero antequam exequar, luſtrandæ ſunt illæ ratiunculæ, quæ a medicis hæc talia inter pharmaca tolerantibus & ægris præſcribentibus adductæ ſunt, ut color aliquis fucusque practicis ipſorum moliminibus accederet. Neque enim ullus crediderit viros cœteroquin intelligentes, & peritos, ſolo cœco impetu ad eadem confugere ſolitos fuiſſe, & confugere adhuc; ſed plerique modo has, modo illas agendi rationes diaphoreticorum fixorum in humores noſtros ſibi imaginati ſunt, quæ tamen licet ipſis ſuffecerint examen paulo rigidius

(*m*) in Pharmacia in artis formam redacta Lib. I. Sect. II. cap. 9. p. 90.

(*n*) Refert hoc de eodem Morley in tractatu, de morbo epidemico Londini 1680. edito.

dius ſuſtinere neutiquam poſſunt. Videbimus illas paulisper quæ legenti mihi ſcripta variorum autorum occurrerunt, quis enim enumeraret omnes! & iterum mirabimur differentes mire a ſe invicem, atque evanidas opiniones Monui jam ſupra Pathologiam acidam in genere introduxiſſe in artem terrea medicamina, atque huic etiam præcipue debetur, quod diaphoretica eorum virtus prædicari cœperit. Factum nempe, ut dum hisce opinionibus inhærentes acido quocunque figi, condenſari ac coagulari ſanguinem crederent, eum antacidis a coagulo liberari, reſolvi iterum, fundique & attenuari aſſeverarent, ita ut tum ſerum ſudorum materiam e ſinu ſuo libere dimitteret. Hæc ergo vera ratio illis videbatur, quomodo terrea abſorbentia diaphoreſin excitarent. Mirum ſaltem quo & ii, qui largiuntur hæc remedia primas vias non excedere, ita ſibi concipere diaphoreſeos ſucceſſum potuerint, quos inter Cl. ETTMULLERVS aperte ſcripſit (o) ſudorifera terrea, lap. bezoar, C. C. uſtum, antimonium diaphoreticum non pergere quidem ultra primas vias, ſed ibi deſtruere acidum, hinc ſanguinem a coagulo liberatum reſolvi, ſicque tandem ſudorem ſubſequi. Quod ETTMULLERVS in ventriculo fieri autumat, id WEDELIVS in ipſo ſanguine accidere contendit, nam *terrea alcalina*, inquit, (p) *acidum in ſanguine abſorbent, ac citra ullum quendam novum effectum alium, præcipitando fuſionem & exhalationem inducunt, & ſunt ſudorifera.* Eadem prorſus ratione philoſophatur WILLISIVS, & quidem his verbis: *Saltem alcali præpollentem habent lapides ac partes oſſeæ & teſtaceæ animalium, ut Bezoar, margaritæ, oculi & chelæ cancrorum & ſimilia, quorum virtus diaphoretica potiſſimum a ſale alcali procedit, quatenus nempe hujus particulæ ſali acido tum in viſceribus, tum in ſanguine interdum occurrentes, cumque eo effervescentes proinde maſſam ſanguineam fundi, ejusque ſeroſitates ſecerni, inque ſudorem exſolvi faciunt.* (q) Plures hujus hypotheſeos fautores citare

Acidum ſanguinem ligans abſorbendo.

(o) Inſtit. part. III. c. 7.
(p) amœn. libr. II Sect. II. c. 6.
(q) pharmacevt. rational. Sect. V. c. 1.

citare ſupervacaneum duco. (*r*) Sunt alii qui terreorum remediorum quædam ut dentes hippop. apri, mandibulas lucii, C. C. ſine igne, lapides cancr. &c. agere ſale quodam volatili in iis habitante arbitrantur, quibus laudatum modo Cl. ETTMULLERVM iterum adnumerandum habeo. Is nempe ſtatim ſub initium *Sect. II.* ſui *in pharmaciam Schrœderianam Collegii* maximas animalium vires reſidere in eorum ſale volatili ſcribit, atque deinde ſequentia verba habet: *Quia acidum abſorbent partes animalium duræ, dum ſale volatili turgent, & ſic ſanguinem fluidiorem reddunt, eo ipſo ſunt ſudorifera.* Pariterque olim Cel. HOFFMANNVS in notis ad Poterium (*s*) in hac fuit ſententia ipſos cancrorum lapides ob inſitum ſal volatile proritare diaphoreſin, quando ita ſcripſit: *Lapides cancr. præ aliis abſorbentibus etiam ad diaphoreſin diſponunt propter ſal volatile, texturæ alcalinæ intime immerſum, quod licet parciſſimum tamen ignis vehementia elevatur.* Bene memini Cl. Lipſienſium Profeſſorem WALTHERVM, meum olim Præceptorem ad cineres colendum, in collegio materiali diaphoretica exponentem omnes animalium partes duras ad hoc caput more conſueto referri ſolitas agere vi inſiti ſui ſalis volatilis, atque ita ſudores elicere, plus ſimplici vice docuiſſe. (*t*) Revocent hic velim in memoriam lectores mei quam ſupra citavi quæſtionem SENNERTI, an inter C. C. ſine uſtione & cum uſtione paratum quod utrumque innumeris viribus ceu diaphoreticum a Practicis uſurpatur aliqua detur differentia, illique præ hoc decretam prærogativam, quia ſale volatili prægnans felicius operaretur, quod in hoc ignis violentia eſſet expulſum. Reminiſcantur porro loci ibidem ex ZWELFERO a me allegati qui ſimpliciter raſpatum C. C. eapropter aliis præparationibus in movenda diaphoreſi & aliis Practicis intentionibus præferendum ducit, quia omne ſuum ſal volatile oleumque poſſideret, quo operationem ſuam exequeretur. Plura de hoc argumento adferre in medium parum intereſt. Tranſeo ad aliam hypotheſin quibusdam medi-

Sale ſuo volatili agendo.

(*r*) aſſentit Slevogt diſſ. de Sudorifero §. 20.

(*s*) p. 625.

(*t*) vide ejus collegium Mſcrpt.

Roborando villos vaſorum.

medicis receptam, qua aſſeritur terrea remedia roborare villos vaſorum, atque ita efficere ut propulſis validius promptiusque humoribus tranſpiratio & ſudor proritaretur. Favet huic opinioni illuſtris HOFFMANNVS: *Quædam diaphoretica* ſcribens *gaudent principio terreo leniter conſtringente, quo laxatam fibrarum compagem firmant & ad intenſiorem motum impellunt, quorum in numero ſunt antimonium diaphoreticum, Cinnabaris, antihecticum Poterii, bezoardicum minerale &c. Ex animali regno eodem agendi principio pollent lapides cancr. lap. bezoar, C. C. præparatum, unicornu foſſile &c.* (*u*) Atque eadem fere ratione ante eum jam philoſophatus erat SAMVEL DALE. (*v*) Terram quippe Lemniam ſudores ciere poſſe conſtringendo vaſa & ſic exprimendo ſerum aliquod ſibi fuerat imaginatus.

Orgaſmum temperando.

Eſt & alia quorundam ſententia terrea rarefactionem ſanguinis coercere, atque ita ſudoris exitum promovere. *Abſorbentia Oſtracodermata,* inquit JVNCKERVS, (*x*) *ſudorem promovent, quia acrimoniam ſalino ſulphuream orgaſmum ſanguinis inducentem & hac ratione ventilationem ſudatoriam impedientem feliciter corrigunt, & per diureſin evacuant;* Et alibi hanc ſententiam ita fuſius explicat: *Diaphoretica quædam agunt temperando, præcipitando, & inſpiſſando, ſubtiles & orgaſticas partes humorum. Hac enim ratione ſerum agile, quod alias a celeri ſanguinis fluxu ſimul abripitur, & propter ſubtilitatem colatoria ſecernentia crebro ſubterfugit, facilius ſecedere poteſt. Atque hæc privative agere dicuntur, & proſunt illis qui ſanguinis ebullitione laborant. Hujusmodi ſunt terrea.* (*y*) Huic vero ſententiæ e diametro oppoſita eſt Cl. BOHNII (*z*) opinio, qui nullum ſudorem fluere ſine rarefactione ſanguinis inducta exiſtimat. En ita hic de terreorum virtute diaphoretica ſentit: *Cuncta ſudorifera ſanguinem rarefaciunt & in motum plus minus vehementio-* *rem*

(*u*) diſſ. de operandi ratione remediorum phyſico-mechanica §. 27. Confer diſſert. de medicamentis ſelectis §. 8.
(*v*) in pharmacologia p. 44.
(*x*) in Conſpect. Tab. 71. p. 589.
(*y*) Therap. gen. Tab. IV. p. 88.
(*z*) de officio medici dupl. libr. I. c. 15.

rem cient, quorum alia hoc præſtant immediate, ac mediate, alia mediate tantum. Prioris generis ſunt ſalia urinoſa alcalia & ſalſa; Vegetabilia amara & aromatica, ſeu ſalino ſulphurea temperatiora alexipharmaca communiter dicta, qualia ſingula vi ſanguinem reſolvendi, fundendi & exagitandi pollent. Mediate vero magis ſudorem cient, ſeu ad hanc diſponunt terrea tam mineralia quam animalia, quæ aut ſalis parum habent, aut hoc minus evolutum gerunt, v. gr. terra ſigillata, antimonium diaphoreticum, C. C. lap. cancr. bezoar. &c. At modo citatæ explicationi Cl. Bohnii iterum prorſus contrariatur & cum Junckero facit Celeb. Alberti, qui terrea neutiquam ſanguinem commovere ſtatuit. Videamus vero quomodo is nihilominus ea tueri poſſe vires ſuas diaphoreticas ſibi perſuadeat. *Diaphoretica privativa & fixa* ſcribit *citra ullam impellentem vim ſudorem cauſantur, hujus indolis ſunt terrea calcaria ſive animalia ſive mineralia. Hæc fixa diaphoretica tum toti maſſæ ſanguineæ cum ſeorſim etiam ſero nimis ſubtili aptiorem conſiſtentiam conciliant, quo non modo hoc ſerum facilius a ſanguine ſecedere, ſed & poſt hanc ſeceſſionem intimius in ſuperficiem cutis profluere poſſit. Si itaque huic humorum præparationi moderatum regimen conjungitur, tunc ad hujus ſeroſæ portionis evacuationem eo magis natura inclinat. Vix vero facile talibus privativis diaphoreticis remediis vel vis impellens, vel tonum peripheriæ corporis relaxans imputari poteſt, neque etiam reſolvens efficacia iisdem adſcribenda eſt, cum abſorbentia magis incraſſantem quam attenuantem virtutem habeant.* (a) Enumeravi hactenus explicationes modi actionis, quam exercere in noſtra corpora reputantur remedia diaphoretica terreſtria, quarum quædam minimum non omni colore deſtituuntur, ut fallere non accurate ſatis attendentes, atque ad aſſenſum eos perducere poſſint. Nolo vero tempus perdere recenſione fictionum craſſioris naturæ, quæ nec tyronibus artis imponere valent, tantum abeſt, ut a viris doctis plauſum, ſubſcriptionemque queant exſpectare. His annumeranda jure veniunt ea, quæ Hoffmannus in clave de actione antimonii diaphoretici

 fabu-

(a) in diſquiſit. de medicamentorum modo operandi.

fabulatur: (b) *Statuo*, ait, *antimonium diaphoreticum non ex illorum ſudoriferorum cenſu eſſe, quæ vim attenuandi humores craſſos obtinent, ſed talia, quæ naturæ æmula vi figendi & præcipitandi fermenta morbifica ſalia volatilia ſulphurea figunt & præcipitant, unaque tonum partium roborant, quo facto vis archæi tumultuans ſedatur, & illud quod moleſtum eſt, per ſudorem vel urinam ex maſſa ſanguinea exterminatur.* Multo adhuc impudentius nugatur Febvre, quando ita ſcribit: *Antimonium diaphoreticum agit per eradiationem ſuæ virtutis, quæ fere eſt incomprehenſibilis, quia leniter & naturaliter roborat Archæum directorem principem omnium functionum vitalium, idcirco opus eſt, ut per menſem philoſophicum continuetur uſus, quia per hoc intervallum hoc remedium mutare poteſt omne id quod impedit libertatem actionum archæi.* (c) Omnia tamen in compendio tradit Michael: (d) *Antimonium diaphoreticum occulta potius quam manifeſta vi agere, ut & C. C. contendens.* Egregium puto catalogum commentorum, monſtrorumque hypotheſium complexus ſum, dent ſaltem Lectores mihi veniam, quod bono conſilio illos in abſtruſum opinionum labyrinthum introducere debuerim; dabit nobis ſana ratio filum quo uſi nos felices ex gyris, cryptisque extricabimus, atque caſta theoria comite ad rectiſſimam veritatis viam deflectemur.

§. 4.

Requiſita vera remediorum diaphoreſin moturorum.

Valde miror ſæpe viros artis theoricen probe callentes haud ſatis ponderaſſe an poſſibile, ne dicam probabile habendum ſit, ſumpto terreſtri pharmaco fluere ſudorem; nec auſos eſſe unquam hanc propoſitionem rotunde negare, ſed quæſiviſſe aſyla nil quicquam proficientia, & operationis ſucceſſum ita expoſuiſſe, ut ipſis propria ſua argumenta non ſuffectura erant, ſi valorem illorum cominus intueri voluiſſent. Norunt medici pertinere ſudorem & tranſpirationem inter ſecretiones ad corporis conſervationem neceſſarias, nec eos latet ſecretionem in genere conſideratam involvere ſeparationem liquidi ſpecie diverſi a ſanguine in

(b) p. 303.
(c) Tom. II. p. 988. in Chymia.
(d) in Pr. gen. Tom. I. lib. I. c. 3.

in organis certis contingentem. Ponit ergo quævis ſecretio I. *Organum ſuum rite conſtitutum, & quia organa omnia ſunt mere vaſculoſa, tubulique ſecretorii ex vaſis ſanguinem adferentibus prodeunt, poſtulat utique tubulos ſecretorios patulos.* Porro quævis ſecretio poſcit II. *præſentiam ſufficientem materiæ illius in ſanguine, quæ in organo ſecretorio debet ſecerni,* & III. demum *appulſum continuum ſanguinis cum materia ſecretionis ad organum.* His omnibus ita ſe habentibus ponitur ſecretio, atque hæc tria momenta ad omnem ſecretionem conſtantiſſime requiri ratio loquitur; Inſuperque eleganter demonſtrante Bellini præſente ſecretionis materia ſecretio eſt ut velocitas ſanguinis & vaſis ſecretorii orificium. (*dd*) Promoturus igitur ſecretionis cujusvis ſucceſſum vel aucturus eandem debet efficere I. *ut tubuli ſecretorii organi ſint quam maxime aperti, vel & ut eorum motu oſcillatorio aucto uberior in eos liquidorum affluxus invitetur.* II. *ut in ſanguine abundet ſecretionis materia.* III. *ut ſanguis velocius ac antea fiebat ad organum ſecretorium vehatur determineturque.* Atque quæ hactenus elocutus ſum, ut ad omnes ſecretiones quadrant, ita & ad transſpirationem, ſudoremve ſpectant, hisque binis accurate debent applicari. Ac *primo* quidem tranſpirationis atque ſudoris ſucceſſus poſtulat organum, quod cutis eſt, in qua ab arteriis ſubcutaneis emergentes ramuli innumeri vaſcula ſubtiliſſima numero infinita ac ſub epidermide hiantia emittunt, ex quibus ſimul ac ex ductibus excretoriis minimarum glandularum foras prodeuntibus exhalat vapor tenuis, iuviſibilis, perſpirationis nomine, qui laxatis magis omnibus his tubulis copioſius erumpit, ac in guttas coactus ſudor ſalutatur. *Secundo* ſecretio illa cutanea neceſſario poſcit materiem quæ eſt tenuiſſima pars ſanguinis, omneque id quod vaporum ſubtiliſſimorum forma gaudet, aut in illam facile eſt reſolubile quemadmodum ſudoris materiem aquoſa ſeri portio conſtituit vel ex humoribus motu in colluviem excrementitiam fatiscentibus vel ex potulentis aſſumptis nata. *Tertio* ut ſuc-

(*dd*) aut ut idem illud Freindius eloquitur, datis vaſorum orificiis in ratione velocitatis eſt ſecretio Emmenol. c. 12. p. 163.

ſuccedat cutanea ſecretio, materies transſpirationis, ſudoriſque in ſanguine obvia debet cum eodem in arteriolas organi ſecretorii id eſt cutaneas deferri, ut ex his ſecedat in tubulos ſecretorios, adeoque actio harum arteriolarum conſtans requiritur, circulusque totius ſanguinis verſus has cutis arteriolas directus ſit neceſſe eſt. His ergo viſis conſtat liquido, *1) tubulis cutaneis patulis exiſtentibus, 2) præſente in ſanguine halituoſa vel ſeroſa materia, 3) hac cum ſanguine per arteriolas cutaneas ad hos tubulos decenter allata* neceſſario ſequi tranſpirationem & ſudorem. (*e*) Atque quemadmodum impoſſibile eſt, ut omnibus his poſitis tranſpiratio vel ſudor non ſubſequatur, ita eadem ratione eſt impoſſibile ut uno ex his, vel omnibus ſimul deficientibus, tranſpiratio vel ſudor ſuccedat, quod facile unicuique patet. Rectiſſime quippe ſcripſit NOGVEZ Medicus Pariſienſis: (*f*) *Perſpiratio eſt, ut ſanguinis tenuitas, velocitas & pororum diametri &c.* Atque ex hisce demum principiis quæ firmiſſimis omnino fundamentis ſuperſtructa ſunt, dijudicari poſſunt actiones veræ diaphoreticorum remediorum, ſtatimque ſi ad hoc examen revocentur, quæ ita ſalutari ſolent, clariſſime apparere debet, num recte ita audiant num minus. Videlicet in apricum ita collocatum eſſe arbitror, & extra dubium poſitam veritatem propoſitionum ſequentium. *I. Remedium vere diaphoreticum debet poſſe laxare poros cutaneos, atque ita in cute minuere reſiſtentiam, pro majori enim minorive in cute reſiſtentia, majori minorique quantitate humores in vaſa cutanea derivabuntur; vel & debet in vaſculis ſecretoriis augere motus oſcillatorios, atque ita invitare majorem materiæ ſecernendæ affluxum. II. Remedium vere diaphoreticum aut ſudoriferum debet ſuppeditare vel ingenerare quacunque ratione materiam halituoſam & aquoſam in ſanguine. III. Remedium vere diaphoreticum debet augere velocitatem ſanguinis, atque ita efficere ut copioſius ad cutis tubulos feratur tranſpirationis & ſudoris materies.* Vel *IV. Remedium vere diaphoreticum debet omnia tria momenta ſimul*

(*e*) Bene hæc habet Willis pharmacevt. ration. Sect. V. c. I.

(*f*) in explanatione aphoriſmorum Staticæ medicinæ Sanctorii Sect. I. aph. 5.

ſimul poſſe exequi, & ſi tale detur erit omnibus reliquis præferendum. (*g*) Sane rudis in omni medicina ſit oportet, qui hæc omnia eſſe veriſſima ultro non agnoverit. Neque ego ulla ratione dubito quemcunque libere largiturum, ex his fontibus ſolis peti poſſe firmum, nullibique fallax judicium, quæ & qualia diaphoretica ſint & quousque. Pariterque nemo prudens ibit inficias, remedium quodcunque ſive antiquitus diaphoreticum dictum ſit ſive minus, niſi his dotibus requiſitis polleat, fruſtra ita dici, fruſtraque ægris pro obtinenda diaphoreſi exhiberi.

§. 5.

Jam meum inſtitutum non patitur, ut ad hanc examinis normam omnia ſigillatim conſiderem, quæ in diaphoreticorum catalogum communi Medicorum conſenſu relata ſunt; ſed id poſcit officium quod mihi impoſui, ut ſola terrea & fixa diaphoretica dicta contempler. Adeſte itaque vos pulveres inſipidi bezoardici, atque rigidius pauliſper examen ſuſtinete. Video aliquos veſtrum auri quisquiliis condecoratos, ſed fatuus ſplendor nil nobis præſtantiæ adfert, nec eſt ut ſperetis me judicem ſeverum, atque juſtiſſimum auro manſueſcere, abſit illud longiſſime. Acceditis ut obſervo, plurimi candidiſſima veſte conſpicui, vultisque forte, ut innocentiam veſtram inde arguens, vos abſolvam ſtatim atque dimittam; imo vero hanc ſententiam vobis expectandam eſſe declaro, eritis pulveres innocentiſſimi, manebitisque, veſtris fautoribus nec nocere nec prodeſſe cupientibus. Atque quid ſibi volunt rubicunda illa integumenta cinnabarino pigmento exornata, quibus aliquos veſtrum indutos adſpicio, fallor! aut rubore perfundimini quod nil boni unquam præſtiteritis, quod opprobrium ſitis Medicorum, quod ægrorum languentium fiduciam toties deſtitueritis. Vah improbum facinus! ita omni-

Examen terreorum pro diaphoreticis habitorum ſecundum tradita requiſita.

(*g*) Infuſum calidum herbæ cujuscunque ſale volatili ſcatentis in aëre paulo calidiori hauſtum, certiſſimum eſt & nunquam fallax ſudoriferum, omnia ſimul præſtans quæ ab ejusmodi remedio requiruntur.

omnium criminum expertes declarari haud poteritis, ſi forte interdum ſocordia Practicorum factum eſt, ut vobis demandatum fuerit munus, quod aliis generoſioribus præſidiis demandari deſiderabat vis morbi, vitæque ad finem properantis periculum. At vero abſint ſchemata & joci, ſeriam potius ſuſcipiamus inquiſitionem, videamusque ſine præjudiciis, an aliquod forte requiſitum pro elicienda excretione cutanea per præcedentes demonſtrationes neceſſarium poſſideant terrea remedia. *Debet I. Remedium vere diaphoreticum gaudere facultate relaxandi poros cutaneos, vel augere in cutaneis vaſculis motus oſcillatorios, ad præſtandam invitationem uberioris humorum influxus.* Dicite vero Lectores candidi, an ſana ratione utens hoc ipſum a terreis fixis unquam expectaverit, an modus ullus poſſibilis excogitandus, quo hoc præſtare dicerentur. Sane excepta aqua tepida intus aſſumpta, exceptoque vapore aquæ calidæ extus applicito, vix in rerum natura dari remedium laxandis tubulis cutaneis par futurum exiſtimaverim. Omne hoc momentum vero, quam maxime a conſtitutione ambientis atmoſphæræ pendere, eo magis illi concedent, qui obſervationes Sanctorianas, Dodortianas, Keilianasque inter ſe comparaverint, quibus oſtenſum eſt ſoli aëris calori majori minorique deberi, quod in Italia perſpiratio ad 40 & ultra uncias per 24 horarum ſpatium aſſurgat, quod in Gallia longe minus perſpiretur quam in Italia; atque in Anglia iterum longe minus ac in Gallia. Et quis prudens ab aſſumpto terreo inſulſo omnisque acrimoniæ experte pulvere irritari, ſtimularique villos vaſculorum cutaneorum ſomniabit? Quis credet, id ore hauſtum ad exiliſſima vaſcula hæc poſſe pertingere? Quis ſcrupulum vel drachmam dimidiam aſſumptam exſtimulandis fibrillis totius corticis corporis ſufficere ſibi perſvadebit? Sed pergamus ulterius. *Debet II. remedium vere diaphoreticum aut ſudoriferum ſuppeditare vel ingenerare quacunque ratione materiam halituoſam & aquoſam in ſanguine.* Hoc autem a terreis expectandum eſſe neminem niſi mente captum aſſerturum crediderim. Nil quippe huic fini inſervire poteſt præter aſſumpta decocta & infuſa aquoſa ſive tepide ſive frigide hauri-

antur.

antur. *Debet III. remedium vere diaphoreticum augere velocitatem circulantis ſanguinis;* An hæc virtus terreis remediis tribuetur jure? Ut mihi videtur id nec a priori evincetur unquam, nec demonſtrabitur a poſteriori. Omnes videlicet cauſæ augentes motum circularem humorum reducuntur vel ad affectus animi, & dolores, vel ad reſiſtentiam natam in arteriis capillaribus, vel ad acre ſtimulans cordis & arteriarum contractiles vires intendens. Ad nullam vero harum claſſium referri poſſe terrea medicamina per ſe clarum eſt. Quodſi a poſteriori impudens eorum defenſor uni experientiæ ſeſe mancipans urgere velit hanc ſaltem teſtari, propelli ſudorem poſt uſum ejusmodi pulverum augerique vim circuli quacunque demum ratione id fiat, ita me ex hiſce objectionibus extricabo. Circuli aucti infallibile ſignum ſunt celeriores redditi pulſuum ictus, quodcunque remedium ergo circulum auget, efficit ſimul ut celerius ſeſe ſubſequantur ictus pulſuum, qui ſine exceptione poſt aromatica ſalina & quæcunque acria aſſumpta manifeſte celeriores redduntur. Nunquam vero ſi vel ad uncias devorentur pulveres terreſtres numeroſiores reddunt ictus pulſuum, ſi ſaltem a fallacia non cauſæ ut cauſæ probe caveamus, quare etiam circulum non velociorem efficiunt, ergo etiam hoc reſpectu non habenda ſunt ſudorifera. Quia itaque terrea nullum ex tribus allegatis requiſitis poſſident, multo minus pertinebunt ad ea quæ omnibus his ſimul inſtructa ſunt, ut ſponte unicuique apparet. Non eapropter ego video, quomodo tueri queant precariam ſuam vim diaphoreticorum ſaltem in cerebellis fautorum exiſtentem. Et quid multa! ipſe qui inter defenſores ipſorum nomen ſuum profitetur Cel. Alberti ultro profeſſus eſt talibus privativis diaphoreticis, ut vocat, vix attribui poſſe vel vim impellentem vel tonum peripheriæ corporis laxantem. (*b*) Probavi vero ſine his impoſſibilem eſſe promotionem tranſpirationis & ſudoris; cadit igitur omne eorum encomium, quod perperam hactenus intactum ipſis reliquit præjudicata opinio. At vero æquus ſim in ferendo

(*b*) in diſquiſ. de medicamentorum modo operandi ſpec. I. p. 39.

do judicio, perpendamque omnia accuratius, antequam pro terra damnata, nulliusque pretii declarem medicamenta ad hunc diem uſitatiſſima. Verum eſt ex præcedentibus, poſitive nil ad diaphoreſin ea facere, forte vero alia ratione agunt, atque impedimenta tranſpirationis ſudorisve removent, ac tum ex hoc capite nihilominus habenda ſunt pro diaphoreticis. Vidimus in ſuperioribus quibus conditionibus poſitis ponatur perſpiratio & ſudor; ideoque facile jam erit eundo per contraria invenire impedimenta ſudoris atque perſpirationis. Requirebantur I. vaſcula cutanea laxata, igitur *primum impedimentum erunt vaſcula cutis conſtricta.* Dein II. requirebatur ſanguis halituoſa & aquoſa materia prægnans, ergo *IIdum impedimentum conſtituet ſanguis viſcidus & denſus.* Tandem III. requirebatur velocitas ſanguinis, adeoque *IIIum impedimentum erit circulus ſanguinis humorumque nimis languidus & tardus.* Præter hæc nulla ſuperſunt alia. Iterum igitur accedant noſtra terrea ut indagemus ſecundum ordinem, an paria ſint removendo *impedimento primo.* Illi quidem qui dentes Hippopot. mandibulas lucii piſcis, C. C. phil. præparat. & alia, quæ ad diaphoreticorum claſſem referuntur, confidenter etiam pro antiſpasmodicis habent, ut more recepto fieri ſuevit, plenis buccis clamabunt, utique hæc talia ſpasmos fibrarum cutanearum tollere, atque ita diaphoreſin pulchre promovere. Ego vero vim hanc antiſpasmodicam nullus concedo ſed audacter nego, ac infra ubi ex inſtituto de antiſpaſmodicis egero hujus rei ſeveriſſimam demonſtrationem me ſuppeditaturum polliceor omnibus æquis rerum arbitris ſuffecturam, nec ergo ſua vi antiſpaſtica terrea pharmaca ſudores movent. Tranſeo ad *impedimentum ſecundum* ſanguinis nempe ſerique denſitatem atque viſciditatem. Multum hæc tranſpirationis ſudorisque ſucceſſui libero contrariantur, materiem utrisque negando ac inſuper vaſcula exilia cutis obſtruendo. Quæcunque eapropter remedia ſaponaceam attenuantem virtutem cuſtodiunt eximie ad ſudoris exitum faciunt; Terreis vero ipſe aliquoties laudatus Alberti potius incraſſantem virtutem attribuit, atque cum ſana ratione pugnat, hæc ſanguinem ſolvere & aquoſiorem reddere, quare impe-

impedimentum II. ea non removent, ac ut facile patet hoc reſpectu non ſunt diaphoretica. Reſtat *impedimentum III.* circulus tardus, qui accelerandus eſt, ſi ſudor cum tranſpiratione promoveri debet. Terrea vero carere virtute augendi velocitatem ſanguinis, hoc ipſo paragrapho jam docui, non igitur opus eſt, ut diutius huic momento immorer. Quicquid tandem moliar, vires terreorum diaphoreticas ego quidem non capio; gratis vero porrigere pharmaca de quibus dubium eſt, an aliquid, an nihil agant in corpore, inglorium & abjectum duco. Aliis, ubi diaphoreſi opus, præſidiis utendum eſſe diu intellexi. Mihi quippe ad imitationem pilularum quarundam in officinis adhuc extantium, ſub titulo pilularum *ſine quibus eſſe nolo;* Pulveres illi bezoardici & diaphoretici fixi, odore ſaporeque deſtituti ſine exceptione omnes inſcribuntur *pulveres ſine quibus eſſe volo.* Apage ergo perlata materia! Vale antimonium diaphoreticum! Vale bezoardicum minerale!

§. 6.

Hactenus quidem ut opinor clariſſime innotuit, admodum lubrico fundamento niti vires diaphoreticas terreis remediis communiter adſcriptas, nec eſt, ut illas ratiunculas quas paragrapho tertio enarravi, nobis proſcribere eadem ex praxi medica laborantibus frænum aliquod injicere poſſe putemus. Sunt nempe eædem ita comparatæ, ut facillimo labore everti valeant, ac ſponte Lectores ſagaciores comprehenſuros ſperaverim, eas nil ponderis habere, nec aſſenſum aliquem promereri. Quod primo illam explicationem attinet terrea abſorbentia eo quod acidum figens & denſans ſanguinem deſtruunt, ſicque ipſum ſanguinem fluidiorem reddunt, ſudorifera evadere; non opus eſſe duco, ut multum temporis in eadem refutanda abſumam. Omne hoc argumentum fallax corruit corruente Pathologia acida, totumque ex falſiſſimis propoſitionibus coaluit, quæ ſeorſim examinatæ, ne ſpeciem quidem veritatis habere deprehenduntur. Innumeris nimirum experimentis oſtenſum eſt acida vegetabilia & fermentata ſanguinem a coagulo potius præſervare, coagulatique & denſitati ſolutionem

Prætextuum inanium paragrapho 3. recenſitorum confutatio.

Acidum.

 &

& attenuationem promovere, tantum abeſt ut inſpiſſent cruorem, ſerumque ejus reddant viſcidius. *Ipſum acetum* annotante hoc celeb. Boerhaavio *attenuandi virtute pollet, hinc tepefactum cruori immiſtum diluit illum, non cogit, nec generat hac admiſtione polypos, ſed ſvaviter reſolvit coagulata.* (i) Notent hoc velim ſi qui ſuperſunt, qui in contraria verſantur ſententia, ac perpendant ſerio, ſalia ſanguinis humani ammoniacalem naturam nacta eſſe, falſoque & fruſtra acidum quoddam in ſanguine ſupponi: deſinantque nimis fidere experimentis Hombergianis pro acido in ſanguine obvio militantibus, cum hæc multis adhuc difficultatibus premantur, ac alii celeberrimi Chimici nil quicquam acidi in cruore ſe deprehendere potuiſſe ultro profiteantur. Nolo autem huic controverſiæ diutius inhærere, ſufficit mihi publice aſſeruiſſe Boerhaavium (l) *ſudoriferum certius efficaciusque ignorari ipſo aceto, quod vel dilutum vel merum ſi epotum fuerit quam maxime ſudores propellit.* Vix ergo antacidis terreis indigebimus ad exſolvendum ſerum ſudoris materiem ex acidis vinculis quo id ligari gratis aſſeritur; Et quis viarum per demonſtrationes anatomicas gnarus facile credet, ex ventriculo liberum ſatis pandi terreis pulveribus aditum ad vaſa ferentia ſanguinem? Quis exiguum pulvillum ſufficere exſolutioni ſeri ex acidis vinculis opinabitur? Si quis cum Ettmullero dixerit terrea non pergentia ultra primas vias in ventriculo deſtruere acidum, hinc ſanguinem a coagulo liberatum reſolvi, ſicque tandem ſudorem ſubſequi, is probe cogitet inutilem hanc explicationem ſuppoſita etiam pathologia acida inſufficientem habendam eſſe. Quid enim ventriculo cum coagulo ſanguinis jam præſente eſt commercii? Nil ſane agerent aliud terrea, ſi etiam agerent quod vult Ettmullerus, quam ut ulteriorem acidi tranſitum ad ſanguinem pro inhibendo ulteriori augmento coaguli inhiberent. Sed de his ſatis. Sequitur incondita aliorum hypotheſis, terrea animalia præcipue exprimere ſudorem vi ſui inſiti ſalis volatilis.

Sal Volatile.

Atque

(i) in Chem. Tom. II. p. 185.
(l) in Chemia Tom. II. p 186.

Atque ſalia volatilia omnia ſummo jure referenda eſſe ad ea remedia, quæ augendo velocitatem ſanguinis ſudorifera evadunt, poſitis poris cutaneis apertis, nemo prudens unquam negaverit. Agere autem duras animalium partes raſpatas & in minutum pollinem redactas, ſale volatili in corpus humanum, ineptisſime ſupponitur, quod alia occaſione evidenter demonſtrabo, ut jam aliquoties ſum pollicitus. Accedo ad eorum ſententiam, qui terrea roborare villos vaſorum, atque ita augere vim eorum in fluida, ſicque expeditiorem reddere circulum contendunt. Hoc ſi præſtarent certo, nil haberem quod contra eorum vim diaphoreticam objicerem, ſed ſuppetunt mihi ponderoſa dubia, quæ ne calculum adjiciam huic hypotheſi vetant. Pulchre novi elementa fibrarum noſtrarum eſſe terreſtria; largior elementa continuo fluidorum motu deteri, continua novorum appoſitione eapropter opus eſſe, laxasque fibras non aliter, niſi appoſitione corpuſculorum terreſtrium, horumque adunatione legitima roborari. At notari velim, omnia vaſa majora corporis coaleſcere ex membranis vaſculoſis, quarum vaſcula iterum ex membranis vaſculis minoribus conflatis effinguntur, & ſic porro; donec ad ultima vaſa ventum fuerit, quorum membranæ non amplius vaſculoſæ ſunt, ſed fibroſæ tantum. Igitur liquet non poſſe roborari vaſa, niſi roborentur vaſcula ultima ultra imaginationem parva, quia illa tandem ex his componuntur. Debet ideo terreſtre corpuſculum ad minutiſſima vaſcula pervenire, & ut eo perveniat ultra imaginationem parvum eſſe ſi roborandi virtus ei jure tribuenda veniat. Statim ergo patet aſſumptum roborandi fine remedium aut ſubvenire ſaltem elaborationi boni chyli optimo remedio roboranti & ita mediate roborare villos vaſorum; aut ſi immediate roboret, debere poſſe exactiſſime ſolvi in primis viis, ut non ſaltem per oſtiola lacteorum, ſed & in ultima vaſcula corporis penetret. Nimis vero rudem indolem obtinere terrea remedia, utpote ægerrime in ventriculo ſolvenda crediderim, quam ut in ultima vaſcula deferantur; cum tranſitus eorum in lacteorum alveolos ne quidem extra dubium collocari poſſit; Quare roborans ipſorum virtus imaginaria ſaltem exiſtit. Sed ponam tantis-

Corroboratio vaſorum.

per

per quamvis nunquam concedam ea vere roborare vaſorum villos; ſane ſi hoc præſtabunt, erit actio eorum ſucceſſiva, non ſimultanea, multæque doſes ſibi invicem ſubjunctæ demum abſolvent id robur, quod auctior redditus circulus neneſſario ſupponit; ac valde nihilominus ridiculum eſſet a ſcrupulo uno vel drachma ſemis pulveris ſperare robur, ſtatimque ex hoc fluentem vegetiorem circulum. Erit res in exemplis clarior. Norunt Medici roborantia ſumma villorum corporis humani eſſe corticem peruvianum & chalybem, teſtaturque medela virginum chloroticarum poſt uſum chalybeatorum vere pulſum increſcere, circulumque omnem antea languentem intendi, ut optime SYDENHAMIVS annotavit; ſed primis doſibus hunc ſperare effectum fruſtraneum foret, cum uſu continuato is tandem obtineatur. Ex hoc fundamento quia & chalybi & cortici vis roborans eſt, circulumque humorum accelerans utrique etiam juſtiſſime adſcriberetur vis diaphoretica & vere eam cortici aſſignavit BOERHAAVIVS. (m) Nec aliquis negaret horum vim diaphoreticam ita concipiendam, eminentiorem multo fore quam terreorum abſorbentium. An vero ullus medentum immediate & jubentibus morbi conditionibus intra breve temporis intervallum diaphoreſin promotam cupiens præſcripſit ægro vel corticem vel chalybis limaturam. Rideretur forte qui ita faceret; neutrum ſaltem remedium eos collocaſſe memini communi conſenſu inter diaphoretica, qui de medicinali materia ſcripſerunt, quale ergo judicium de terreis diaphoreticis ferendum ſit lectores cogitent ipſi. Neque etiam, ſi vel celerrime villos vaſorum roborarent terrea, ac aſſumpta ſtatim circulum augerent, toties porrigerentur cum prudentia quoties porrigi a medentibus ſolent. Rigor nempe fibrarum jam præſens ut in acutis febrilibusque affectubus, omnem uſum eorum excluderet a laxitate villorum ſaltem permiſſum indicatumque. Quid vero artificibus frequentius quam præſcribere in acutiſſimis febribus terrea diapnoica, in quibus tamen laxantia fibras ſedativaque & mollientia remedia itemque

(m) de viribus remediorum cap. de diaphoreticis.

itemque ſanguinem denſum ſolventia vera & tuta diaphoretica habenda ſunt. At his omnibus miſſis convertam me tandem ad conſiderationem ſententiæ Cl. JUNCKERI qui terrea remedia orgaſmum temperando evadere diaphoretica perhibet. Ante omnia igitur hic penſitandum eſt, an terrea vere orgaſmum ſanguinis temperent id vero ſeorſim infra ediſſerere animus eſt, quare hic obiter ſaltem noto hanc virtutem terreorum temperandi orgasmum æque ad inanes terminos referendam eſſe, ac multæ aliæ hisce quidem remediis adſcriptæ, quod ſuo tempore ſat accurate oſtendam. (*n*) Corruente autem virtute temperandi orgaſmum, corruit & quæ inde pendere dicitur vis diaphoretica. Ordo dictat ut ad Cel. BOHNII ſententiam conſiderandam deflectam, qui terrea ſale quodam parce in iis habitante, aut altius etiam in iisdem latente minusque evoluto ea agere ſupponit. Poteram huic quidem opinioni objicere nil ſatis detegi ad ſenſum in terreis illis quæ pro diaphoreticis habentur, quare & nullus ſenſibilis effectus ex hoc ſale ſperandus. Quæ enim de ſale volatili ignis vi inde obtinendo adſerunt medici ea gratis afferunt, ut infra ſuo tempore luculenter apparebit. Si vero ſal quoddam reconditum in ſinu ſuo gererent terrea quacunque demum indole id foret præditum, nec aperiret poros, nec ſuppeditaret materiam tranſpirationis & ſudoris, ſed agendo in ſolida potius quam in fluida noſtri corporis, augeret circulum humorum, ut omnia ſalia extra exceptionem facere conſueſcunt. Hoc autem ingeſtis vel immenſa vi terreis diaphoreticis nemo unquam animadvertet, ut ſupra jam urſi, quare nemo intelligentium ſibi perſuaderi patietur, ſalinam eſſe terreis potentiam tranſpirationis & ſudoris

Temperamentum orgaſmi.

Sententia Bohniana

(*n*) Communiter hæc orgaſmum temperantia terrea commendantur in febribus, quando aucto etiam ſatis circulo perſpirationem tamen non rite ſuccedere nec fluere ſudorem obſervatur, ſed hoc ſit ob vaſa rigida & liquida calore inſpiſſata; hinc ultima vaſcula ſanguinea obſtruuntur, & ita in continuos ipſis tubulos aquoſa materia penetrare nequit; ſola hic diluentia dando perſpirationi materiem & laxando vaſa proſunt non omiſſis congruis ſaponaceis.

Hypotheſis Alberti.

doris ſucceſſum promoventem. (*o*) Quæ deinde poſt Bohnium de terreis aptiorem conſiſtentiam ſero conciliantibus, facultatemque ita ipſi largientibus a ſanguine ſecedendi philoſophatur Cl. Alberti, ea quidem me non ſatis capere palam profiteri haud erubeſco. Ego quippe quo ſubtilius ſerum mihi mente concipio, eo id aptius fore prævideo, ut exhalet ex cutaneis poris, aut in guttas ibi coactum ſudoris forma erumpat. Nimis autem ſubtile ſerum ſuppoſitum a viro clariſſimo id poſtulare ut incraſſetur, antequam ſecernatur in corporis cortice, atque ſecerni ibi poſſit, non intelligo; id nempe conſtanter veritati reſpondet quo magis fluidi alicujus noſtri corporis globuli per canalem ferendi diametro canalis minores ſunt, eo magis tranſitum faciliorem fore. Credo ſua luce radiare hanc propoſitionem, nec ulteriorem explanationem poſcere. Subjunctæ tandem ſuperiori §o explicationes actionis antimonii diaphoretici ita certe ſe habent ut commiſeratione quam confutatione digniores reputandæ ſint; quare illis fuſius inquirendis ſuperſedere facile potero. Pugnavi autem hactenus contra tales ſententias quæ omnes actionem diaphoreticorum terreſtrium in ipſum corpus admittunt, at non ignoro interdum ubi de operatione remediorum in corpus humanum ſermo injicitur, nil audiri aliud, quam naturam vel animam diſponi remediorum uſu, ut hanc vel aliam excretionem intendat atque moliatur. Huc referre omnino debeo aſſertum Cel. Junckeri in therapia generali extans (*p*) atque ita ſe habens: *Ipſa natura eſt cauſa efficiens ſudoriferæ excretionis. Hæc enim ſuperficiem corporis relaxat, poros aperit & humores ad circumferentiam dirigit. Remedia autem augendo motum inteſtinum excitant naturam, ut hæc motum progreſſivum, qui ſolus naturæ actus eſt, intendat atque hac ratione ſudorem propellat.* Longa autem mihi naſceretur diſceptatio, ſi excutere animus eſſet, an hæc omnia

(*o*) Confer hic caput ſequens ejusque §um 4. ubi de ſale terreorum fuſius agitur.

(*p*) Tab. IV. p. 88. 89. Manifeſte autem hic ſibi ipſi Cl. Junckerus contrariatur. Dixerat nempe alibi ut in ipſo hoc paragrapho vidimus Terrea temperando orgaſmum ſudorem promovere, hic ea augere motum inteſtinum id eſt orgaſmum excitare pronunciat. Anne vero hæc inter ſe pugnant?

omnia quicquam explicent, an cum ratione pugnent. Frivole ſane negatur remedia intendere motus & agere in corpus; quando nihilominus aſſeritur remedia agere in animam, & quia actio nulla datur ſine motu, motus excitare in corpore, ut commota inde anima iterum motus ſuſcitet. Poſterius ſine dubio multo difficilius conceptu exiſtit, quam prius. Nolo ad metaphyſica principia progredi, ex quibus omnis hæc lis dirimi debet. Si eo usque deveniat aliquis ut aſſerat remedia terrea invitare naturam ut ſudores pellat, abundet ſuo ſenſu, ego quidem tum amplius haud diſputo, ſed ingemiſco. Inſuper ſilentio hic prætereo non bene concipi motum inteſtinum ſine prægreſſo progreſſivo, de hac re vero alibi quid ſentiam ero expoſiturus.

§. 7.

Sed quid opus eſt, ut longa oratione tædium lectoribus creatura laudes terreis remediis, ac ſi tranſpirationem ſudoremque proritent, reddam dubias. Sunt certe viri graves qui hæc remedia omnem expectationem fallere rerum uſu edocti ſunt, dolendum ſaltem quod vel ipſi jubente ita uſu tyranno, eadem chorda, repugnantibus propriis ipſorum ſententiis cum aliis oberraverint; vel ſuis monitis communem praxin magis rationalem nondum reddiderint. Puto non injucundum fore lecturis, ſi quorundam virorum placita ad hoc argumentum ſpectantia in medium protulero, ut pateat eo clarius quam abjecte egerimus hactenus adhibendo remedia ne hilum in medela ægrorum proficientia. De uſtis animalium partibus duris, in officinis adhuc dum extantibus, occaſione C. C. uſti optime diſſeruit ZWELFERUS: *Annon infatuati eſt*, inquiens, *velle nos dementare aut perſuadere quod oſſa e quibus pridem intenſo ignis gradu omnis beneficia humiditas, pars ſpirituoſa & volatilis, unctuoſa & radicalis eſſentia longiſſime proſcripta fuit, remedio ſint. Credat qui volet amens. Ejusmodi calcinata oſſa omni virtute caſtrata ſunt inſulſa & mortua corpora; exſucca terra, gleba inutilis & opprobrium Medentium.* (q) Et aliquot paginis interjectis (r) ait: *Cedat ebur uſtum in uſus pictorios,*

Varia terrea diaphoretica a Medicis peritis rejiciuntur.

M 2

(q) in pharmac. reg p. 225.
(r) p. 248.

ctorios, *e quo calcinato album ſimul & nigrum colorem eruunt.* Reddite vero hic rationem Medici ſocordes, cur C. C. uſtum, eburque uſtum toties inter diaphoretica præſcribitis? Sed plura a vobis deſidero. Audiatis modo Cl. STAHLIVM: (*s*) *Quamlibet* ait *vulgo medicamenta abſorbentia etiam commendari ſoleant ad præſtandum effectum diaphoreticum, fruſtra tamen erit, qui ab illis directe tale quippiam expectaverit.* Clamabitis forte toties nihilominus patrocinatum fuiſſe Stahlium (*t*) antimonio diaphoretico mere terreſtri pharmaco. Id novi ego, ſed miror valde Chemicum ſummi nominis id non rotunde pro inutili prorſus remedio declaraſſe. At vero hoc tacite facit genuinus diſcipulus JVNCKERVS, licet paſſim in operibus antimonio diaphoretico faveat: Materiam videlicet perlatam calcem inſolubilem vocat, (*u*) & alibi, antimonium diaphoreticum plane conſonare cum eadem refert, neque minus ceruſſam antimonii & ſulphur antimonii fixatum. (*v*) Eſt ergo & antimonium diaphoreticum calx inſolubilis, quia cum materia perlata calce inſolubili conſonat, igitur nullius in medendo pretii. Imo vero rem acu tetigimus, ſaltem Celeb. HOFFMANNVS (*x*) *bezoardicum minerale, ceruſſam antimonii, materiam perlatam & antimonium diaphoreticum calces effœtas ſalutavit, neque aliquid ſingulare efficere ſi ſola nec cum aliis mixta crebrius etiam in uſum vocentur*, candidus aſſeruit, ut ſupra jam adnotavi. Animadvertite vero obſecro, quam pulchre his reſpondeant ea quæ in inſtitutionibus ſuis habet inſignis BOERHAAVIVS (*y*) ubi antimonium diaphoreticum vulgare & Helmontii, ſulphur antimonii fixatum Tachenii, bezoardicum minerale, mercurium diaphoreticum, aurum diaphoreticum & plura ſimilia inter remedia nihil agentia recenſet. Papæ! egregia ægrorum præſidia hæc habenda ſunt, quæ nihil agunt; ſed mirabimini ſcio, & miror

(*s*) diſſ de morb. infantum. p. 31.

(*t*) nempe eadem diſſ. item in materia medica, & diſſ. de erroribus practicis in curatione febr. malignarum &c.

(*u*) in chemia p. 1029 Tab. XL.

(*v*) in therapia gen. Tab IV.

(*x*) in obſervat. chem. lib. III. obſ. 6.

(*y*) aph. 1189.

miror ipſe in catalogo remediorum nil agentium legi, ſulphur antimonii fixatum, quod toties laudavit ceu ſudoriferum & reſolvens remedium efficax eximius HOFFMANNVS, cui hodie adhuc favet. Diu viri præſtantiſſimi doctrina imbutus in hac fui ſententia, ſed mutare me eam facit Bœrhaaviana Chemia, (z) qua *calx inertiſſima, pondere indiſſolubili noxia, aut nil utique boni præſtans*, ſulphur fixatum Stibii jubente ita chemicorum experimentorum ætiologia dicitur. Plura attuliſſe haud juvat, ſi enim nondum deſinere vultis Medici! in ægris veſtris curandis tempus fallere otioſis ejuscemodi remediis, neſcio certe quid efficere amplius valeat, ut reſipiſcatis ſerio, erroresque commiſſos deteſtemini.

§. 8.

Terrea quomodo per accidens interdum evadant diaphoretica.

Vanus nimirum, ut opinor, haud fuero, ſi hactenus dictis extra omnem controverſiam me id poſuiſſe autumem, directe nil unquam facere terrea ad movendam tranſpirationem. Ne vero nimis rigoroſus videar horum remediorum cenſor, largiar interdum per accidens fieri poſſe, ut aſſumptis terreis tranſpiratio cum ſudore ſubſequatur, utut terrea in ſe conſiderata hoc præſtare poſſe ſatis convictus conſtantiſſime negem. Mente autem volvens attentius ſerioque ruminans quomodo id ipſum fieri poſſit duos ſaltem poſſibiles modos offendo, quibus poſitis poſt aſſumtum terreſtre pharmacum tranſpiratio augeatur, ſudorque fluat neceſſe eſt. Aut enim parvam ſalis copiam licet alienum id ſit ſibi adhærentem gerunt terrea, aut acidum in primis viis offendunt, cum quo oborto conflictu ſal aliquod neutrum generant. Atque utrumque hoc ſal ſolutum in ventriculo ac vaſis ſanguineis inſinuatum exſtimulando eorum villos omnem circulum intendet, ut omnia ſalia faciunt, præſentibusque in corpore illis conditionibus quæ ad diaphoreſin adhuc requiruntur, hanc promovebit ac liberius ſuccedere faciet. Dixi primo terrea ſi ſal quoddam licet peregrinum, ſibique haud proprium re-

 con-

(z) Tom. II. p. 453.

condant per accidens evadere diaphoretica; Atque, hoc ipſum egregie confirmat aſſertum Boerhaavianum antecedenti §o jam tactum, ſed occaſione ita ferente hic lectorum venia repetendum. (*a*) *Stibium diaphoreticum vulgare*, ſcribit, *Stibium diaphoreticum Helmontii*, *ſulphur Stibii fixatum Tachenianum*, *bezoardicum minerale*, *mercurius diaphoreticus*, *aurum diaphoreticum Crollii*, *cinnabaris & plura ſimilia examinata*, *deprehenduntur vel nihil agere*, *tumque diaphoretica dici*, *vel acrimonia ſalina adhærente operari*, *tumque ſudorem ſæpe exprimere.* Clariſſime veritas aſſerti hujus innoteſcet, vel ſolum antimonium diaphoreticum chymico oculo contuentibus, quod nihil aliud eſt quam calx fixa antimonii. Detonatione videlicet antimonii ſulphur deflagrat, & in auras abigitur, adeoque antimonium diaphoreticum omni ſulphure eſt orbatum; Poſtea calcinatæ maſſæ & in ſubtilem pulverem tritæ aqua fervida affunditur, ſicque Nitrum fixans ſolvitur, quod tum nova aqua affuſa eluitur eousque, donec calx remaneat inſipida. Omni ergo ſale etiam antimonium diaphoreticum deſtituitur. Quid ergo in eo ſupereſt? Certe nil aliud niſi fatua terra, nil unquam ad diaphoreſin faciens. Quodſi vero accideret, ut non penitus edulcorato, nec aqua nimis abluto aliquid illius ſalis nitrum antimoniatum dein conſtituentis adhæreſcat, hujus reſpectu, quod quivis Medicorum facile diaphoreticum agnoſcet ipſum antimonium diaphoreticum ciendæ tranſpirationi poterit inſervire. Facile ergo inde perſpicitur quid ſapientiſſimum Medicum & Chemicum Boerhaavium antimonium diaphoreticum rejicientem merito, at nitrum antimoniatum blandum & pulchrum diaphoreticum agnoſcentem (*b*) incitaverit, ut in materia medica aphoriſmis ſerviente paſſim quidem commendet Stibium diaphoreticum, ſed quod notandum ſemper *non ablutum.* Quod vero de antimonio diaphoretico non omni ſale exuto conceſſi, id etiam de illis terreis concedam lubentiſſime quæ calcinata aperto igne ad calcis vivæ ingenium accedunt, ſalque acre tum in ſinu ſuo cuſtodi-

(*a*) in inſtitutionibus aph. 1189.
(*b*) in chemia Tom. II. pag. 453.

ſtodiunt. Nil itaque habeo quod objiciam Cl. ETTMULLERO (*c*) *teſtæ oſtrearum* ſcribenti *ſi igne aperto calcinatæ fuerint alcali ſapiunt, cum acido nonnihil efferveſcunt, ac potenter ſudores cient.* Hæc itaque de terreis eapropter diaphoreticis quatenus ſal aliquis ipſis adhæreſcit vaſa noſtra vellicans, motumque humorum celeriorem reddens. Alter nunc modus poſſibilis ſupereſt, quo terrea aſſumpta ſudorem per accidens valent exprimere, nempe quando acidum ipſis ventriculum ingredientibus obviam incedit. Sponte liquet ex ejusmodi terreorum abſorbentium, acidique congreſſu poſt ortam efferveſcentiam ſalem mediæ naturæ generari, omnibus illis pollentem facultatibus, quibus omnes in genere ſales medii pollere deprehenduntur. Is ergo aperire alvum, acri ſtimulo periſtalticum motum incitando; ciere urinam circulum augendo, tubulosque bellinianos vellicando, movere perſpirationem, humores ad cutis vaſa ſat patula determinando pulchre valet. Nullus vero ſal ejusmodi generaretur in ventriculo ab acido libero, neque proinde vel ingens terreorum deglutita moles perſpirationem juvaret. Atque eo mihi reſpexiſſe videtur magnus cœteroquin terreorum remediorum fautor Cl. SYLVIUS, quando ſcripſit: *Lapides cancr. corallia, margaritæ, conchæ & ſimilia* (attendite lectores optimi) *acido peccante uſurpata non ſemel ſudorem movent* (*d*) En vim diaphoreticam terreorum abſorbentium probe a SYLVIO limitatam. Nemo vero modernorum medicorum facile ſtatuet acidum in omnibus ægrorum ventriculis ſtabulari, atque quia dubium plerumque eſt, niſi ſigna evidentia ejus præſentiam prodant an ejusmodi colluviem acidam uſurpata terrea offenſura ſint, cogitarunt medici de ſaturatione terreorum quorundam cum acido citri, ut ita certior eorum vis diaphoretica evaderet, atque talibus abſorbentibus acido ſaturatis tum majorem ſaltem virtutem accedere quam antea poſſidebant, ultro confeſſi fuere. Eapropter Clar. JUNCKERUS talia præparata in clinicis amans *lapides cancr.* ait *privative diaphoreſin invitare dicuntur. Præſtantiorem NB. habent effectum, quando acido citri ſatu-*

(*c*) in colleg. pharmacevt in Schrœd. p. 695.
(*d*) Lib. II. de meth. medendi cap. XI. §. 19.

ſaturantur. (*e*) Et alibi inquit: *Abſorbentia cum acido citri ſaturata aliis nudis ſunt præferenda magis enim diaphoreſin promovent.* (*f*) Iisdem quoque fundamentis nititur cautela practica illuſtr. Hoffmanni: (*g*) *In morbis acutis & febribus, ubi parum acidi in primis viis præſto eſt, tutius & majori cum efficacia fixa & terrea diaphoretica paulo minori doſi offeruntur, ac optime miſcentur cum ſyrupo acetoſitatis citri, nec non aceto vini.* Fallor vero vehementer aut hic recte agnoſcit Hoffmannus terrea diaphoretica nil agere niſi accedat acidum, quo accedente tandem naſcitur ſal neutrum, a quo vis diaphoretica unice pendet. Nunc autem omnibus ita ſe habentibus quæſtionem liceat injicere, an in exercitiis artis neceſſum ſit, ut indirecte & per accidens tranſpirationis augmentum ennarratis modo methodis moliamur? Sane ſi ſalibus illis vel terreis adhærentibus, vel poſt conflictum terreorum cum acido prognatis peculiaris vis competeret præ ſalibus aliis, ſique eos ſeorſim extantes haud poſſideret pharmacopœia multis commendarem antimonium diaphoreticum non prorſus ablutum, atque abſorbentia acido citri ſaturata. At quia nitrum antimoniatum per ſe ſubſiſtens inter evporiſta pertinet, ac quodcunque ſal medium id ipſum agit quod agere poſſunt terrea ſaturata acidis neſcio certe cur ejusmodi diſpendiis indigeamus. Nonne ergo ille qui antimonio diaphoretico, cui pauca ſalis quantitas adhæret, (nam penitus edulcoratum eſt prorſus fatuum remedium) aut abſorbente quodam citrato utitur ad ciendam diaphoreſin, cum ſalibus quibuscunque ad hunc finem uti poſſet; Nonne, inquam, ille idem prorſus agit, ac faceret is, qui tendens ad præfixum itineris ſui terminum ex via recta ſtrataque directo obtutu hunc oculis eminus objiciente, ſtudio diſcederet, ac per recurvas ambages, declinantesque ad latera ſemitas incedere mallet, de quibus ne quidem haberet cognitum, an eo ducerent certo, quo pervenire cuperet. Si igitur verum eſt terrea non movere tranſpirationem ut terrea, ſed ut ſalina ſimul, abjiciamus inertem ter-

(*e*) Therap. gen. tab. V. p. 210.
(*f*) in conſp. tab. 84. p. 677.
(*g*) Med. Syſt. tom. III. ſect. II. c. 5. p. 502.

terram fruſtra ægris ingerendam & ſalibus facile parabilibus ſolis potius utamur, utpote quæ certius multo actura ſunt in corpus, & accuratiorem doſeos rationem determinare Medicis permittent. Ego meas de diaphoreſi meditationes lubens nunc finio, quum ſatis oſtenderim ſalva artis præſtantia nos carere poſſe inutili illo diaphoreticorum fixorum apparatu. Supereſſet inter modos poſſibiles, quibus terrea diaphoreſin cient referenda fallacia illa terreis diaphoreticis quandoque id tribuens quod vehiculo debebatur; Notum quippe, quam multi lap. cancr. cum aceto propinatos in diaphoreſi augenda collaudent, ita autem hic error in oculos incidit, ita manibus quaſi eſt palpabilis, ut nullum ſubtilius examen poſcat, quare filum tandem dicendorum abrumpo.

CAPUT VIII.

Terrea pro diureticis falſo venditata conſiderat.

§. I.

PEdem nunc ulterius promovens alium differendi campum ingredior, terrea *diuretica* habita accuratius luſtraturus, inquiſiturusque ſedulo jurene, an injuria, ita a Medicis ſalutentur. Atque hujus quidem argumenti tractationem citius abſolvam, cum ex capite præcedenti varia quæ ibidem adſtructa ſunt commode huc trahi queant, atque propterea repetitionem haud poſtulent. Valde miror, nec ſatis capio, qui factum ſit, ut in diureticorum catalogo diu jam & ad hunc diem civitate quaſi donata ſint *opercula cochlearum, conchæ præp. ovor. teſtæ lap. cancr. lapis Judaicus, lyncis &c.* Id ſaltem verum eſt officinis Pharmacopœorum teſtibus noſtra etiam ætate pro diuretico ſcopo præſcriptas Medicorum clinicorum formulas, pleraſque continere hujuscemodi quisquilias, moribus ſemel receptis ita jubentibus. Præcipue autem *cancrorum lapidibus* is honos multis abhinc annis decretus, ſeduloque ad noſtra tempora ſervatus eſt, quod pe-

Varia terreſtria remedia a Practicis pro diureticis habentur.

culiarem & certam propriamque vim augendi diureſin cuſtodiant nulla amplius demonſtratione egentem, ſed ultra omnem dubitandi aleam poſitam. Certe Clar. SYLVIVS in eo capite quo ſecundum ſeriem diuretica remedia recenſet peculiarem paragraphum binis vocibus *oculi cancr.* conſtituit, ut forte eo certius lecturorum oculos ferirent, tantoque minus diureſin promoturis negligerentur. Non minores laudes accedere illis videntur ex commendatione Cl. LVDOVICI, ubi enim is in eo eſt, ut ediſſerere incipiat diuretica animalia ſtatim inquit: *Sint primo cancrorum polychreſti lapilli (quamvis nec chelis eorum & exuviis imo ipſis cochlearum teſtis in defectu congener efficacia deſit) non religioſius e vivis tantum exempti, poſt ſimplicem pulveriſationem ſolitarie, vel cum opiatorum aliquantillo dati.* (*h*) Easdem diureticas vires lap. cancr. tribuit HERMANNVS *in Cynoſura mat. med.* (*i*) cancrorumque teſtis, quas cum lapidibus easdem virtutes poſſidere dixerat LVDOVICI congeneres eſſe teſtas cochlearum, hinc uſum eorum pariter diureticum eſſe aſſerere non veretur Commentator & Continuator materiæ medicæ Hermannianæ Celeb. BOECLERVS. (*l*) Atque & hæc citata, & alia terrea remedia diureſi augendæ paria eſſe ferme ad unum omnes ſecundum ordinem materiæ medicinalis ſcriptores contendunt, ad recentiſſimum usque in hoc argumento verſatum Cel. TEICHMEYERVM, qui in diureticorum catalogum fideliter lap. cancr. lap. lyncis, judaicum nephriticum, teſtasque ovorum repoſuit. Neſcio autem an caſtum ſatis experiendi ſtudium cunctos eo perduxerit, de quo quidem valde dubitaverim; an potius unus alterum deceperit atque accedente auctoritatis præjudicio ex uno libro fluere errores in alium, effecerit, quod ipſum facile crediderim. Paſſim etiam eapropter ſaltem diſpenſatoria, vel recens edita ſcatere laudibus terrea ceu diuretica pharmaca evehentibus, ſuſpicor, quum neminem has dotes vere ipſis attribuere poſſe nimis convictus ſtatuam. Id vero quod fateri debeo, prorſus mihi prodigio ſimile, omnemque fidem ſupera-

(*h*) in pharmacia moderno ſeculo applicanda diſſ. I. pag. mihi 223. & 224.
(*i*) Part. II. p. 19.
(*l*) Continuatione II. cynoſ. med. Herman. Part. II. p. 592.

perare videtur ea vi movere urinam teſtas cancrorum fluviatilium, cochlearumque teſtas & opercula, ut hydropi curando per diureſin aſſerentibus inter alios ETTMULLERO & BOECLERO indicatiſſima ſint remedia. *Teſtæ cochleaceæ*, ſcripſit ETTMULLERUS, (*m*) *congeneres ſunt teſtis cancrorum fluviatilium, hinc uſus pariter diureticus eſt, unde adeo decantatæ ſunt in cura hydropis per urinam. Uſurpandi modus eſt, ut tantum exſiccentur & pulveriſentur. Tempore hyberno cochleæ opercula habent, quo ſe contra hyemem defendant, hæc bene abluta & pulveriſata pariter per urinam curant hydropem, ſi ſingulis mane & veſpertino tempore ſumantur in convenienti vehiculo, quantum cultelli cuſpis capit.* Idem prorſus de cancrorum teſtis & operculis, iisdem etiam verbis ſervatis affirmavit Cl. BOECLERUS,(*n*) ut adeo magna naſcatur ſuſpicio ſæpe ineptiſſima remedia laudari gratis ab autoribus, quia ab aliis ſe antiquioribus gratis etiam laudata fuerant, in eximium ſane artis damnum, tyrones æque ac grandævos medicos offendens. Neminem equidem in artis exercitiis Practicorumque obſervationibus verſatum fugit, aliquando hydropes deſperatos viſos, ægri ætate, teneritudine, aliisque catarcticorum fortiorum, leniorumque uſum diſſuadentibus, curatos eſſe diureticis ſed ſalinis, lixivioſis, juniperinis, therebinthinaceis, alliaceis &c. Fluxiſſe vero urinam in hydrope, vel fluere potuiſſe, ab aſſumpto lap. cancr. vel cochlearum teſtarum pulvere credat qui volet, meam quidem fidem, qui Thomas incredulus ſum in medicina, hujus generis narratiunculas excedere haud diffiteor. Enimvero qui in hydrope adfectis ſerum peccare ingenti tenacitate, vaſa hinc inde eſſe obſtructa, circulumque humorum omnium tardiorem debilioremque probe ſciverit, hisque omnibus deberi perſpexerit, quod parcius illi ægri lotium reddant ſæpe vix potentiſſimis pharmacis copioſius exprimendum, is levem ſine dubio fiduciam in teſtis ovorum & cancrorum lapidibus ponet, neque mente concipiet, quomodo nugaciſſimi tales pulveres expediendis, ſuperandisque tot gravibus renalis ſecretionis obſtaculis pares reputari queant.

(*m*) Oper. p. 663. Tom. I.
(*n*) Continuat. II, cynoſ. mat. med. Herm. p. 593.

Ut nil diſſimulem, ſtatimque candide animi ſenſa prodam, vel in ſaniſſimorum hominum corporibus terrea citata ne tantillum quidem diureticæ virtutis poſſe exerere veritati ſanæque rationi conſonum arbitror, quicquid tandem recepta ubique opinio obloquatur.

§. 2.

Prætextus inanis cur hac virtute polleant.

Ut vero nulla unquam fuit in medicina hypotheſis, quæ argumentis ſuis firmari defendique poſſe aliquibus Auctorum viſa non eſt; ita & hic colores non deſunt, ſed tales ſaltem qui levi negotio detergi poſſunt. Iterum hic loci accuſare debeo, ut in diaphoreticorum examine feci, ſterilem illam Pathologiam acidam, qua ſine terrea nec diaphoretica nec diuretica audire cœpiſſent. Triplici autem potiſſimum ratione aſſeclæ illius acidum impedire poſſe urinæ ſecretione ſibi imaginati ſunt; una vero omnium ſententia eſt, id a terreis abſorberi, atque ita diureſin juvari, augerive. Fuere qui ſtatim in cavis primarum viarum obtundere acidum, terrea abſorbentia aſſumpta reputarunt, ne pergeret ad ſanguinem, partiumque lotii ſecretioni & excretioni inſervientium functiones turbaret. Alii ſanguinem acido incraſſari, deſtructo vero eodem per terrea pharmaca iterum ſolvi & tenuem fatis, habilemque ita ad ſecretionem renalem reddi, affirmarunt. Rurſum alii opinati ſunt tubulos bellinianos acido conſtringi, ut humorem ſecernendum non admitterent, abſorpto vero acido patulos iterum effici, ſecretionique ſatis idoneos. Operæ pretium eſt, ut quædam harum opinionum ſpecimina hic legantur. Ad primam quam conſtitui claſſem præcipue referendus HELMONTIVS, audiamus pauliſper eum de virtute lap. cancr. diuretica diſſerentem. *Quodſi vero lapis cancr.* inquit, *ſit diureticus, non eſt quod proinde ſperandus ſit adventus ejus usque ad veſicam, aut quod vis ejus maneat intacta & infracta. Abſit. Sat enim eſto, ſi lapis ille totum potum ſpoliet vi aceſcente. Hæc quippe ſola, utut minimum ejus in lotio deferatur, parit ſtranguriam & dyſuriam. Acor enim tametſi a felle ſano optime ſubigatur, attamen tantillum ejus poteſt hoſtile eſſe in lotio, par-*

Acidum.

tibusque illi inſervientibus. (o) Secundæ poſtea claſſi adſcribendus Cl. WILLISIVS occurrit: *Pulveres teſtaceos alcbalizatos ex teſtis ovorum, chelis cancr. &c. in diſcraſia ſanguinis & humorum acetoſa interdum diuretica exiſtere judicans.* (p) Cui adjungendus eſt STEPHANVS BLANCARDVS, (q) qui terrea alcalica acidum ſanguinem coagulans abſorbendo, huncque hac ratione iterum fluidum reddendo, & ita aquoſam portionem libertati ſuæ reſtitutam ad renes ablegando, diureſin promovere autumat. In eadem opinione olim minimum verſatus quoque eſt Illuſtr HOFFMANNVS, quando in notis ad Poterium (r) ita ſcripſit: *Quodcunque ſerum viſcidum fundit, & ſal acidum, ceu primum coagulationis fundamentum deſtruit, poroſque renum obſtructos reſerat, illud diuretici titulum meretur. Inter hæc familiam ducunt ſalia fixa & volatilia omnis generis nitroſa, & quæ ſubtiliſſimo balſamico oleo gaudent. Omnibus autem præferenda cenſeo terrea alcalina.* Ad tertiam tandem eorum claſſem, qui acido deſtructo terrea diureſin promovere contendunt, pertinet Cl ETTMULLERVS. (s) Is nempe poſtquam in ſtranguria vitioſam urinæ aciditatem acore ſuo veſicæ & ſphincteris fibras continuo irritantem accuſaverat, in cura ſubjecta alcaliſata, ut lap. cancr. convenire docet, ac ſane in cancris abſolutam eſſe ſtranguriæ curam, vi alcalina diuretica pluribus ſcopis ſatisfaciente aſſerit. Hujus doctrinis neſcio an juvenis adhuc Lipſiæ ſtudiis operam dans imbutus jam fuerit Cl. TEICHMEYERVS, ſaltim ita videri poterat, attendentibus ad ea quæ in materia ſua medica recentiſſime ſcripſit. Ibi enim diureticorum catalogo diſerte annumerat omnia antacida, præcipitantia & abſorbentia, qualia ſunt lapidoſa & calcinata, & ex his paratos pulveres, quæ omnia ſalia acida ſtypticitate ſua tubulos renum coarctantia abſorbent. (t) Ita ut alioquin ſæpe fieri ſuevit, ſua cuique ſententia arridet. At

N 3 notari

(o) In tractatu a ſede animæ ad morbos. Operum p. 183.
(p) Pharmacevt. ration. ſect. IV. c. 4. p. 96.
(q) de operatione remediorum in corpore humano, edit. germ. p. 126, 127.
(r) p. 81.
(s) Tom. II. p. 668. 669.
(t) p. 35.

notari hic præterea debet fautores allegatos terreorum pro cienda diureſi exhibendorum, actionem horum remediorum non ſaltem ex terreſtri eorum ingenio derivare, quod ſolum ad abſorbendum & circurandum acidum ſufficiebat, ſed dum ea etiam alcalica vocant, ſal ejusmodi indolis in iis ſupponere; huicque multum in ipſa operatione tribuere. Ita de lap. percarum præparat. affirmat JVNCKERVS, *quod e tenuibus terreis & ſalinis particulis facultatem petant abſtergentem & leniter diureticam.* (u) Conſentit in hoc argumento quoque Cel. BOHNIVS, quando ita loquitur: *Mitiora diuretica ſunt terrea, quorum nonnulla alcali ſibi intertextum habent, quædam nihil hujus præ ſe ferunt, ſed abſorbendo forſan tantum agunt. Prioris generis ſunt lapis lyncis, qui frictus tantum aliquid urinoſi ſpirat, item lapis cancr. qui cum vino maceratus huic ſaporem alcalinum evidentem ſatis concedit; Poſterioris vero lapis ſpongiæ, ſilicis &c. qui tamen moderate uſtus etiam aliquid alcalici liquori in quo extinguitur imprimit.* (v) Si ſenſum horum verborum recte percipio videtur mihi Cl. Bohnius in terreis alcali modo fixum, modo volatile ſtatuere, atque ego valde miror, cum tot docti viri ſal volatile in terreis præcipue animalibus hoſpitari ſibi perſuadeant, eos non audacter magis id urgere eidemque præcipuam diureticam energiam non conſtantius tribuere. Sed fere exciderat animo, ETTMULLERVM (x) cancrorum lapides vi alcali volatilis operativos ſtatuere ac HARVÆVM (y) ſat lepide teſtarum ovorum urinas movendi facultatem a ſale quodam volatili deducere. Aſſerit quippe, exteriorem corticem ovi oriri ab urina, vel craſſiori ſedimento urinæ gallinæ, in urina vero multum eſſe ſalis volatilis aptiſſimi ad urinam promovendam. Neſcio vero an illis ambagibus opus, an ſal volatile etiam aliunde deductum commode & illæſa veritate terreis poſſit attribui, ſed de hoc argumento alibi fuſius.

§. 3. Mo-

(u) Junck. therap. gen tab. V. p. 209.
(v) Bohnius de offic. med. l. I. c. 15.
(x) Inſtitut. med. Part. III. c. 6.
(y) de generatione animalium, p. 90. & 92.

§. 3.

More potius jam nobis recepto, ut accuratius judicare valeamus, an jure de terreis affirmetur, quod ſint diuretica ea requiſita nunc paulisper conſiderabimus, quibus pollere debet pharmacum urinas moturum. Nolo crambem bis coctam apponere meis lectoribus, & dum de diureſeos ſucceſſu verba paro, ea odioſe repetere, quæ ſupra de ſecretione in genere, ad quam referri debet omnino urinæ in renibus a ſanguine ſeparatio, jam in medium protuli. Extra omnem controverſiam poſitum credo, ſecretionem in corpore quamcunque præſente ejus materia eſſe in ratione velocitatis ſanguinis & orificii vaſorum ſecretoriorum, id quod pari ratione de renali ſecretione intelligendum. Igitur urinæ ſecretionem tubulos renales laxos, patulosque primo; dein materiæ aquoſæ in ſanguine præſentiam demum appulſum definitum ſanguinis ad renum arterias ſupponere, facile liquet. Remedium ergo aucturum ſecretionem renalem, & ejus impedimenta remoturum debet *I. efficere tubulos bellinianos laxiſſimos, vel ſi conſtricti fuerint, conſtrictionem, ſi obſtructi, obſtructionem, tollere, vel irritatione villorum eos componentium invitare largiorem ſeri urinarii influxum. II. Remedium diureticum debet ſuppeditare urinæ materiem, id eſt ſeri in ſanguine augere copiam, vel ſanguinem denſum tenuiorem & ſeroſiorem reddere.* Tandem *III Remedium diureticum debet poſſe augere celeritatem humorum omnium circulantium ſimulque eorum circulum ad renes magis quam ad alias partes corporis determinare.* Puto hæc omnia ex idea ſecretionis urinariæ fluere, ſuaque luce radiare, ut contradictionem nullatenus admittant Jam ubi diureticorum terreorum vulgo ita dictorum apparatum *conchas præpar. cancr. lapides, teſtas ovorum, lapides percarum &c.* ſollicite conſideramus, & ſeorſim omnibus luſtratis præter fatuam & inſipidam terram nil offendimus; neſcio certe, an cum ſana ratione inſaniremus ſi diureticam vim in iis repoſtam ſerio vellemus admittere. Quis prudens facile ſtatueret lapidum cancr. pollinem vel immediate tubulis bellinianis applicatum eosdem laxiores reddere; cum nemo ignoret hunc effectum unice ab infuſis aquoſis, calidis, emollientibus, oleoſis, lubrican-

Dotes vero diuretico remedio neceſſariæ.

cantibus emulſivis, aſſumptis, itemque clyſmatibus ex talibus paratis balneisque eſſe expectandum. Nemo etiam opinor eo ſe facile abduci patietur, ut credat ſtricturas horum tubulorum ab uſu terreorum abſcorbentium miteſcere, nullam enim ut infra patebit antispaſticam virtutem cuſtodiunt, ac ſi omnes poſſibiles cauſas ſtricturas ejusmodi excludentes, foventesque ordine contueri alicui placuerit, is nulli earum ſuperandæ paria eſſe hujus generis remedia ſtatim animadvertet, niſi forte acidum aliquod conſtringens renalia vaſcula ſupponere ipſi placuerit. Hoc vero ægre in renum alveolis poſſe admitti, innoteſcet luculentius, quando de antinephriticis verba facturus ſum; acceſſumque pulverulentorum terreorum ad ipſos renes, in quibus acidum deſtruendum erat, non minus ægre concipi, omnes a præjudiciis liberi ſua ſponte profitebuntur. Quid tandem de obſtructis canaliculis renalibus dicam? An hos terrei pulveres aperient & recludent? an impactam viſcidam materiem ſolvent? Certe impudentis eſſet ita ſtatuere. Sana enim ratio loquitur, terreas horum remediorum particulas obſtruendis potius & occludendis canaliculis noſtri corporis, quam reſerandis idoneas habendas eſſe. Irritatione actura in bellinianis tubulis pulverulenta terreſtria, omni acrimonia ſenſibili carentia nemo facile probaverit; ac neſcio an irritatio hæc de aliis diureticis quam acredine manifeſta præditis, quæ in aliquibus cauſticæ fere indolis eſt, jure affirmari poſſit. Taceo quæ dixi de urinæ materie, quam nonnulla diureticorum ſuppeditant, rideretur qui ſeroſum laticem ab ingeſtis terreis ſperaret, denſiorisque ac concreti ſanguinis ſolutionem in ſeroſam materiam terreis præſtari poſſe portento ſimile eſt, atque ab illis ſolis concipi valet, qui acidum ſanguinem ligans mente tenent, fœde interim ſeſe decipientibus. Nil tandem ſupereſt, quam velocior circulus, ac hujus etiam augmentum fruſtra & inepte expectari a terreis, vel ingenti mole deglutitis ſuperiori ſectione jam monui. Quid ergo reſtat aliud, quam ut terrea omnia accuratius examen non ſuſtinentia, nec ulla earum virium inſtructa quas diureſeos ſucceſſus abſolute requirit, pro ineptis ad hunc finem obtinendum remediis palam declarentur.

§. 4. Atta-

§. 4.

Attamen Viri graves & in arte periti nihilominus ovorum teſtas cum lap. cancr. & aliis terreſtribus pro diureticis agnoſcunt, ac actionis operationisve modum perſpexiſſe ſibi videntur, quare nunc eorum ſententiæ ſupra §. 2. enarratæ a nobis erunt expendendæ. Abunde autem ibidem conſtitit quam maxime propter acidum abſorptum, deſtructumque, quod modo in ipſo ventriculo, modo in ſanguine, modo in villis renalibus, veſicaque hærens ſupponebatur, terrea pro diureticis fuiſſe venditata. Ponamus igitur primo ventriculum acida ſcatere ſaburra, hancque migrantem ſenſim ad ſanguinem, eum coagulare & ſeri ſeceſſum impedire, partiumque lotii ſecretioni & excretioni deſtinatarum functiones impedire; ut vult HELMONTIVS. Eſto ita! Sed lapis cancrorum, ut ipſe concedit, non operatur ultra ventriculum, eſt ergo in hoc remedio ſaltem prophylaxis impeditæ ſecretionis renalis, non vero hujus reſtitutio, ſi jam deficiat, cum lapis cancr. id acidum quod jam migravit ex ventriculo non amplius poſſit abſorbere, quia non egrediens ventriculum cum eo nequit inire conflictum. Valde ergo claudicat hæc ætiologia. At non firmiori talo nititur ſententia WILLISII & BLANCARDI acidum in ipſo ſanguine ſerum ligans, ipſumque cruorem denſans principium demonſtrationis aſſumentium. Enimvero primo nullo ſolido ratiocinio poteſt evinci vere dari in ſanguine humano acidum, niſi forte in homine debiliſſimo, ſolis acidis & aceſcentibus nutrito. Dein acida vegetabilia omnia, quæ ingerere ſolemus, ſanguinem ſolvunt potius, & a coagulo præſervant, tantum abeſt ut inſpiſſent, quod toties Illuſtr. BOERHAAVIVS inculcat, eccur ergo pro ſolvendo ſanguine terreis acidum abſorbentibus opus? Accedit dari acidula & acida, quæ potentiſſimæ virtutis diureticæ exiſtunt, quo nomine expreſſis verbis inter diuretica a *Bœrhaavio* referuntur aceſcentes humores animales, ſerum lactis acidum, lac acidum, lac ebutyratum, tum acidum citri, limonium, ribeſiorum, ſpiritus aceti, ſalis, ſulphuris, nitri, vitrioli, non ergo video Prætextuum §. 2. exhibitorum refutatio.

O quo-

quomodo cum his antacidorum vis diuretica queat conciliari (z) Neque tandem me movet ETTMVLLERI & TEICHMEYERI aſſertum tubulos renales conſtringi interdum acida acrimonia, abſorbentibus commode ſuperanda, ut libere iterum urina antea prohibita poſſit fluere, ſtatuens. Si enim per modo adducta Boerhaaviana acidis variis vere eſt vis ciendi urinam ratione & experientia annuentibus; non video quomodo diureſis etiam ab iis poſſit impediri. Si deinde ægre in ſanguine acidum admitti poteſt, quod eum etiam ingreſſum non diu acidum manet, ſed ſtatim virtute humorum circulantium ammoniacalem indolem acquirit, vix capitur quomodo cum urina ad renes poſſit deferri. Inſuper in urina aciditatem quam perperam Ettmüllerus accuſat (a) neutiquam locum habere, evincere conabor experimento elegantiſſimo Boerhaaviano, infra quando de terreis antinephriticis verba facturus ſum allegando. Liquere ergo ex his omnibus arbitror neutiquam terreſtria pharmaca ut antacida ſimul diuretica evadere poſſe, quam acidum inter impedimenta diureſeos falſo allegetur ab omni culpa, qua innocentiſſime oneratur, jure ſuo liberandum. Nondum autem omnia excuſſi, ſed cum illis adhuc mihi ſeorſim diſceptandum eſt, qui terrea alcalinorum cognomine condecorant, atque in iis vere ſal tale habitare ſibi imaginantur. Omnes in genere alcalinos ſales & fixos & volatiles in diureticorum claſſe ſuum tueri locum, eo quod ſtimulando villos vaſorum, motum humorum augent, tubulosque renales irritant, abſit, ut negem. Si ergo vere terreis ſal alcali ineſt tacendum mihi erit; manebunt illa diuretica, ac nullis litibus obſtantibus, hac induta virtute pulchre urinam promovebunt. At audax obloquor, quicquid tandem clari viri ſtatuant. Ea terrea quæ igne ſummo uſta ſunt, ac ad calcis vivæ ingenium eapropter accedunt utique alcalina habeo, diuretica agnoſco. De reliquis inſipidis, nec arte ulla immutatis aliter ſtatuendum arbitror. Ajo itaque in conch. præp. in cancr. lapidibus in ovorum teſtis & his ſimilibus nec dari ſal volatile

nec

(z) Boerh. inſtit. 1222.

(a) Oper. tom. II. p. 668.

nec fixum, cujus beneficio aliquam virtutem diureticam valerent exerere. Sal volatile in terreis omnibus animalibus & mineralibus perperam ſupponi docebo evidentiſſime capite præſens ſecuturo, ut antea ſæpe promiſi. Sal alcali fixum in terreis concretis neutiquam concedi poſſe, jam ut evincam meum poſtulat officium. Docent inter chemicos peritiſſimi, (*b*) Salis fixi alcalini ortum ex regno vegetabili unice petendum eſſe, hoc autem regnum naturæ me prorſus excludere, quando præſenti opuſculo de terreis mihi ſermo eſt, ſub initium ſtatim hujus tractatus indicavi. Certiſſimum porro habendum ſalia alcalina fixa nunquam propria eſſe animalibus (*c*) licet enim parum hujuscemodi ſalis ex regno animali interdum obtentum viſum eſt, tamen judice Cl. NEVMANNO maximi nominis Chemico (*d*) parciſſime obtinetur, ita ut nullam attentionem promereatur. Deinde quod probe notari velim, nullum alcali fixum in ſubjectis ſuis exſtitit, ſed ſolo igne paratur, (*e*) & quod mirandum eſt, ex ejusmodi ſubjectis, quæ igni nondum expoſita, ne micam ſalis alcalici fixi exhibebant. (*f*) Hæc omnia igitur qui ſerio ruminari voluerit, ſtatim intelligit male & præcipitanter nimis loqui medicos de alcalino ſale in terreis animalibus hoſpitante; talique in cerebellis luxuriantibus ſaltem exiſtenti, nullas in corpus humanum vires poſſe aſſignari. Præterea terrea falſo alcalina dici optime ROTHIVS agnovit (*g*) inſuperque Cl. BOECLERVS de teſtis cochlearum agens Harderum allegat, perſpicue docentem, teſtas cochlearum nullo conſtare ſale fixo, ſed eadem præbere, quæ caro cochleæ ſal videlicet volatile, ſpiritum, & olea ſatis fœtida cum phlegmate & terra. (*h*) Atque hæc de omnibus animalibus terreis valitura eſſe nemo facile negaverit. Patet igitur falſiſſimum eſſe ſale quodam agere terreſtria ſic dicta diuretica.

O 2 §. 5.

(*b*) Neumann ſect. de ſalibus alcalino-fixis p. 13. Bœrh. Chym. Tom. I. p. 639.
(*c*) Bœrh. Tom. I. p. 67.
(*d*) loco citato.
(*e*) Bœrh. Tom. I. pag. 639.
(*f*) Vid. Neumann l. c. p. 14.
(*g*) in Chemia Germanica Capite de terreis
(*h*) Continuat. II. mat. med. Hermann. part. II. p. 592.

§. 5.

Terrea quomodo per accidens evadere poſſint diuretica.

Reſtat tandem ut eandem lenitatem erga terrea diuretice dicta exerceam, quam terrea diaphoretica vocata ſuperiori ſectione experta ſunt. Scilicet cum largitus fuerim terrea per accidens aliquando promovere poſſe excretionem cuticularem, largiar etiam terrea per accidens interdum proritare poſſe diureſin. Neque hic alii, quam ibidem, modi poſſibiles, quibus id queat fieri, excogitari poterunt. Si enim terrea per ſe ad renalem ſecretionem augendam ineptiſſima eam nihilominus augent, id accidit beneficio ſalis vel ipſis jam adhærentis, vel in primis viis ob conflictum eorum cum acido obvio enati, & ad humorum oceanum urinæque vias tum determinati. Supra equidem *antimonium diaphoreticum* dictum penitus aqua edulcoratum omni virtute diaphoretica carere probavi; At antimonium diaphoreticum non ablutum eximium diaphoreticum agnovi. Hoc ipſum ſi aliquis *antimonium diureticum* ſalutare mallet, me certe contradicentem non eſſet habiturus, cum nitrum fixans terreſtri calci adhærens datis definitis corporis conditionibus utrumque præſtare, ac modo diaphoreſin, modo diureſin ciere ſatis efficaciter valeat: Neutrum autem, ſi omne ſal fuerit ablutum. Valde placuit Cl. LENTILIUM Practicum ſatis expertum ultro agnoſcere pulveres terreos ſalibus orbos minus diureticos habendos eſſe; (*i*) cui afferro jungi meretur LANGII effatum: (*l*) *Magiſteria ex lap. lyncis, Judaico, cryſtallis nil valere, niſi forſan ubi ſalia non adeo ſtudioſe elutriaveris, facultatem aliquam diureticam acquirant.* Atque ad diuretica terrea ob ſal adhærens agentia referri omnino debent valido igne calcinata, quæ tum igni etiam ſoli debent, quod ſal acre fereque cauſticum adipiſcantur, hujusque ope diureſin proritare valeant, ad quam ante uſtionem minus valida habenda erant. Talibus igitur uſtis terreis diureticas vires non derogo, licet valde ambigam, an tuto ſemper ægris ſola porrigi queant. Concedo lubens Cl. JUNCKERO (*m*) *teſtas ovorum calcinatas*

(*i*) in Eteodromo p 360.
(*l*) in colleg chym. oper. p. 620.
(*m*) in conſp. Tab. 97. p. 795.

calcinatas atque in vino Rhenano exhibitas eximiam poſſidere virtutem movendi urinas, quin & perſpectum mihi eſt, quosdam Practicos peritos lixivio diuretico a SYDENHAMO in hydropis curatione laudato adjicere ſolere ipſam calcem vivam. In his ergo omnibus poteſtas diuretica ſat evidens eſt, facileque ſucceſſus ratio mente capitur; qua ratione autem inſulſa terrea diureſin ciere valeant omnem meam intelligentiam ſuperat. Non minus vero terrea quævis, licet primo omni ſale orba & inſipida penitus, quando acidum in ventriculo offendunt, ſal generant neutrum; ac dein hac ratione, ſi id ad renes magis quam corporis ambitum, conditionibus corporis ita jubentibus determinetur, renalem ſecretionem juvant feliciter. Alter hic modus eſt quo per accidens terrea diuretica evadunt quem recte deſcripſit ETTMVLLERVS (*n*) *alcalica præſertim fixa*, inquiens, *ac ipſa teſtacea non ſine ſaporis ab acido ſtomachi immutatione & plus minus facta ſaturatione abeunt in ſalſum quoddam abſterſivum, & ulterius pro operatione diuretica ablegantur. Sic lap. cancr. vis infuſione in acetum exaltatur.* Idem prorſus effectus at multo certius ſperandus eſt a terreis abſorbentibus extra corpus acido ſaturatis, quibus omnino diuretica virtus tribuenda eſt, quam veriſſime iisdem adſcripſit Cl. JVNCKERVS. (*o*) Attentione dignum eſt in Catalogo diureticorum quem ſapientiſſime congeſſit illuſtr. BOERHAAVIVS, nullos cancrorum lapides, conchas nullas, nec alia terreſtria legi, ac inibi offendi nihilominus Oſtracodermata acido ſoluta in corpore noſtro, vel extra illud. (*p*) Putarem ita ex præcedentibus omnibus clariſſime innoteſcere, quomodocunque etiam terrea conſiderentur ea ineptiſſima eſſe ad ciendum urinæ fluxum, ſi autem forte eundem cieant nullam aliam vim diureſin promovendi in iis detegi, quam ſalinam, vel jam adhærentem illis antequam aſſumebantur, vel naſcentem in aſſumentium ventriculis. Iterum vero hic quæro, an his artibus in praxi clinica opus? Abundamus

(*n*) Inſtit. med. Part. III. c 6.

(*o*) in Conſp. Tab. 69. & Therap. gen. Tab. 4. p. 140.

(*p*) Inſtitut. 1222. num. 3.

mus ſalibus alcalinis & neutris ſeorſim extantibus optimis, tutiſſimis, nullam prærogativam adventitiis illis de quibus dixi relinquentibus, quid ergo nos impellit ut ſalia per diſpendia creemus, quibus largiter ſatis ſumus inſtructi; ut terream molem in caſſum devorandam ægris præbeamus? Si plane non attendimus an ſalia terreis exhibendis jam adhæreſcant, an in corpore naſcitura ſint, ac interea nihilominus ſub ſpe futuræ diureſeos macros pulveres ægris præſcribimus, turpiter ſane fallimur, & quando multum agere nobis videmur, agimus nihil.

CAPUT IX.

Male terrea haberi pro antiſpaſmodicis oſtendit.

§. 1.

Terrea varia antiſpaſmodica habet communis Practicorum opinio.

PLacet nunc alia iterum ratione quæ ſub manibus noſtris verſantur conſiderare terreſtris indolis pharmaca, ac in eorundem vim antiſpaſmodicam, quam cuſtodire communiter creduntur paulo curatius inquirere. Nemo neſcit ad hunc antiſpaſticorum remediorum ordinem a longo inde tempore referri *Cornu cervi, unicornu verum, raſuram dentis hippopot. apri, eboris, lap. manati, ungulam alcis, cranium humanum, talos leporis, umbilicum marinum, matrem perlarum, ſuccinum præparat. &c.* Neque ignotum eſt, omnibus medicinam facientibus, frequentiſſimos eſſe ſpaſmodicos affectus, magnamque cohortem morborum eos comprehendere, ingenio vere ſibi ſimilium, locique reſpectu quem præcipue tenent in humano corpore, ſaltem diſcrepantium a ſe invicem. Nimis quoque practicis clinicis obvium eſt, peſſimas hujus generis ægritudines non raro ægrorum Medentumve fatigare patientiam, recurrere ſæpius, ac demum in habitum quaſi degenerare ſolere, ut adeo potentius oppugnari poſtularent utique, generoſisque remediis ſi ullæ aliæ indigeant. Hæc inter neſcio, qui factum ſit ut terrea etiam jam citata relata fuerint, ſaltem inquiſitioni meæ vel operoſiſſimæ, cur

ſemel

ſemel uſurpari illa contra ſpaſmos cœperint, præter ineptas traditiones a majoribus noſtris ad credulam eheu & ſuperſtitioſam præſentium etiam temporum poſteritatem derivatas, parciſſimis forte aliquam veri ſpeciem habentibus hypotheſibus exceptis, nil occurrit aliud. At interea nihilominus vix ſæpe auditis querulis ægrorum precibus ad hunc terreorum apparatum, tanquam ad ſacram anchoram Medentes confugiunt, pulvilloſque tales, interpoſita ſubinde eſſentia dulci, pulvere vitali ſolari aut ſpecifico cephalico &c. prout ſua cuique placent, exinde depromunt. Videas in officinas Pharmacopœorum formulas antiſpaſticorum pulverum hujus farinæ eximia multitudine a Medicis ampla praxi gaudentibus transmitti; ut aliquis harum rerum ignarus juraret, nulla dari ſpaſmis vincendis ſuperiora remedia, quam hæc, ita in iisdem præſcribendis vel præſtantiſſimi viri ſibi placent. Sunt adeo qui ſpecifica ſua antiſpaſmodica, (vere ſpecifica, ſpeciem nempe facientia & nil amplius) ex hac penu depromta componunt, & ut arcana propriæ diſpenſationi reſervant, licet rationes ſolidas ignorent ipſi, cur fiduciam in iisdem collocent. Atque quod maximum eſt viri graves qui medicinam a ſordibus inutilibus repurgare laudabiliter annisi ſunt, qui recentiſſimis temporibus ſcripſere medendique methodum rationalem magis reddere ac veris principiis ſuperſtruere laborarunt ſedulo; non ſolum terreorum antiſpaſmodicorum uſum tolerant, & permittunt ſed urgent ſæpe, ac tanquam eximium repetitis vicibus commendant. Equidem hujus aſſerti teſtimoniis ſat multiplicibus quæ proferri poſſent in medium haud deſtituor, ſed tacere me jubet reverentia quam debeo meritis virorum eximia doctrina pollentium, famamque in artis exercitiis aſſecutorum. Neque enim mihi dum inanes ac præconceptas opiniones in medicina taxo, quod liberum eſſe unicuivis arti ſuæ bene cupienti arbitror, medicos carpere animus eſt qui honoribus laudibusque digniſſimis afficiendi ſunt. Pace vero horum quos veneror communi omnium ſententiæ haud ſubſcribam, ſed potius quid me, quo minus hoc faciam, prohibeat candide ſum expoſiturus. Ea eſt ſolidæ veritatis natura, ut animos ingenuos ad aſſenſum ſui ſuaviſſime pelliciat,

detur ergo huic locus obſecro; perpendant velim lectores mei attentius, quæ in ſequentibus elocuturus ſum, ac tum vel invitos mecum fore conſenſuros ſpero, vix tueri poſſe decantata antiſpaſmodica terreſtria illud elogium, quod fruſtra hactenus ipſis tribuit præceps opinio.

§. 2.

Ratiunculæ cur hac virtute polleant.

Illum conſenſum ut ex voto conſequar, ante omnia paulo curioſius ſcrutandum eſt qua demum ratione terrea enumerata, & inter ea præcipue partes animantium duræ, quibus ipſe illuſtr. HOFFMANNVS ſingularem quandam ſpaſticis motibus reſiſtendi facultatem tribuit (q) hanc vim ſuam antiſpaſticam exerere celebribus Medicis videantur. Hoc vero dum inquirere aggredior ſtudio nugas & fabellas anilem fere ſuperſtitionem olentes prætermitto, ad illas ſaltem ſententias attendens quæ primo intuitu veriſimillimæ apparent, & incautis facillime queunt imponere. Has quoties conquirere annixus ſum, omnes fere vel gelatinoſas particulas terreis moleculis irretitas in animalium duris partibus vel maxime ſal volatile ipſis inſitum allegare, atque ex binis his fontibus virtutem antiſpaſmodicam derivare animadverti. Certe quicunque ſcripta SYLVII, TACHENII, BLANCARDI, ZWELFERI, WALDSCHMIDII, ETTMÜLLERI, HOFFMANNI, autoris clavis pharmacevticæ, BOECLERI, aliorumque perlegerit, is paſſim inveniet, ea remedia de quibus ago, tam ob gelatinam inſitam, quam præcipue ob ſal volatile in auctis nimium motibus corporis humani cicurandis & compeſcendis, commendari. Valde hac occaſione notari merentur verba quæ *in diſſertatione de lapide Manati* ſub Stahlii præſidio habita, & a Langio ſine dubio elaborata extant: *Citra etiam analyſin chymicam præſentia ſalis volatilis in noſtro lapide Manati innoteſcit, a poſteriori ſcilicet virtute antiſpaſmodica a recentioribus multis modis licet non ſcriptis publicis celebratiſſima. Requiritur enim in ſpaſmo aliquid vel ipſum motum, vel cauſam ejus mitigans. Quodſi igitur concretum noſtrum eſſet*

(q) Med. Syſt. Tom. III. capite de ſedativis & Tom. V. p. 39. paſſimque in operibus alibi.

eſſet mere terreum, neutiquam effectum talem præſtare poſſet, niſi forte acidam aut bilioſam cruditatem abſorbendo, unde ſpasmodica affectio orta, & tam diu continuata fuerat, donec accederet iſtud removens cauſam morbificam ſpaſmi. (r) Quis hic non videt, confidenter auctorem diſſertationis provocare ad ſal volatile in lapide manati latitans, eidemque omnem energiam antiſpasmodicam unice tribuere. Idem illud vero quod in ſpecie de lapide manati hic pronunciatum legimus, de terreis animalibus in genere omnibus alii autores aſſeverant, e quibus duos ſaltem, praxi & eruditione celebres, hic allegaſſe ſufficiet. Scripſit ſuam pro gradu Doctoris obtinendo *diſſertationem inauguralem de ſpasmo* decus olim Medicorum Vratislavienſium, GODOFREDVS KLAVNIGIUS, atque in eadem, ubi de remediis antiſpasmodicis tractat, ita loquitur: *Imprimis autem huc ſpectant quæ proprie antiſpasmodicorum nomine veniunt, Cornu cervi, alcis, & rhinocerotis, unicornu verum ebur, ungula alcis, aſini etiam & equi, dens hippopotami, apri, cranium humanum, tali leporis, lapis manati, carpionum, aliaque ejus generis plura. Hæc enim omnia ſicut acidum deſtruere, & humorum acrimoniam temperare valent, ita partim ratione ſalis volatilis, quod ipſis ineſt, ſudorem movent egregie, ſtimulumque ſeri acrioris a partibus diſpellunt, partim etiam viribus anodynis pollent, adeoque ſedando dolorem & ſpiritus demulcendo ſpasmum fibrarum leniter tollunt.* Hactenus KLAVNIGIVS. Cui adſtipulatur celeberrimus WERLHOFIVS, tot pulchris operibus famam adeptus, & jure ſuo inter doctiſſimos ſeculi noſtri medicos referendus. *Certe,* inquit, *remediis tenerioribus ex regno animali abſorbentibus gelatina & ſale volatili fœtis, præcipue marinis vim ineſſe haud ſpernendam in motibus ſubtiliorum corporis partium excedentibus compeſcendis & promovenda diaphoreſi, experientia confirmat.* (s) Atque ego omnes Practicos, qui non cœco impetu, neſcientesque, cur prodeſſe debeat porrigendum remedium, ad antiſpaſtica terreſtria volant, ſed principia, ex quibus agunt, pharmaca ſerio rimantur, vel ſali volatili vel & gelatinæ vim omnem antiſpasmodicam partium durarum ex animalibus petitarum delaturos eſſe

P cre-

(r) Membr. II. §. 3.
(s) in obſerv. de febr. p. 121. in notis.

crediderim, quum aliter neſciam quid allegari a Fautoribus, energiam ipſorum propugnantibus, queat. Qualitates occultas & inanem experientiæ allegationem parum curo.

§. 3.

Ratiunculæ exploſæ.

Utut vero hujus generis ætiologiæ, antiſpaſticorum terreſtrium operationem exponentes, ſpecioſæ primum contuentibus appareant, tamen, quod nullo contradicendi ſtudio pruriens, ſed veritatis amator, pace ſummorum virorum, dictum volo, nullis ſolidis fundamentis ſunt ſuperſtructæ. Age ut finem faciam allegationum evanidarum gelatinæ & ſalis volatilis, in duris terreſtribusque animalium partibus hoſpitantis, ad rigidiſſimam demonſtrationem me accingo, fruſtra hæc principia terreſtrium remediorum texturam ingredientia allegari, venditarique pro iis, quorum beneficio ſpasmi conſopiri poſſunt, luculenter ut ſpero, confidoque evicturam. Poteram ſine ambagibus ullis orare lectores meos, ut perpenderent differentiam B. STAHLII inter *producta* & *educta chemica*, cum ſal volatile animalium non ad poſteriora, ſed ad priora referendum eſſe ratio videatur dictitare. Scilicet oſſa omnia & ungulæ animalium vere fixiſſima corpora ſunt, inſipida penitus, & perfectiſſime inodora;* ſolusque chemicus ignis cauſa eſt, quod ſuppeditent particulas volatiles. Quia igitur in Cornu cervi & aliis, nullum ſal volatile admittere poſſum, antequam definito ignis gradui fuerit expoſitum, male ſali volatili, quod in crudo C. C. ignem nondum experto habitare perperam dicitur, mea ſententia tribuitur aliquis effectus; quum non entis nullæ ſint operationes, ut ſcholæ loquuntur. Hæc inquam & alia præconceptæ opinioni de ſale volatili in partibus animalium latente, poteram opponere, & tum ſecurus acquieſcere, quia luce ſua hæc radiant: ſed dum facile prævideo curioſos defenſores, forte ad calorem corporis vitalem extricantem ſalia volatilia & gelatinoſas particulas, vel ad alia aſyla recurſuros, omnia refugia prohibiturus ſum ſequentibus propoſitionibus, quas ut mente ſobria ii ruminent, etiam atque etiam rogo.

I. Sive ſolidas quascunque, ſive fluidas quascunque animalium quorumcunque partes, cornua, ungulas, dentes, talos, teſtas,

pilos

pilos &c. ſanguinem, ſerum, urinam &c. igne chemico per gradus ſemper aucto tractavero, eadem ex omnibus obtineo, nempe primo aquam inſipidam, deinde, ſi urgeatur ignis, ſalem volatilem, poſtea oleum tenuius primo, & ultimo crasſiſſimum, remanet dein terra. (*t*)

II. Si coctione diuturna cum aqua communi oſſa, cornua, ungulas tracto, obtineo gelatinoſam materiem. Hæc vero poſtquam ex oſſe diu ita cocto educta eſt, ex eodem nullum amplius ſalem volatilem, nullum oleum vel validiſſimo igne chemico exprimo, ſed eſt fere ſimplex terra; Gelatinam autem eductam huic igni ſi commiſero, facile ex ea ſalem volatilem & oleum obtineo, quare patet, ſalem volatilem & oleum latere in hac gelatinoſa ſubſtantia. (*u*)

III. Hæc coctio oſſium, cornuum &c. fit in aqua bulliente, gelatina vero parata hoc gradu caloris aquæ bullientis inodora fere eſt, & inſipida, adeoque vere nil habet volatile.

IV. Calor aquæ bullientis ſerum ſanguinis noſtri coagulat, quare ſi corpori humano, ſive ab externa, ſive ab interna cauſa concilietur calor 100. & paulo ultra graduum, i. e. ad gradum caloris aquæ bullientis proxime accedens, ſeu tantus, ut coagulare humores noſtros queat, is ferri ſalva vita nequit, quia humores immeabiles ac ad circulum ineptos reddit, ac in cerebro potiſſimum & pulmone ſiſtit. Mors igitur neceſſario ſequitur. Sed tamen vere calor hic necat, antequam ſales & olea humorum ejusdem ope alcalica & volatilia reddita fuerint. (*w*)

V. Ergo ex his ſatis liquet, calorem qui creet, vel extricet gelatinam & volatilia reddat ſalia, animales partes habitantia, multis modis majorem eſſe debere eo, qui ſummus habetur toleratu in animali, ſalva illius vita.

VI. Cum igitur calor ad eum gradum incitatus in viventi animali non detur, qui ex humoribus educat ſales volatiles, etiam ex pulveribus cornuum & oſſium ingeſtis in corpus eos non educet;

P 2 imo

(*t*) Confer. Boerh. Chym. Tom. II. p. 312.
(*u*) Confer. Boerh. Chym. Tom. II. p. 315.
(*w*) Vid. Boerh. Chym. Tom. II. p. 306. 307.

imo vero ne quidem gelatinam, per propoſit. 3. & 4tam: ergo pulveres ingeſti non agent vi gelatinæ vel ſalis volatilis, quæ utraque ex iis igne multo majori ac vita animalis fert, tantum producitur, adeoque agent in corpore humano ſaltem ut fatua terrea. Sane ſi quid intelligo, ita hæc demonſtratio comparata eſt, ut nihil amplius deſiderari patiatur, neque ullam contradictionem admittat. Id vero quod ſolide, niſi omnia me fallunt, adſtruxi, eo majorem fidem debet adipiſci, quando chemici doctiſſimi dare tenentur, nullam dari ſalem volatilem in partibus animalium. Pronunciaverat equidem Cl. Ettmullerus (*u*) partes animalium duras uſui medico convenire, quatenus acidum quodcunque abſorbent, quia turgerent ſale volatili alcalino, & earum maximam virtutem medicam in hoc ſale reſidere; ſed ſtatim ſuam ſententiam de turgente hoc ſale volatili ultro ipſe aut refutat, aut ſaltem limitat, immediate inſequentibus verbis: *Omnia animalia*, inquit, *imprægnata ſunt copioſo ſale volatili, hoc ipſum tamen* (attendite lectores!) *dum adhuc ſunt in ſuo eſſe animalia, eſt ſalſum.* Pergit deinde paucis interjectis: *ſub ignis examine hoc ſalſum redditur volatile urinoſum.* Et quid multa? Sola Chemia Bœrhaaviana luculentſſime evicit, ſalia animalibus propria nec acida eſſe, nec alcalina, (*y*) valdeque dubitat doctiſſimus Autor, an in rerum natura unquam ſal volatile prius tale exiſtat ante putrefactionem, vel deſtillationem animalium aut vegetabilium. (*z*) Imo vero eos qui actuale ſal volatile in duris partibus animalium ſupponunt, ne reſponſione quidem dignos habet celeberrimus Stahlius. (*a*) Videant nunc quomodo vim antiſpasmodicam pulverum, ex duris partibus animalium paratorum, tueantur horum fautores, cum ſal illud volatile, cui ſoli aſſignari poſſet hæc medica virtus, cum ipſa gelatina imaginarium ſit & non ens. Sane illi non facile negabunt, in omnium terreſtrium corporum, atque etiam in partium durarum animalium compoſitionem venire aquam; (*b*) atque aqua hæc igne chemico multo

citius

(*v*) in colleg. pharmacevt. in Schrœder, ſect. II. ſub initium.
(*y*) Tom. I. p. 67.
(*z*) Tom. I. p. 667.
(*a*) Vid. diſſ. de lap. manat. membr. 2.
(*b*) Conf. Boerh. Chem. Tom. I. p. 453. 493.

citius ex illis elicitur quam ſal volatilis, per ſupra dicta propoſ. I. Si ergo in medicina licet exhibere pulveres ex partibus animalium duris pro ſedandis ſpasmis, quia pollent ſale volatili igne eliciendo, poterunt etiam ejusmodi pulveres non eodem ſaltem, ſed majori adhuc jure exhiberi, humectandi, diluendi & attenuandi fine, quia inde elici poteſt aqua. Nonne autem utrumque eſt abſonum?

§. 4.

Ita quidem illi officio, quod mihi incumbebat, ſatisfactum eſſe arbitror. At quo melius illuſtretur argumentum, in quo verſor, placet quædam de ſpasmi ingenio commentari, quod obiter nimis illi attendere videntur, qui largum adeo dari vere antiſpaſticorum remediorum apparatum putant, quem ego ſat parcum exiſtere perſuaſus ſum. Spasmi vocem, quæ Græcis Medicis originem debet, latini convulſionem verterunt, unde factum eſt, quod multi autores ſpasmi & convulſionis vocabulum promiſcue uſurpaverint. Perperam autem hoc fieri, ſpasmique ac convulſionis ideas inter ſe diſtinctas hac ratione confundi, jam rectiſſime mihi urſiſſe videtur Cl. STAHLIVS, *(c)* quum convulſio ad ejus mentem violentam motus tonici exacerbationem & agitationem; ſpasmus autem tractionem, rigorem, tenſionem involvat. Dabitur adhuc locus de hac differentia alibi paucula quædam differendi; hic vero ex phyſiologicis repeto, in omnibus fibris nerveis musculoſisque totius corporis humani, vigere motum oſcillatorium, contractione & relaxatione, ſeu ſyſtole & diaſtole mutua abſolutum, de quo tam pulchra ſcripſit Cl. BAGLIVUS, BELLINI, SANTORINVS & alii. Hunc motum fibræ a perpetuo nervoſi liquidi in cerebro ſecreti affluxu pendere, ejusque adeo cauſam in corpore quærendam eſſe, a claris viris evictum demonſtratumque ſuppono, contra negantes hæc principia haud diſputaturus. *(d)* Poſcit vero ſanitatis indoles, ut tempore, ordine, graduque juſto ſyſtole & diaſtole fibræ ſe excipiant; ſi vero contractio ſeu ſyſtole fiat naturali major, oritur ſpasmus, ut adeo hic nil aliud ſit quam contractio fibrarum præter- Theoria ſpasmorum brevis.

 natu-

(c) diſſert. de ſpasmis cap. I.
(d) Confer. Hoffm. Med. Syſtem. Tom. I. p. 76.

naturalis. Quoniam vero ſyſtole naturalis fibram ab ordinato definitoque influxu nervoſi liquidi optime deducitur, ſyſtole præternaturalis ſeu ſpasmus pendebit a copioſo nimis, inordinato, inæquali & tumultuario influxu ejusdem liquidi, ut facile patet. Omnia igitur quæ efficiunt, ut copioſius & inæqualiter fluat in fibras nervoſum liquidum, erunt ſpasmorum cauſæ, quod iterum ſponte ex præmiſſis conſequitur; ſaltem de modo, quo affluxus ille cietur, pauca quædam erunt dicenda. Si vero accuratius attendere voluerimus, ſtatim deprehenſuri ſumus omnes cauſas ſpasmodicorum motuum agere irritatione fibrarum nervoſarum, quod vocabulum, licet ab aliquibus explodi riſuque excipi ſoleat, haud inane eſt, nec evanidum ſaltem ſonum, ſed realem utique conceptum involvit. Scilicet irritationis nomine intelligi volo intentatam ſolutionem continui fibrarum nervoſarum, ſeu tenſionem & vellicationem earundem; nullumque adeo ſpaſmum in corpore contingere opinor, niſi adſit cauſa, tendens vellicansque, aut quod idem eſt, ſolutionem continui in fibra nervea intentans. Appoſite omnino ſcripſit Cl. Hoffmannus: *In genere hæc regula obſervanda eſt, nullam vim vel motum tolerare poſſe nervos, & quæ ex iis prodeunt partes membranoſas. Simul ac enim hæ a cauſa quadam vehementer commoventur, concutiuntur, vel diſtenduntur, comprimuntur, lancinantur, punguntur, aut trahuntur, protinus ratione ſenſus dolor, ratione motus contractio, criſpatura, ſtrictura & partium vicinarum compreſſio præſto eſt.* (e) En elegantiſſimam deſcriptionem, quomodo ſpasmus in corpore generetur irritatione. Neque ſola irritatio ſeu intentata ſolutio continui in fibra immediate ſpasmum procreat, ſed quatenus affluxum nervoſi liquidi cauſæ motuum corporeorum adauget & inæqualem reddit, quod egregie explicat *diſſertatio* Jenæ *de irritatione* ſub Wedelii præſidio defenſa. Ex his omnibus facile jam perſpicitur, quid ſibi velit illa quorundam corporum diſpoſitio ad ſpasmodicos affectus, vel leviſſimis cauſis irritantibus poſitis. Si enim ſpasmus pendet ab intentata ſolutione continui fibræ nervoſæ, clariſſime innoteſcit, quo tenerior laxiorque fuerit fibrarum compages, eo magis metum eſſe, ne continuitas earum ſolvatur,

(e) Med. ſyſt. Tom. III. p. 90.

tur, adeoque easdem ne minimam ferre poſſe irritationem, quin ſtatim contractiones ſpaſticæ oboriantur. Tandem ex ſtabilita hactenus ſpasmi theoria pulchre fluit commercium illud, quod ſpasmis intercedit cum doloribus. Utrique ſane ponunt irritationem, neque dolor concipi poteſt ſine ſpasmo, etſi ſpasmus concipi poteſt ſine dolore. Si nempe fibræ ortæ a nervis motui dicatis irritatæ fuerint, oritur ſimplex ſpasmus, ſi ortæ a ſenſui dicatis vellicentur, etiam prognaſcitur ſpasmus, ſed ſimul dolorificus. Reſtat in noſtra hac de ſpasmis doctrina, ut de cauſis ſpasmorum in corpore humano paulisper ſimus ſolliciti, quorſum omnia ea referenda erunt, quæ mole, pondere, motu, figura &c. irritationem fibrarum poterunt producere. Ante omnia autem hic allegari debet laxa nimis debilisque totius nervoſi generis compages, nimiaque fluidi in nervoſis tubulis circulantis mobilitas, qua fit, ut etiam ſine irritatione aliqua, aut ſaltem ex leviſſima cauſa irritante ſpasmi horrendi proveniant, vix ſæpe optimis remediis compeſcendi. Quod autem ipſas cauſas irritantes attinet, eæ valde ſunt multiplices, nec patitur hic inſtituti ratio, vt omnes ſeorſim indigitentur, aut in claſſes diſtinctas diſpescantur, potiorum tamen indicem conſcribemus.

I. Spectant huc præcipue, quæ undas nervoſas immediate commovent ac conturbant, animi pathemata, ira, metus, terror, ideæ phantaſticæ, his enim enormes ſpasmos concitari toto die Medici experiuntur.

II. His jungi ſtatim meretur frigus, ſubito corpori ac præcipue calenti admiſſum.

III. Sanguis copia, rarefactione, ſpiſſitudine, motu, errore loci, peccans.

IV. Humores omnes reliqui vel excernendi, vel retinendi copia, motu, lentore, cacochymia, acrimonia, diverſi generis laborantes.

V. Ingeſta vel eſculenta, vel potulenta copia, viſcoſitate, acrimonia ſalina, muriatica, acida, aromatica, ſpirituoſa fermentante peccantia.

VI. Effluvia ſalina, putrida, contagioſa.

VII.

VII. Venena varia & medicamenta venenoſi quid habentia, emetica, purgantia, mercurialia.

VIII. Vitia quædam ad ſolidas partes referenda potiſſimum, luxatio, fractura, fragmenta oſſium, contuſio, vulnus, ambuſtio, punctura tendinis, dentitio, partus difficilis.

IX. Res toto genere præternaturales, flatus, vermes, calculi.

Hæc omnia per lancem ſaturam ſaltem indicata, ſi ſigillatim examinentur, vim vellicandi, diſtendendi, ſtimulandi, premendi, arrodendi habere deprehenduntur, atque perinde erit, ſive immediate ſtatim ab iis ſpiritus exagitentur, ſive humorum vel copia, vel acrimonia, vel motu peccantium, vitio, fibræ exſtimulentur; ſive ſolidarum partium læſio criſpaturæ earum anſam det. Quibuscunque etiam ex his cauſis poſitis fibræ irritatæ criſpentur & contrahantur, adeoque ſpasmos patiantur, legibus motuum machinæ noſtræ - - - ita jubentibus, neceſſum eſt.

§. 5.

Dotes veris remediis antiſpasmodicis neceſſariæ.

Atque ex ejusmodi meditationibus, claris ac ſimul inconcusſis principiis nitentibus, tandem naſci poteſt verus antiſpaſticorum remediorum intellectus. Illa quippe ſola cynoſuræ inſtar perpetuo habenda ſunt, quæ vera ſint antiſpasmodica, & quousque. Firmiter ego crediderim, omnes, qui dicta hactenus legere & relegere voluerint, mecum conſenſuros fore, remedium antiſpaſtica virtute vere inſtructum teneri, ut ſequentia præſtet.

I. Ut efficiat, ne ex leviſſimis cauſis irritantibus, ob exquiſitisſimam nervorum ſenſibilitatem ſtatim motus anomali oboriantur, ſeu quod idem eſt, ut æqualem præſtet liquidorum omnium per omne corpus omnesque ejus canales ad minutiſſimos usque circulum: dein ut roboret & firmet laxum nimis & mobile genus nervoſum, quia hæc ejus diſpoſitio quam maxime ſpasmorum generationi favet.

II. Ut irritationes componat, vel cauſas ſpasmorum cognitas, quæ multifariæ omnino ſunt, tollat atque eliminet.

III. Ut ſi cauſa ſtatim tolli negat, aut nulla materialis cauſa ſpasmi ſubeſt, ipſum liquidi nervoſi motum exorbitantem refrænet, & ſtrictas ob eam cauſam fibras relaxet.

Puto

Puto ad tria momenta citata reducendam eſſe omnem antiſpasmodicorum energiam, ac valde vereor, ut decantata illa terreſtria ſine præjudicio æſtimata, & ad hoc examen revocata, affixa ſua elogia ſalva iterum reportent. Age pauciſſimis diſpiciamus.

§. 6.

Conſideratio ulterior dotis primæ.

Primum requiſitum quod attinet, ad æqualem ubique præſtandum in vaſis ſingulis totius corporis circulum, eo reſpiciendum quam maxime, ut vaſa omnia a primo genere ad ultimum usque plena ſint decenti quantitate humorum ſaniſſimorum, itaque diætam exquiſite obſervaſſe, atque pro potu liquida demulcentia, tenuia aquoſa, ut minerales aquas, ſerum lactis, decocta blanda, largiter adſumſiſſe multum juvabit. Sic enim vitale flumen ſuo ubique gaudebit æquilibrio, nec in hac parte exceſſu, in altera defectu peccans inæqualem ſolidorum actionem & reactionem excitabit, maxime ſi motus corporis placidus, mentisque tranquillitas curſum fluidorum regularem juvent atque moderentur. Alterum deinde momentum, corroborationem nervorum reſpiciens, ſine dubio in curatione ſpasmorum palmarium eſt, etſi communiter, ſi vera loqui licet, a Medentibus, ſuis ſpecificis inhærentibus, ac ſpectatores ita ſpasmodicorum morborum agentibus, negligitur. Sane ſi ſubſit nervoſæ compagis debilitas, omnia incaſſum devorabit æger, niſi roborantibus veris utatur; his ſcilicet ſi careat, perpetuæ ſeſe ſubſequentur malorum recidivæ, pejores ſemper, difficiliusque expugnabiles. Tanta autem in his remediis energia, ut niſi hæc ſpasmis a ſola nervorum debilitate pendentibus, ut in hyſtericis ſæpe & aliis quibusdam affectibus, medelam adferant, illi pro incurabilibus penitus, neque ulli alio medicaminum generi ſuperabilibus reputari debeant. Neſcio vero an digniora laudibus in genere nervoſo roborando inter omnia, quæ hactenus cognita ſunt, remedia inveniantur *marte*, atque *cortice peruviano.* Saltem utrumque eximias atque mirandas vires in ſpiritibus confortandis, invigorandisque exerere, clamat felix & cordatus Practicus SYDENHAMVS. (*f*) Iudicent qui generoſa remedia ſuo damno non reſpuunt clari artis

(*f*) Oper. p. 519.

exercitiis viri, an plures forte ægri, ſpasmis miſere vexati, priſtinæ reſtituerentur ſanitati martis, corticisque, famoſum viſcum quercinum & pœoniæ decantatam radicem longo intervallo poſt ſe relinquentium, beneficio: mihi, ut affirmativam ſententiam tuear, ratio ſuadet, & aliquis interdum ſucceſſus. Atque bina hæc eximia pharmaca non, quando ſpasmorum motuum impetus viget, ſed conſopitis eis extra paroxysmorum tempora quam maxime adhibenda eſſe, ſponte opinor innoteſcit, quia blanda conſtrictione agunt, ac ideo ſpasmodicis ſtricturis præſentibus haud rite conveniunt, id quod de cortice belle inculcat, qui hic conferri meretur eximius Werlhofivs. (*g*) His bene ut decet obſervatis, teſtis erit experientia, martem ac corticem ſumma eſſe, nec ulli ſecunda remedia antiſpaſtica, quorum uſum frequentiorem in ejusmodi caſibus valde ego optarem introduci a Medicis clinicis ſagacioribus. Dicite autem nunc, amabo, Patroni pulverum ex *raſura ung. alc. dent. hippopot. cran. human. mand. luc. unic. vero, talis leporis, matre perl. coralliis &c.* concinnatorum, an putatis hæc vere conducere laxo, debilique ſyſtemati nervoſo, firmandisque & roborandis mobilibus nimis ac ſenſibilibus ejus fibrillis? Si reſpondeatis, quid ni! ulterius ut ex vobis quæram patiamini, quo pacto illos hæc præſtitura fore animo concipiatis? Rigide ſupra probatum dedi, omnia illa terrea antiſpasmodica non agere gelatina, nec agere ſale volatili, quid igitur ſupereſt? Sane præter terram nil aliud. Inſtetis porro, permittam enim facile, & terreas moleculas ſolas pares eſſe roborandæ compagi fibroſæ corporis, ac tunc omnia ſine exceptione terrea erunt antiſpaſtica, vobisque incumbet ut probetis, cur duræ animalium partes peculiari virtute antiſpasmodica, ut fert ſententia veſtra, polleant. Ego, quando hunc in finem martem & corticem peruvianum laudo, extra paroxyſmorum tempora, diuturnum uſum poſtulo, atque ſi partes animalium duræ ſola terra agentes nervos roborant, non ad grana & dimidios ſcrupulos, ut mos fert, ſed ad cuſpides cultri præbendi erunt earum pollines, ita ſane proportionis leges jubent. Sed quorſum hæc omnia diſputo? non recordor ego, terreos ejusmodi pulveres extra paroxyſmorum impetum adeo

(*g*) in obſ. pag. 53.

adeo commendari roborandi ſcopo, ſed dantur plerumque in ipſo motuum exorbitantium vigore, ad eos conſopiendos, & hoc fine præcipue commendantur. At hanc inquiſitionem reſervabimus ſuo tempori.

§. 7.

Ad ſecundum potius momentum nunc progrediamur, viſuri, an forte cauſis ſpasmorum expugnandis duræ partes animalium quadrent. Nemo vero poſtulabit a me, ut omnes ſupra traditas, aliasque, quæ tradi diſtinctius potuiſſent, ordine contuear. Impoſitum velim hunc laborem illis, qui fiduciam in ejuscemodi pulveribus repoſtam habent, quo eo melius convincantur, quam inanes atque inhabiles iidem deprehendantur, ſi ad rigoroſius examen ventum fuerit. Ego quidem, ſi omnes cauſas poſſibiles ſpasmodicorum motuum, quæ exiſtere in corpore vivo queunt, contempler, ne unicam invenio, cui ſuperandæ pares eſſent terreſtres pulveres. Quid enim illi facerent ad ſanguinis vitia, quid ad humorum lentorem, & acrimoniam, quid ad vaſculorum obſtructiones, quid ad alia, a quibus toties ſtricturæ fibrarum excluduntur? Atque denuo repeto, nec unam invenio cauſam ſpasmorum, ſola acida humorum acrimonia excepta, cui prudenter opponerentur citati pulveres. Hanc in primis digeſtionis officinis peccantem, ac mora acriorem ſemper redditam, irritando ſtringendoque ſenſibiles ventriculi & inteſtinorum nerveas membranas, horribiles ſpasmos haud raro proritare pulchre novi. Nullum vero genus hominum ex hac cauſa obortis ſpasmodicis motibus frequentius laborat infantibus, lacte materno adhuc utentibus. Vix dici poteſt, quam frequentes, quam multiplices, quam capitales ſæpe huic ætati ex ſola hac cauſa prognoſcantur ægritudines, quamque feliciter illæ ſubinde expugnentur ſolis terreis tempeſtive & largiter uſurpatis. En igitur ſub quibus conditionibus ac quousque terrea habenda ſint pro remediis antiſpasmodicis, cum aliter hoc fine ægris exhibita fruſtra exhibeantur, neque vel tantillum boni præſtare queant. At forte & hic ego, qui parcus nimis in laudandis hisce pulveribus multis videbor, nihilominus jam fui nimius. Revoco quippe in memoriam cornu cer-

Conſideratio doiis ſecundæ.

vinum, dentem apri, ungulam alcis, talos leporis, lapides percarum & alia ſimpliciter in pollinem redacta, neutiquam cum acido effervefcere, nec id deſtruere, ſed relinquere intactum, (*b*) quare ne quidem ex hoc capite antiſpasmodicorum elogium promerentur, quia acidam acrimoniam, ſpasmorum cauſam, non vincunt, quod matri perlarum, conchis, lapidibus cancr. & aliis vere effervescentibus permitti debet. Quam inepte igitur illa, ne acido quidem domando paria, cauſis ſpasmorum deſtinantur!

§. 8.

Conſideratio dotis tertiæ.

Momentum tandem tertium expendendum ſupereſt, an ſcilicet in ipſos nervos agere, atque motum præternaturalem liquidi nervoſi, a quo præternaturalis fibrarum ſtrictura excluditur, compeſcere paulisper valeant pulveres, de quibus loquimur? Valde doleo & miror valde, viros, eximia in rebus medicis intelligentia claros, hoc ſibi poſſe perſuadere. Id ſatis conſtat inter Medicos, omnem motum in corpore pendere a nervis, ligato nempe nervo perit motus illius partis, ad quam nervus una cum ſuis ramificationibus pergit, quod experimentum toties, & ad nauſeam fere inculcatum ab autoribus legitur. Inde igitur neceſſario conſequitur, remedia motus placatura agere debere in ipſas fibras nerveas, quod nemo facile negaverit. Jam autem quæſtio eſt decidenda, an poſſibile ſit, ut partes animalium duræ & terreſtres actionem aliquam in nervos exerceant? Sane qui hoc affirmare audent, vix mihi rite attendere videntur ad fabricam nervi, atque ad ingenium illius liquidi, quod per canaliculos nervoſos circulatur. Nervi certe ex canaliculis coaleſcunt omnium in toto noſtro corpore tenuiſſimis, ac ultra omnem imaginationem exiguis, liquidumque, quod vehunt, tenuiſſimum eſt, mobiliſſimum, ſimpliciſſimum, fluidiſſimum, ut abunde functiones nervorum muſculorumque attentius conſideratæ docent. Ex his vero ita penitius conſideratis inferre ſine dubio licebit, remedium acturum in nervos eorumque liquidum, pollere debere ſumma particularum ſuarum tenuitate, ſolutumque in aſſumentis ventriculo diſſilire debere in corpuſcula mirum quantum diviſibilia, quæ intrare in exiliſſimos nervoſos alveolos, ibidemque

(*b*) Conf. Langius in diſſert. de antacidis p. 11.

que miſcere ſeſe eorum liquido ac immediato contactu in illud agere valeant. Atque, niſi ita comparatum ſit pharmacum, fruſtra ab eo actio in nervos expectatur, cum ſana nimirum ratione pugnarent, qui aliter medicaminum operationem in nerveas fibras animo vellent concipere. Sapienter omnino ſcripſit celeb. HOFFMANNUS: (*i*) *In genere omnia, quæ motus nimios moderantur, agunt principio quodam vaporoſo: ſive evaporabili ſulphureo, eoque vel naturæ amico, ſuaveolente, vel non adeo amico, graveolente. Quotusquisque vero eſt, qui iſtud evaporabile principium ſine ſuppoſita ſumma partium diviſibilitate, exiguitateque mente aſſequeretur?* Ac ita omnino comparatum eſſe cum ſedativis & antiſpasmodicis omnibus, quorum virtus ita evidens eſt, ut omnem contradictionem excludat, attenta ſingulorum conſideratione edocemur. Vix puto aliquem negaturum, *caſtoreum* ſummo jure pertinere ad antiſpasmodicorum catalogum, ſed conſideremus paulisper, quanta in eo particularum tenuitas, quam illæ vltra omnem imaginationem ſint diviſibiles. Expoſuit id bilanci illuſtr. BOERHAAVIVS (*k*) & intra 4. dierum ſpatium nihil ponderis amiſit, interim tamen in ſphæram 3. circiter pedum exhalationes continuas, & odorem inſignem ſparſit, novoque aëri expoſitum eundem intra 2. minuta ſuo infecit odore, ſine ſenſibili ponderis jactura. Nonne veriſſimum hic eſt, in omni puncto circumfuſi aëris hæſiſſe particulas vaporoſas caſtorei odore ſpecifico detegendas, quarum ſtupendam exiguitatem idem fere, quod nihilominus remanſit, caſtorei pondus ſatis loquitur? Ad antiſpasmodica ſine dubio quoque pertinet *crocus;* ſume vero extracti croci unicum granum, ac integræ libræ ſpiritus vini immitte, ſtatim omnis ſpiritus acquiret colorem alium, ac quælibet ejus guttula manifeſte habebit odorem vaporoſum croci, croceumque ſaporem exhibebit. Certe, niſi omnia me fallunt, hæc experimenta luculenter monſtrant, id omne, quod in noſtro corpore antiſpaſticam virtutem præſtat, in minutiſſima elementa, in ſubtiliſſimos vapores, quibus aditus facilis in exiguos nervulos patet, eſſe reſolubile. Deme vero caſtoreo, quod proprium gerit tenue & vapo-

(*i*) diſſ. de modo operandi remed. phyſico-mechanico.
(*k*) de viribus remediorum p. 105. edit. Venet.

roſum ſulphur. Caſtra crocum virtute illa evaporabili, qua nares ferit, exue lumbricos terreſtres odore ſuo graveolenti, aufer tandem a laudatiſſimo liquore anodyno Hoffmanniano penetrantem illam, halituoſam ac gratiſſimam ſimul indolem, & nulla omnibus illis amplius ſupererit virtus antiſpasmodica, quamque antea mirabaris felicem ſpasmorum conſopitionem, fruſtra poſtmodum expectabis. Quid dicam de plantis, effluvia ſuaveolentia longe lateque de ſe ſpargentibus, & ob blandam, quam ita præſtant, anathymiaſin ad ſedativa & antiſpasmodica relatis? His ſi careant, ſtatim omni virtute hac carebunt, aliæque omnes iis dotibus minus inſtructæ nil unquam ad motus nimios complacandos facient. Cur vero his talibus diutius immoror? Unum ſufficit. *Opium* citem, quod principem inter omnia remedia antiſpasmodica locum ab omni ætate communi conſenſu meruit. Hoc ſulphure per calorem noſtri corporis in tenuiſſimos vapores reſolubili ſuam exequi operationem certiſſimum eſt, ſola vero coctione, quod annotavit STAHLIVS (*l*), vaporoſum hoc principium in auras abigente, adeo omnibus ſuis virtutibus ſedativis ſpoliari poteſt opium, ut tum pultis inſtar cochleatim ſine ullo damno aſſumi queat. Quodſi ergo per analogiam ratiocinari licet ab opio, ſummo antiſpaſtico, ad reliqua inferioris licet virtutis; patebit clariſſime, quo minus medicamina principiis ſulphureis vaporoſis inſtruuntur, eo minus futura eſſe antiſpasmodica, ac ſi nil ſulphuris volatilis in iis detegitur, impoſſibile eſſe, ut tueantur antiſpasmodicorum elogium. Hæc ergo precor ſerio mente recoquant, quibus pollines ungularum, cornuum, dentiumque ex animantibus depromptarum antiſpasmodicis remediis annumerantur. Id ſatis certum eſt, ſalia volatilia inde ignis beneficio parata, eo quod penetrantis ſint indolis, ac in tenuiſſimos halitus dividenda rite uſurpata, eximia ſæpe eſſe ſpasmodicorum motuum antidota, quod vel hyſtericarum exemplo innoteſcit. Memori mente teneo præceptum cel. BOERHAAVII, vires ſalium volatilium antiſpasmodicas jure collaudantis, ſed ſimul ſuis limitibus circumſcribentis, ne data audaci manu, nulla temporum opportuni-

(*l*) mat. med. germ. p. 22.

tunitate obſervata, noceant. *In aquoſis*, inquit, (*m*) *acidis*, *auſteris humorum morbis*, *tum & in torpore languido nervoſi generis*, *ut & in iis*, *ubi a ſenſorio communi nimis facile mobili exlex ſpirituum moventium impetus in hoc illosque muſculos irruens ſine regimine animæ*, *ſalia volatilia optime conveniunt*, *præſtantiſſima efficiunt. Affectiones ideo hypochondriacas*, *hyſtericas*, *epilepticas*, *ſpasmodicas pulchre curant. Licet in alcalicis*, *putridis*, *diſſolutis humoribus*, *corporibusque jam nimis agitatis*, *peſſima venena ſint.* Manet ergo ſua volatilibus remediis, ob particularum ſuarum tenuitatem, vis antiſpasmodica, ac ſi partes duræ animalium vere in nos agerent ſale volatili, ut communiter ſtatuitur, impudentis hominis incurrerem notas, quando earum virtutes reſiſtendi ſpasmodicis motibus impugnarem. Monſtravi vero in ſuperioribus luculentiſſime, easdem igni nondum expoſitas nil habere, quo in corpus humanum operentur, præter ſimplicem terram, hancque demonſtrationem hic pertinax urgeo. Non ignoro, halitus quosdam raſis cornibus & unguliṡ animantium interdum tribui, vaporesque ſulphureos nervis amicos, quos & in iis ponit, & ponere cogitur illuſtris Hoffmannus (*n*) quum abunde paſſim docuerit, requiri abſolute, ut ſint antiſpasmodicis & ſedativis particulæ ſummæ ſubtilitatis & activitatis, quo in ipſos alveolos nervoſarum fibrarum ultra omnem conceptum exiguos penetrare queant. (*o*) Eaque propter raſuram dentis hippopot. eboris, C. C. lapidis manati, unicornu veri, cranii humani, talorum leporis, quam omnem fœtam ejusmodi vaporibus ſupponit, ad motus in corpore ſopiendos uſurpandam, recentem eſſe debere monet, aliter autem (probe attendatis obſecro lectores!) eam parum profuturam prædicit. (*p*) Unde autem ſemper recens raſorum ejusmodi pollinum, quando eos neceſſitas urget, copia? Certe, qui in officinis proſtant, ex quibus omnino petendi ſunt, per annos communiter ibi reſervantur, vt ſi vel maxime vaporibus ſcaterent, tempus ipſis ſufficiens conceditur hos in auras dimittendi. Nonne ergo effectus ejusmodi medicaminum vel hoc ſolo nomine fal-

(*m*) Chem. tom. II. p. 322.
(*n*) Med. ſyſt. Tom. III. ſect. II. c. 7. & Tom. VI. c. 7.
(*o*) e. g. diſſert. de prudenti virium medicamenti exploratione §. 10.
(*p*) Med. ſyſt. Tom. VI. p. 19.

fallax eſt, dubius & ægerrime ſperandus? At vero neſcio an jure liceat in ungulis, cornubus, talis, dentibus vel recentiſſimis animalium ponere vaporoſa & ſulphurea effluvia inde exhalantia: ſane BOERHAAVIVS hæc omnia vocat corpora, ut certe ſunt, quam perfectiſſime inodora, miraturque propterea illa ſola vi ignis acquirere poſſe fœtorem multiplicem & varium valde. (q) Probe inſuper tenendum eſſe reor, gelatinam, in qua habitat ſal volatilis, calore aquæ bullientis, ex ejusmodi corporibus extractam, adhuc inodoram eſſe & nil volatilis cuſtodire, ut adeo etiam in gradu caloris aquæ bullientis qui major jam eſt, quam ut corpus humanum eum ſalva vita ferre queat, per ſupra tradita nil vaporoſi & volatilis detegatur in his omnibus partibus duris animantium. Jure igitur dum hæc ita conſidero meditorque, mihi huc trahere poſſe videor & applicare omnibus decantatis antiſpasmodicis, de quibus loquor, quod in ſpecie de lapide manati ejusque operatione antiſpasmodica pronunciavit STAHLIVS: *Si perpendatur*, ait, (1) *quantum temporis requireretur, donec duriſſima talis materia ſaltem emolliatur in ventriculo patientis.* (2) *Quid deinde terrea ſua & gelatinoſa ſubſtantia efficere poſſit ad rhombum.* (3) *Siquidem qui actuale ſal volatile in hujus generis duris partibus animalium ſupponunt, ne reſponſione quidem digni habendi ſunt: Si his applicetur efficacia talium terreo-gelatinoſorum jam liberiorum, aliunde petitorum ad tales affectus: Si conſideretur etiam tempus & quantitas, qua talia vel nihil, vel vix modicum quicquam perficiant: Tunc facile concluſio ſecutura eſt, quod noſtrum concretum vel nihil effatu dignum præſtiturum ſit, adeoque nullam ſpecialem conſiderationem mereatur, vel quod effectus aliunde, quam a materiali hac habitudine deduci debeat.* (r) Quando ergo omnes aliæ partes duræ animalium lapidi manati textura ſimiles, æque ac ille, vix ac ne vix quidem in ventriculo ſolvuntur; quando impoſſibile eſt, ut in corpore humano ex iis emergat principium gelatinoſum vel volatile; quid præſtabunt ergo aſſumpta, et quid illis accidet? Dicerem facile, ſed taceo lubens; loquitur enim pro me tueturque ea, quæ hactenus differui, ſapientiſſimo ſuo effato

non

(q) Chym. Tom. II. p. 313.
(r) diſſ. de lap. manat. membr. II. §. 7.

non Medicus in Muſeo ſuo ſpeculator, ſed Practicus experientia dives, at, ut decet, rationem cum ea arctiſſimo vinculo ubique jungens celeberrimus BOHNIVS. Inſigni, quod fateor, voluptate plenus illud adſcribo, pondus eximium iis, quæ de imaginaria virtute antiſpasmodica terreorum inertium, propoſui, additurum. De intricata ſpirituum animalium medela verba faciens vir doctus cordatusque, ita ſcribit: (s) *Præternaturalis ſtatus ſpirituum medelam ſolennem, & remedia trivialia ac varia ex commentariis novi; illam hactenus exercui, hæc applicavi multoties, ſine illo tamen frequentius effectum, quem mecum deſiderabant ægri: aut ſi ſalutaris aliquando contigerit, de hujus connexione cum remedio ſeu modo agendi hallucinor adhuc.* Ubi dein ad conſiderationem ipſorum remediorum ſpiritibus dicatorum progreditur pulcherrime: *Fixiora remedia*, inquit, (t) *ſpirituum medelæ vulgo mancipata v. gr. Corallia, margaritæ, ungula alcis, cranium humanum, unicornu marinum, lapides pretioſi &c. ſicut aſſumpta ſunt, æque ac cinnabaris immutata per alvum rejiciuntur, ita nec aliquid ſubſtantiæ nec virium hinc cerebro inferri, ac ſpiritubus affricari valet.* In ſinu gaudeo, virum eximium ultro calculum meæ ſententiæ adjicere, perſuaſiſſimus quippe diu fui, omnes illos pulveres antiſpaſmodicos terreſtres nil aliud agere in humano corpore, quam ut canalem inteſtinorum tranſeant & cum fœcibus per alvum excernantur, ad omnem operationem inhabiles.

§. 9.

Judicent nunc qui ſine præjudicio in vires remediorum veras inquirere, utilem eſſe & neceſſariam valde noſtra ætate Medicis occupationem, ob immenſam medicamentorum molem concedunt, quid ſtatuendum ſit, de quotidiano uſu *pulveris Marchionis*, ita pro antiſpaſmodico remedio habiti, ut dubitare de veritate hujus traditionis fere religio ſit. Illum *ex rad. pœon.* ſub certis conſtellationibus effoſſa, (nam & hoc multum ad efficaciam pulveris facit) ex *ebore, viſco querno, ungula alcis, cornu cervi, coralliis rubris, albis*, ac *margaritis*, & ut nil elegantiæ deſit, *foliis auri* conflari omnes norunt. (Cenſura juſta pulveris Marchionis & antiſpaſmodici novi.)

(s) de officio med. pag. 348.
(t) ibid. pag. 354.

runt. Sed bone DEVS! quid ſolaminis tandem motibus anomalis nervoſarum partium ex his accederet? neque enim pœoniam excipio; nam & hanc BOHNIVS (*u*) rectiſſime inter ea refert, quæ parum admodum in ſpiritus & nervos agunt, cum eorum aculei & impetus leviores ſint. Quid ergo obſtat, quo minus mea faciam, quæ de hoc pulvere cordate ſcripſit Cl. STAHLIVS? (*x*) *Pulverem Marchionis præſertim largius ſumtum non poſſumus laudare; experientia certe non ſolum nullam ejus efficaciam, ſed largius ſumti etiam incommoda teſtante a poſteriori; ſicut a priori nulla profecto ratio apparet, quamobrem aliqua peculiaris ſpes in ullo eorum, e quibus conflatur, collocari poſſit ac debeat.* Nil ergo refert pulverem hunc a præclariſſimis practicis millenis vicibus, & pluries præſcribi; certum quippe eſt, eum vel millenis vicibus præſcriptum tamen gratis aſſumi ab ægrotantibus medelam in caſſum ſperaturis, ni ſuperſtes vis vitæ mala illa quæ patiuntur amoliatur, iique expectatione curentur. Extat dein in officinis noſtratibus *pulvis*, ut vocatur, *antiſpaſmodicus novus*, qui, ſi inter arcana a Pharmacopolis ſervatam formulam publici juris facere licet, ex *rad. pœon. lumbr. terreſtr. lap. hyacinth. lap. carpion. corall. rubr. cranio humano, ungul. alc. cordibus talparum, cinnab. antim. magiſt. epilept.* & iterum additis *foliis jucunditatis* componitur. Ejusdem autem is mihi eſſe furfuris videtur cum pulvere Marchionis; lumbricis enim terreſtribus exceptis, quos ob ſulphur graveolens tantisper antiſpaſmodicos agnoſco, cœtera omnia nil valent, cum mere terreſtria ſint, quorum actio in nervos penitus impoſſibilis, ut ſatis evidenter docui. De cinnabari nil moneo, cum in præmiſſa huic opuſculo diſſertatione ejus vires nullas eſſe ſolide, niſi omnia me fallunt, oſtenderim. Peſſimus certe is mos eſt, qui inter Medicos viget, quod plerique, ex ſolo nomine, quo remedium inſignitur, ejus vires metiantur atque dijudicent, morboque etiam non raro ſolo ſaltem nomine cognito ſtatim opponant, ac nec vera principia, ex quibus remedium agat & agere poſſit, nec cauſas phyſicas, quibus morbus fovetur ſollicite ſcrutentur. Pudet dicere, quam turpes trivialis praxis committat errores, cum

(*u*) ibid. pag 356

(*x*) differt. de morb. infant. pag. 37.

cum *pulvere antiſpaſmodico Hallenſi* ex tartaro vitriolato, nitro ac cinnabari compoſito. Ultro profiteor, eum referendum eſſe inter remedia polychreſta & vera agendi potentia inſtructa. Sed valde diſplicet, illum quotiescunque æger de ſpasmis queritur, ſine diſcrimine, ſine ulla alia deliberatione exhiberi. Novi, cardialgias inde mire fuiſſe exacerbatas, variosque alios affectus ſpaſticos non levatos ſanatosque ab eodem, ſed pejores redditos recordor. Sane inter roborantia nervoſum ſyſtema vel inter ea, quæ motum liquidi nervoſi ſopiunt coërcentque, nemo facile pulverem hunc revocabit, ſoli quippe ſanguini denſo rarefactoque convenit, ac ſi ab hac cauſa ſpaſmi prorirati fuerint, quod utique interdum fieri ſuevit, tollendo cauſam antiſpaſmodici remedii elogium tuebitur, ac nunquam aliter. Valde eſt veriſimile abuſum hujus pulveris deberi partim invaleſcenti indies medicationi domeſticæ Matrumfamilias, partim erroneæ hypotheſi, ſpasmos omnes a plethora & nata inde ſpiſſitudine ſanguinis perperam derivanti. Sed ad hoc argumentum propius accedere nolo, ne extra terminos, quibus circumſcriptus ſum, emigrem. Satis, puto, commonſtravi terrea antiſpaſmodica nil valere in therapeuticis, qui nihilominus ea fruſtra ſervare uſibus ſuis vult, ſervet, mea non intereſt.

§. 10.

At vero antequam finiam, ſemel adhuc retroſpiciendum eſt, ad contenta momento tertio, in quo hactenus fui occupatus, neque enim illi penitus ſatisfeci. Poſtulabat nimirum id (1) ut remedium antiſpaſmodicum vel ageret in ipſum nerveum liquidum, tumultuarie motu agitatum, vel (2) ut ſtrictas ob ipſum hunc motum præternaturalem fibras emolliret atque laxaret. De priori actione fuſius huc usque commentatus ſum, de poſteriori aliqua adhuc erunt annectenda. A terreis durisque partibus animalium relaxationem fibrarum tenſarum expectare velle, ſine dubio deſipientiam argueret; rideretur que ab omnibus ſana ratione utentibus, qui hoc fine pulverem raſum dentis hippopot. C. C. &c. præſcriberet. Quodſi in corpore humano ulla ratione eſſet poſſibile, ut duræ animalium partes agerent ſale volatili, lubens conceſſerim eorum actionem in ipſum liquidum nervoſum, ut jam dixi, atque ſi ulla ratione eſſet poſ-

Quædam adhuc ad dotem tertiam pertinentia.

ſibile, ut agerent gelatina, libenter largirer, eas copioſius ingeſtas ſtrictas fibras emollire atque laxare, ſed neutrum ab iis obtinetur, valde ergo eſt ridiculum eas antiſpaſmodico fine ſæpe ſæpius uſurpari. Certe ſi laxandum eſt, ſola aqua tepida inter antiſpaſtica & paregorica remedia ex BOERHAAVII ſententia (y) princeps, vel pretioſiſſimos ejusmodi & artibus curioſiſſimis concinnatos pulveres longiſſimo intervallo poſt ſe relinquit, maxime ſi herbis radicibusque emollientibus fuerit infuſa. Nunquam dein ſatis laudandum villis animalis corporis rigidis nimis & conſtrictis apprime conveniens lac, ſerumque lactis dulce, quod neſcio an pro ſua dignitate ſemper ibi, ubi indicatiſſimum futurum erat, atque ſat larga copia a Medentibus uſurpetur. Si his medicamentis jungas lac artificiale, emulſiones, oleumque amygdalorum, gelatinaſque ex partibus animalium durioribus, mollioribusque paratas, habebis forte omnia antiſpaſmodica, quæ emolliendo & laxando fibras agunt, atque ita deſideratiſſimam haud raro opem ferunt. Jungenda tamen iis ſæpe ſunt, de quibus jam expoſui, quæ ipſum nerveum liquidum præternaturali impetu commotum placant & figunt, opiata, quibus carere praxis medica nequit, quicquid demum viri quidam doctiſſimi obloquantur. Vera dixit cordatus SYDENHAM ſine opio mancam eſſe & claudicare medicinam, damnent ergo id præjudiciis occæcati, clament, iraſcantur, manebit tamen cum cortice peruviano nobile remedium & ætatem feret. Delebit interim, ſpero, dies illam, quæ partes duras animalium cum margaritis, coralliis & quæ ſunt hujus furfuris, perperam pro antiſpaſmodicis habet, ac imaginario ſali volatili innititur, hypotheſin non fixam, ſed ſumme volatilem.

§. II.

An ſuccinum præparatum antiſpasmodicum?

Commode tandem diſcedere poſſe a conſideratione terreorum ut antiſpaſticorum mihi viderer, niſi peculiari tractationi reſervaſſem quædam de ſuccino. Scilicet ſuccini contuſum primo cribratumque pollinem ſubtiliſſimum, dein aqua affuſa iterum ſubactum & exſiccatum, tumque ſuccini præparati nomine in officinis aſſervari ſolitum, ab omnibus fere medentibus antiſpaſmodicis

(y) Chem. Tom. I, p. 476.

dicis & nervinis remediis adnumerari inter omnes conſtat. Plurimæ ea propter pulverum antiſpaſmodicorum tam eorum, qui publico uſui deſtinati ſunt, ac in vulgus noti habentur, quam privatæ ſaltem diſpenſationi inter arcana & ſpecifica reſervatorum compoſitiones, ſuccino etiam præparato conſperguntur; quia in eodem reſidere inſignem virtutem nervos roborandi, motusque nimios placandi peritiſſimi quique viri firmiter ſibi perſuadent. Jam ego quidem, ne impune & præter rem medicaminum vires ita in dubium vocare, ac ſi illæ ab arbitrio meo penderent Lectoribus adverſariis videar, ſtatim confiteri debeo, me eſſentiam ſuccini rarius rite parari ſolitam, ſed vere rite paratam inter polychreſta remedia referre, ipſiusque egregias vires nervinas ac antiſpaſticas cumulatiſſime deprædicare. Eximie eas complexus eſt celeb. BOERHAAVIUS: (z) *Eſt Tinctura hæc*, ait, *incredibilis virtutis medicatæ adverſus omnes illos morbos, qui a nimia mobilitate inſtrumenti proximi affectuum humanorum ſpirituum & ſyſtematis nervoſi originem ducunt; Eo laxa ſyntaxios debilitas imprimis ſpectat. Inde hypochondriacis, hyſtericis, languentibus, frigidis, aquoſis, mucoſis, leucophlegmaticis, catarrhoſis, ex his cauſis ſæpe convulſis mire prodeſt, ut* Boyleus *&* Helmontius *ideo inter ſumma antiſpaſmodica eam retulerint.* Neque mirum tot pulchra præſtare tincturam bene paratam ſuccini; etenim, annotante HOFFMANNO, *(a) aqua infuſa non in ea, ut aliæ eſſentiæ, præcipitatur; inſuperque paucæ ejus guttulæ ingenti aquæ quantitati inſtillatæ omnem aquam grato ſuccini odore replent. Evidenti ſane teſtimonio ejusmodi medicinam, quæ tam late per minimas partes ſe diffundit, tenerrimæ naturæ atque adeo in corporis noſtri fluida ſolidaque admiſſionis intimæ eſſe, ut inde a parva doſi etiam non mediocris ſit expectanda efficacia.* En ergo eſſentiam ſuccini iis requiſitis largiſſime inſtructam, quæ ſupra prorſus neceſſaria eſſe, antiſpaſtico remedio in ipſos nervos exiliſſimos, eorumque liquidum ſummæ ſubtilitatis acturo, haud perfunctorie probavi. Non minores dotes ſolvendi ſpasmodicas nervearum fibrarum ſtricturas reſidere in ſale volatili ſuccini certum eſt; ut in hyſtericis affectubus

 nobi-

(z) Chem. Tom. II. pag. 192.
(a) Obſ. chem. pag. 66.

nobili hac medicina feliciter levandis uſus docet, quare recte laudatus modo BOERHAAVIUS *ſalem illum nervos extimulare, commovere ſpiritus, ac eſſe antihyſtericorum principem* aſſeveravit. (*b*) Nollem ergo carere in artis exercitiis ſale & eſſentia ſuccini, quando mihi cum ſpaſmis res eſt; at anceps hæreo dubitoque valde, an virtutes utriusque ſuccino præparato eodem jure adſcribendæ ſint, atque ad hoc pari jure extendi poſſint; neque enim communes eſſe crudo ſuccino cum præparatis ex eodem in medendo virtutes certiſſime perſuaſus ſum. Docuit nos inter alios Cl. NEUMANNUS (*c*) componi ſuccinum ex aqua, terra, oleo, & ſale, ita ut oleum maximam partem mixtionis hujus corporis abſolvat, unam quartam partem terra, aqua & ſale ſaltem conſtituentibus. Præterea aquam eſſe aquæ ſimplici, terram terræ ſimplici elementari ſimillimam, viresque medicatas unice reſidere in oleo & ſale. Interim oleum ſuccini adeo firmiter & arcte partibus terreſtribus & acidis ſalinis innexum ligatumque eſt, ut ægerrime inde poſſit divelli, ni clavis accedat clauſtra hæc reſerans, hæcque involucra diſſolvens, (*d*) unde omnes Chemici clamant difficillimam ſolutionem ſuccini omnia ordinaria menſtrua eludentem. (*e*) Satis bene nihilominus ſolutionem hanc etſi ſine ſeparatione partium conſtituentium diverſæ indolis ſuccedere, alcali fortiter calcinati nexum eorum feliciter recludentis & ingreſſum alcoholi parantis ope, eſſentia rite præparata totum compagem ſuccini ſolutam gerens palam loquitur. At, qui veram illius eſſentiæ præparationem docuere, circumſpecti jubent urgentque ut ſuccinum in pulverem ſubtiliſſimum redigatur, & cum oleo alcalino per deliquium diutiſſime teratur, quod clavem ſuccini HOFFMANNUS nominat, dein ut maſſa pultacea ſic terendo nata ſiccetur, iterumque in aëre liqueſcat, ac rurſum ſiccetur & liqueſcat aliquoties, quia ſuccini vitreum quaſi corpus difficillime penetratur; (*f*) ac tum demum cum infuſo alcohole digeſtionem inſtituendam volunt. Porro, qui ſuccini analyſin chemicam dedere, annotarunt

ſedu-

(*b*) in Chem. Tom. II. pag. 250.
(*c*) in lectionibus chym. de ſucc. pag. 50.
(*d*) conf. Hoffm. obſ. chym. pag. 65.
(*e*) conf. Bœrh. Chem. Tom. II. pag. 201. Neumann. l. c. pag. 50.
(*f*) Conf. Bœrh. chem. Tom. II. pag. 201.

ſedulo, eminentiorem jam deſtillatione oleum ſuccini expreſſuro adhibendum eſſe ignis gradum, quem celeb. Boerhaavius accurate determinat, majoremque calore aquæ bullientis pro oleo obtinendo poſtulat. (*g*) Sed multum iterum augendus is eſt, ut ſal prodeat, eleveturque ex ipſo ſuccino. Hæc omnia præparationem eſſentiæ olei, ſalisque ſuccini ſpectantia, quæ ſtudioſe congerenda mihi eſſe putavi, jam cogitanda trado Fautoribus ſuccini præparati in morborum therapia, ut ipſi dextre judicent, an ea expectari prudenter poſſint in medendo a ſuccino crudo præparato, quæ obtinentur ab eſſentia, oleo, ſale. Valde ea de re me fecit dubitare Illuſt. Boerhaavius: (*h*) abſcondita latere elementa diverſiſſima in ſuccino ſine ulla nota ſuæ præſentiæ, antequam commodo menſtruo disjungantur, eſſentiamque paratam poſſidere virtutes medicatas nobiles, quæ in ſuccino integro non reperiebantur, antea docte aſſerens. Scilicet per dicta in præcedentibus abunde, ni fallor, eluceſcit, ut agat ſuccinum in corpus animale, præſupponi minimum diviſionem prægreſſam elementorum id conſtituentium, ut in eſſentia ſuccini bene parata; licet diverſæ naturæ elementa nondum ſejuncta ſint a ſe invicem. Non igitur falſo pronunciavero de ſuccino præparato officinarum, id aſſumptum inſolutum hæſiturum in ventriculo; nullum enim ibi alcali vincula, quibus inter ſe nectuntur elementa ejus, disjungens; nullum menſtruum ſpirituoſum ad ſolutionem eorum adaptatum ab artifice. Neque juvat tritus in pollinem inpalpabilem, quum is neutiquam ſufficiat iisdem rite diſſolvendis. Multo minus ſperandum erit a ſuccino præparato, ut eas exerat in ægris vires, quas præſtat oleum & ſal; per naturam enim caloris noſtri, qui in vivente animali ad gradum aquæ ebullientis adſcendere nequit, eſſe impoſſibile, ut utrumque profunde in eo abſconditum latens extricetur, & a ſe invicem ſeparetur ſponte opinor patet; quare omnes illæ vires medicæ ſali & oleo propriæ, atque ab his ſolis expectandæ cadunt, ac iniquæ adſcribuntur pulveriſato ſuccino. Nil pejus dicam de eodem, ne fautores ejus offendam, ſaltem mihi id aliter ſe gerere haud videtur in

(*g*) Chem Tom II. pag. 249.
(*h*) Chym. Tom. II. pag. 302.

in deglutientis ventriculo ac ſimplex terra, vixque majora præſtare quam pulvis aſſumptus terrei remedii cujuscunque. Si enim Cl. NEVMANNO, quem ſupra laudavi, judice vires ſuccini unice reſident in ſale & oleo; præparatum autem ſuccinum non agere poteſt ſale & oleo, ut ex præmiſſis apparuit, nil præter terram inertem ſupereſt aliud quo agat in corpus humanum ægrum. Quam immerito igitur prædicatur vis ſuccini præparati antiſpaſmodica, nervina, cephalica &c. quam inepte eo fine pulveribus additur!

CAPVT X.

Fruſtra in convulſionum & epilepſiæ medicatione adhiberi a Practicis terrea eloquitur.

§. I.

Infinitus eſt numerus remediorum antepilepticorum terreſtris indolis.

NUnc connubium, quod ſpasmis eſt cum doloribus, poſceret, ut de his ſigillatim agerem, cum iis haud raro deſtinari a Medentibus terreſtria pharmaca bene norim. Dixi a ſupra, doloris ideam, quam pingere ſupervacaneum duco, ſemper involvere ſpasmum, quoties enim is oritur in fibra nervoſa orta a nervis ſenſui deſtinatis, toties ſemper adeſt dolor, cum in aliis fibris ſpasmus etiam ſine dolore queat ſubſiſtere. Cum igitur in præcedentibus ſatis inculcaverim, nullam eſſe decantatis terreis vim antiſpasmodicam, ſponte ſequi opinor nullam quoque ipſis eſſe virtutem anodynam, non ergo opus, ut crambem bis coctam lectoribus apponam. Intruſit ineptum contra dolores etiam terreorum medicaminum uſum ſola ridicula de acido univerſali cauſa morborum hypotheſis, qua exploſa, ruit omnino inepta fiducia, ac qui hodie ad mulcendos dolores terreos pulveres præſcribunt, illo caſu excepto, quando vere acidum corroſivum fibras ad conſtrictionem ſollicitat, ut ſæpe apud infantes lacte veſcentes fieri aſſolet, ingenue certe neſciunt quid faciant, & cur hoc faciant. Nihil amplius dicam de doloribus, ſed ſine ambagibus accedam ad convulſiones & epilepſiam, brevibus, an his morbis conveniant ac con-

convenire poſſint terreſtres pulveres inquiſiturus. Laborem immenſum ægreque abſolvendum impoſitum humeris meis ducerem, ſi omnem illam pulverum molem, qui ſub titulo antepilepticorum a multis retro annis Medicis clinicis familiares extitere, & ad hunc diem innumeris forte vicibus adhibentur, huc adſcribere neceſſum foret. Nullus inter pharmacopœos adeo a medicinali notitia remotus, ut componere pulveres contra epilepſiam non valeat. Nullus medicaſter, balneator nullus adeo rudis & in theoria morborum cœcutiens, quin crepare ſuos contra ſacrum morbum arcanos pulveres audeat. Imo vero eo usque ferax extitit antepilepticorum remediorum inventio, ut ii interdum qui animarum ſaltem curam agere, non corporis per officii ſui rationem debebant, pulveres contra epilepſiam conſarcinaverint, magnisque elogiis munitos diſpenſare non erubuerint. Novi qui inter arcana familiarum inſtar theſauri reſervant pulveres antepilepticos, iisdemque medicinam eleemoſynariam exercendo multum ſibi tribuunt. Quid ergo mirum, Medicos, qui ad inquirenda inveniendaque pharmaca omnium omnino aptiſſimi ſunt, magnam in excogitandis pulveribus antepilepticis poſuiſſe diligentiam, ita ut paucos forte inter eos qui artem exercent invenias, qui ſuis ſpecificis & arcanis pulveribus contra dirum hunc affectum non inſtruuntur? Plura dicam, ac ea ſimul eloquar, quæ non ſemel me in ſtuporem rapuere. Sæpe peritiſſimi viri qui probe cognitum tenent, tot diverſiſſimas dari hujus affectus cauſas; qui proinde rectiſſime inculcant, has ſedulo eſſe inquirendas, & tum demum prægreſſa hac cognitione rationalem medendi methodum eſſe adornandam; ipſi quaſi ſaluberrimorum ſuorum monitorum penitus obliti, nihilominus eheu! uſui tyranno indulgent, ac in arte recepta vel & propria ſua ſpecifica remedia plenis buccis collaudant; quæque antea fatua, inepta, ſuperſtitioſa, ridicula declaraverant, tacite ſibi contradicentes iterum extollunt, & commendant. At manum de tabula! Eſſent forte exempla hujus rei odioſa. Quis vero tandem præcellens ille apparatus materiem pulverum antepilepticorum compoſitioni largiens? En ſequentibus fere is abſolvitur: *Margaritis*, *coralliis*, *matre per-*

lar. dent. hippopot. ſpina muſtelæ piſcis lap. percar. carpion. Cran. human. C. C. præp. ungul. alc. unic. ver. cornu rhinocerot. ſuccin. præp. mandib. luc. talis leporis, viſco querno, pœonia, cinnab. bezoard. miner. ſolari, lunari, gemmis variis &c. Ita ſane armis ſat multiplicibus oppugnant Medici hoſtem infenſum totius humani generis morbum comitialem; dolendum ſaltem, quod omnia ſæpe ſæpius eludat, & de ſanitate vitaque miſerorum ægrotantium toties nihilominus triumphet. At eſto his omnibus inſidere vires antepilepticas, cur vero tot compoſitionibus pulverum antepilepticorum abundamus, quæ omnes parum certe vel nihil ſæpe a ſe invicem differunt, ſaltem quod hæ aliquid omittant, quod illæ recipiunt, hæque recipiant, quod illæ omittunt? Cur ergo opus *pulvere epileptico rubro nigro Viennenſi, Norimbergenſi, Brandenburgico, Marchionis, Mynſichti, Cratonis, Mœbii, Dolæi, Scretæ, Ludovici, Stahlii, Hoffmanni, Junckenii, Engelhardi, de Gutteta, Riverii, Weismanni, Zwelferi, Rindſcheidleri, Paſtoris Franckii &c.* anne unus commode ſubſtitui poterat reliquis omnibus, aut ex multis unus componi? Ita ſane videtur. Judicabimus de hac re tanto accuratius, ubi aliquos horum pulverum animi gratia ſigillatim conſideraturi, ea omnia, ex quibus coaleſcunt, conſideraverimus. Sit primo *pulvis antepilepticus niger*, qui conſit ex *rad. pœon. lign. aloës carbonibus tiliæ, viſco querno, rad. dictamni, ungula alcis, ſuccino præpar. margaritis, coralliis, unicorn. ver.* Sequatur *pulvis epilept. de Gutteta Riverii:* Componitur is ex *rad. & ſem. pœon ung. alc. dictam. alb. viſc. quern. cran. human. ſem. atripl. corall. rubr. hyacinth. præp.* Accedat etiam *antepilepticus pulvis Stahlii*, ac hic quidem componitur ex *cordibus talparum, lumbr. terreſtr. talis leporis, ungula alcis, viſco querno & cinnabari.* Prodeat quoque *pulvis anodynus antepilepticus Weismanni*, is conſtat *Cornu alcis, ungula alcis, dente hippopot. unicorn. vero, lap. manat. corall. rubr. ſuccin. alb. cryſt. mont. lap. Smaragd. pulvere lumbr. ſpinis muſtel. fluviat. ſulphure vegetab. corallino vel ſemine lycop. margaritis, cinnabari, theriaca cœleſti, pulvere caſtorei.* Agmen tandem claudat *pulvis epilepticus Junckenii* ex *rad. valerianæ, viſco corylino, cranio humano, ungula alcis, cornu rhinocerotis, ſuccino albo, Smaragdo præpar. cinnabari,*

nabari, *caſtoreo*, *camphora* concinnatus. Taceo *pulverem officinalem epilepticum diſp. Brandenb.* e *corall. cran. hum. matr. perl. C. C. ſine igne, rad. pœon. viſc. quern. ſem. pœon.* conſtantem. Taceo *pulverem epilepticum Zwelferi*, quem *pulvis typharum cervi*, *unicornu verum*, *cranium humanum ſuſpenſi bezoar occid. lap. carpionum*, *magiſt. matr. perl.* ingrediuntur. Taceo *pulverem epilepticum aureum* ejusdem autoris ex *croco ſolis unicornu foſſili*, *marino*, *cranio hominis ſtrangulati*, *pulvere e typhis cervi*, *magiſterio perl. Orient. matr. perl. corall. nuc. moſch. & oleo cinam.* componitur, ac remedium præſtans contra epilepſiam malignitati ſimul reſiſtens, & corroborans ſalutatur. (*i*) Taceo tandem *pulverem epilepticum Marchionis* & alios qui cum citatis. Si pauciſſima eorum, quæ compoſitiones ingrediuntur excipias, ne caſſa nuce digni habendi ſunt, ac nil minus ſunt quam remedia antepileptica. Cœterum quam parum omnes inter ſe differant, ipſa ſingulorum conſideratio docet nihil boni ullibi detegens; cur igitur novi ſemper excogitantur antiquis ineptiis referti? Cur in unum coacervantur fatua ingredientia, quæ olim in tribus vel quatuor ſeparatim extabant? quæ ſunt illæ artes quibus nonnulli Medentum meliores ſibi reddere viſi ſunt pulveres ſpecificos antepilepticos, qui hodie in officinis principatum tenent? Ac quando tandem expectabitur pulverum antepilepticorum finis? Crediderim ego dari inter Practicos qui hunc ne quidem exoptant. Habent enim ſtatim ſua aſyla ad quæ recurrant, quando curandus epilepticus occurrit. Ita enim cum triviali praxi comparatum eſt, ut de inquirenda mali cauſa ſæpe ne quidem cogitetur, ſed ſtatim ſpecifica præſto ſunt, eſtque ſua cuivis ſere Medico præſtabilita formula, qua nil juvante extemplo ſeſe offerunt pulveres ſolares, vitales, eſſentia ſtulta, liquor perlarum & alia hujus farinæ eximia pharmaca, quorum ineptiſſimus uſus pudorem tandem injicere deberet Medicis ad eruditos literatosque referri cupientibus. Etenim pueros ſaltem ejusmodi luſus, quibus tempus fallatur, decent, viris ſeria agenda ſerio.

(*i*) Pharmacop. reg. p. 102.

§. 2.

Convulſionum & epilepſiæ theoria.

Tædet illa omnia compilare elogia quæ non compoſitis ſaltim illis quos citavi pulveribus, ſed ſeorſim vel ungulæ alcis, vel oſſibus cervinis vel cranio humano ab autoribus gravibus aliter peritisque decernuntur. Scatent illis omnes fere Practicorum libri; leguntur magno numero apud ſcriptores materiæ medicinalis; luxuriant in recentiſſimis diſpenſatoriis, ut ſpiſſum ego volumen facili opera ſolis laudibus decumanis remediorum antepilepticorum terreſtrium implerem. Nolo vero inutili hoc, Medicisque in dedecus ceſſuro labore tempus perdere, ſed ad ſanam potius convulſionum theoriam adornandam propero, ut pateat, quid agendum ſit Practico ſecundum rationem paraturo ægris ſuis convulſionibus affectis pharmaca, quam inepte ille agat, qui evanidis & nugivendulis ſpecificis ſolet confidere. Dixi jam in ſuperioribus, ſpaſmos & convulſiones a plurimis autoribus confundi, & nomina hæc promiſcue ſæpe ab iis uſurpari, ſed perperam. Magna ſcilicet datur, vel ſolius ſedis intuitu inter hos affectus differentia: ſpasmus quippe in membranoſis partibus, ſed convulſio in muſculis ſcenas ſuas ludere ſuevit. Spasmi dein eſſentia in rigida immobilique, quam diu durat, fibrarum ſtrictura abſolvitur, at convulſionis idea in motu reciproco ſtringente & relaxante muſculos ponenda eſt. Manent interim affectus hi diverſiſſimi nihilominus cognati & ſpaſmi facile abeunt in convulſiones. Quamdiu enim ſtricturæ fibrarum nervearum membranas partibus corporis ſeorſim dicatas prehendunt, adſunt ſimpliciter ſpaſmi; Si vero ſtricturæ illæ ſerpant ulterius ac propagentur ad membranas cerebri medullæ oblongatæ & ſpinalis, vel iis ſtatim inſideant, neceſſario oboriuntur couvulſiones. Eſt autem convulſio nil aliud quam violenta invita & alterne repetens contractio muſculi. Sed contractio muſculi naturalis, nutuique animæ parens ponit liberum definitumque influxum ſanguinis & liquoris nervei in muſculum; ligata quippe arteria, vel nervo ad muſculum tendente omnis ipſius actio perit; Quare ſi in muſculum influat quantitas ſanguinis & nervoſi liquidi major quam in muſculum antagoniſtam, hicque influxus contingat absque imperio animæ,

erit

erit etiam impetus & eapropter contractio muſculi major, renuenteque anima ita eveniet, unde naſcetur convulſio. Cauſa ergo convulſionis omne id quod absque imperio animæ majorem liquidi nervoſi & ſanguinei determinat in muſculum aliquem copiam, quam in muſculum oppoſitum ſeu ipſius antagoniſtam. Sunt vero tales cauſæ forte infinitæ, videndum ſaltem ut in commoda praxeos redigantur ad aliquas claſſes, quæ medelam allaturo ſtatim ante oculos verſentur. Agnovit ſapientiſſimus HIPPOCRATES (*k*) duas convulſionum cauſas *repletionem* & *inanitionem*, quæ diviſio licet ſterilis & anguſta nimis apparere poterat, exhaurire & comprehendere nihilominus videtur omnes quotquot tandem dantur proximiores convulſionum cauſas. Eamque diviſionem ex recentiſſimis ſcriptoribus ſervavit adeo cl. THOMSON (*l*) *convulſiones*, inquiens, *fiunt a nimia inanitione vel repletione totius corporis; Immediate vero omnis convulſio fit a repletione nimia nervorum partis convulſæ.* Saltem diſputatio adhuc poſſet injici, an generales cauſas convulſivorum motuum complexuro opus ſit, duobus citatis fontibus tertium addere; & non tantum inanitioni & repletioni, ſed & irritationi culpam horum affectuum deferre. Illud primo veritati ſatis conſonum eſt, repletionem parere poſſe convulſiones. Nam ſi ſupponamus, venire ad muſculum aliquem contra voluntatem animæ majorem ſanguinis & nervoſi liquidi copiam, quam in ipſius antagoniſtam, neceſſario ſequetur ejus contractio præternaturalis, ergo convulſio, ut adeo ſatis pateat data in corpore copia humorum nimia poſitaque ſimul debiliori generis nervoſi compage facile oboriri poſſe motus convulſivos. Rurſum etiam minuta fluidorum in corpore hærentium mole, ſi in muſculum minor quantitas ſanguinis roriſque nervei amandetur, ac in oppoſitum hujus oppoſiti ſeu antagoniſtæ contractio & convulſio eveniat neceſſum eſt. En ergo geneſin convulſionum ab inanitione! Firmo igitur talo nititur antiquiſſima ſententia Hippocratica de ortu convulſionis a repletione & inanitione. Sed fuere inter recentiores qui imperfectam hanc diviſionem habentes irri-

 tatio-

(*k*) Sect. 6 aph. 21.
(*l*) Diſſ. de opio, propoſ. 2.

tationem addendam eſſe rati ſunt. Scilicet multa dari quæ in nervos noſtros vellicatione, punctura acrique ſtimulo agunt nemo facile negaverit. Jam vero conſtat dato ſtimulo augeri motum oſcillatorium & contractilem fibrarum, quare liquida celerius propelluntur, & major a tergo affluxus humorum invitatur ad locum, ubi hæret ſtimulus, itaque ſi ſtimuli actione affluat in muſculum ſanguinis & liquoris nervoſi ea copia quæ ſuperior ſit imperio animæ, iterum oritur hujus muſculi convulſio. Ergo & ab irritatione convulſio prognaſci poteſt, ut adeo hæc optime ex triplici fonte derivetur. Non vero hic diſſimulo præſtantiſſimos quosdam viros contentos diviſione Hippocratica non vereri aſſerere haud opus eſſe irritatione, ſed eam commode referri poſſe ad repletionem. Verſatus jam in ea opinione fuit Riverius (*m*) ac inter ſtatores Medicinæ mechanicæ cel. Pitcarnius (*n*) doctiſſime ſcripſit, ad repletionem eapropter irritationem revocari poſſe, cum ope hujus irritationis neceſſario in partem affectam ſeu vellicatam quantitas liquoris derivabilis naturali ſeu conſueta copia major derivetur, ut adeo neceſſario fiat partis vellicatæ repletio. Nolo jam in hanc controverſiam ex inſtituto inquirere, id duntaxat annotari cupio, repletionem conſiderari poſſe reſpectu totius corporis, & reſpectu convulſi muſculi; Si conſideretur reſpectu convulſi muſculi ſemper ſane juncta erit cum irritatione repletio, in nullo muſculo enim convulſio poſſibilis, ni adſit exceſſus virium motricium, ſeu quod idem, auctus præter naturam (reſpectu præcipue muſculi antagoniſtæ) ſanguinis ſuccique nervei affluxus; at ſi repletio conſideretur reſepectu abundantium humorum totius corporis, ſimulque perpendatur ſine hac abundantia nihilominus exiſtere poſſe irritationem a materia forte acri ſubtiliſſimæ molis, retineri poſſe irritationem cum repletione & inanitione, ad ſtabiliendam pathologiam convulſionum judicaverim. Atque ad tres modo memoratas generales cauſas convulſionum omnes ſpecialiores & proximiores idiopathicas & ſympatheticas reduci poſſe certiſſimum eſt, utut illæ valde ſint multiplices & mire a ſe invicem differant. Scilicet *ad repletionem* pertinet

(*m*) Pr. Med. l. 1. c. 6. (*n*) in element. l. 11. c. 5.

tinet omnino plethora, ſpiſſitudo ſanguinis, inflammatio, ſerum luxurians, voracitas, ebrietas, ſanguinearum excretionum hæmorrhoidum, menſium, lochiorum emanſio. Seroſarum excretionum interceptio, quorſum urinæ retentio, fonticulorum præceps occluſio & alia pertinent. Quanta vero his omnibus vis ſit in ciendis convulſionibus neminem Medicorum fugit. Ad *inanitionem* referri debent ſanguinis profuſiones ingentes per loca varia, emeſes & defectiones alvinæ enormes, venus immoderata, ſudores profuſiſſimi, labores immodici, vigiliæ, fames, mœror, febres laudabiles humores exhaurientes &c. Ad *irritationem* tandem commode revocantur animi pathemata, dolores & ſpaſmi ingentes, ut hyſtericarum; vulnera, puncturæ nervorum, venena & remedia veneni vires habentia, effluvia varia graveolentia vel alia ob idioſyncraſiam nervis inimica, ſordes acidæ, vel quocunque modo acres in primis viis ſtabulantes, arthritis & ſcabies repulſa, vermes, calculi, dentitio &c.

§. 3.

Jam ego quidem omnibus ita ſe habentibus, firmiſſime perſuaſus ſum unumquemque vel leviter in medicis verſatum & vel obiter ad dicta hactenus attendentem fore convictiſſimum, curam convulſionum poſcere. *Therapia convulſionum per remedia terrea iners & fatua.*

1. ut motus anomali ſopiantur
2. ut cauſa vel replens, vel inaniens, vel irritans reſpiciatur,
3. ut debilitatum nervorum ſyſtema roboretur.

Sane ſi quid intelligo in his ſolis omnis verſari debet Medici labor, ſi rationi conſonus ſit & eventum morbi non unice in fortuna ponat ut ſæpe eheu! fieri conſuevit. Nunc autem poſtquam hæc ita ut decebat præſuppoſui, amiciſſimo ſermone vos compellare audeo Practici celebres! qui veſtris pulveribus terreis, antiſpaſmodicis, nervinis, cephalicis, ſpecificis, diriſſimas interdum convulſiones aggredi haud veremini, valde orans obteſtansque, ut æquo animo feratis ſerio ac candide quærentem, quo tandem inanes illi & inermes conatus tendant? Si allegare vobis experientiam placeat, veniam dabitis eam ſi anili comparanda ſit & rationibus deſtituatur neutiquam admittenti. Diſcimus utique experiundo, diverſiſſimis modis

dis produci in humano corpore convulſiones, quare ſanæ rationi refragatur ſpecificorum pulverum exiſtentia, eaque propter non poteſt non impudentem ignorantiam prodere, qui in his piger acquieſcit. Oſtendi ſuperiori de ſpaſmorum medela tractatione luculentiſſime, turpiter falli pulveribus terreſtris indolis motuum exorbitantium medelam machinantes, ibique dicta hic recoquere ſupervacaneum habeo. Si deinde ad cauſarum convulſiones proritantium conſiderationem accedamus, cui bone DEVS! mentis acies adeo obtuſa & hebes, ut iis removendis pares habendos ſtatuat fatuos pulveres terreſtres? A repletione obortæ convulſiones vix ſanabuntur niſi congruis humorum evacuationibus, quibus omnino præcipua medendi methodus nititur. Plus ſane hic proderit ſemel ſecaſſe venam, ſemel duxiſſe alvum, aut alia ratione humorum copiam minuiſſe, quam præſcripſiſſe mille doſes pulveris Marchionis, epileptici, nigri, & aliorum hujus furfuris. Quid de inanitione dicam ſolum uſum replentium lacticiniorum, emulſionum gelatinoſarum, atque ita deperditos ſuccos reſtituentium indicante. Riſu hercle! dignus, qui hæmorrhagia, dejectionibus alvi, vomitu, venere, ſudoribus, vigiliis, laboribus, fame exhauſto, eaque propter convulſionibus vexato ægro pulveres ſpecificos, vitales, ſolares, eſſentiam dulcem porrigit, cum hæc omnia & multa alia hujusmodi ineptiſſima pharmaca, vel juſculum carnium millenis vicibus virtute ſuperet. De irritatione adhuc pauciſſima eloquar, quanta vero hic ſtimulorum varietas! Variis igitur eosdem obtundentibus opus, & ſi ſtatim obtundi, amoverique renuant, vel & animi pathemata malum excluſerint in ſolis opiatis prudenter exhibitis fiducia collocanda. Fatui vero illi pulveres, quorum ſeriem prolixam vidimus, nec motus ſopiunt, quicquid etiam de iis nugentur Practici, nec irritantem cauſam tollunt, una forte acida acrimonia excepta, quæ apud infantes ſæpe convulſiones parit. At nec huic pulveres ex magiſteriis raſisque partibus animalium proſunt, quia ii cum acido efferveſcunt, nec id edulcorant, quod probe annotari hic velim. Si ergo vera licet profiteri, omnes illi a me citati & ſi qui ſuperſunt alii, medicamenta ſunt inepta, & ad quisquilias officinarum referenda, quibus

illæ proh dolor! mirum quantum abundant. Turpe dictu eſt, Medicos graves peritosque in ejusmodi ineptiis ſibi placere. Adducam, ut rem ipſam in apricum deducam, inter multa quæ tradi poſſent unicum ſaltem exemplum. Sit infans laborans convulſionibus, ſit ſimul ex ætate, tumore prurituque gingivarum, calore oris, ſalivæque copioſo effluxu &c. clarum, malum pendere a dentitione. Quis prudens dubitabit cauſam proximam convulſionum quærendam eſſe in irritatione & tenſione gingivarum, omne nervoſarum partium ſyſtema, quod laxiſſimum eſt in tenellis corporibus, in conſenſum rapiente? Quid enim hic nos impellit, ut has convulſiones, quæ vires infantis miſere proſternunt, quæ toties mortem accerſunt, a principio ſapiente ad fines prudenter agente conſervationi corporis ſolerter invigilante deducamus. Concilient hæc inter ſe invicem oppoſitiſſima quorum intereſt; mihi nervoſarum gingivarum irritatio adeo evidens cauſa videtur convulſionum harum, ut in meridie lucem quærerem ſi deſiderarem aliam. Si vero hoc ita verum eſt, ſtatim ſequitur, unam eſſe indicationem in his conulſionibus ut egreſſus facilitetur denti, quod fit gingivarum laxatione, emollitione, attritione, inciſione, non omiſſis interea iis, quæ humorum appulſum ad caput coercent ac revellunt, nimiosque motuum impetus cicurant ac pacant; quorſum nitroſa quam maxime, blandiora ſedativa & vera antiſpaſmodica referenda, ut & a Sydenhamio præcipue cum cura commendata Venæ ſectio. Quæ vero pharmaca hic in uſu ſunt Practicis? Nihil fingam, ſed vera loquar: *Cajus* ordinat ſpecificum cephalicum, *Sempronius* recurrit ad pulverem Marchionis, *Mævius* collaudat eſſentiam dulcem & pulveres vitales, *Titius* carbones devorandos exhibet in pulvere antepileptico nigro, *Pancratius* præſcribit pulverem antiſpasmodicum novum, *Severinus* omnia complexurus mixturam concinnat cum aqua epileptica Langii & aliis, hisque eſſentiam dulcem, margaritas, ac ingentem abſorbentium molem admiſcet. Mille forte moriuntur tenelli, qui nil deguſtarunt aliud præter hæc eximia pharmaca, neſcio an in artis opprobrium inventa. Reddant ſaltem rationem, qui iis favent, quid ea omnia efficere valeant ad irritatas tenſasque gingivas, motumque qui inde producitur impetum: operæ enim pretium

videtur malis, tam eximium puſionum numerum quotannis trucidantibus, ſerio occurrere, nec per luſum ſaltem & jocum iis facere medicinam. Aut ſane in omni arte ſalutari cœcutio, aut hæc omnia gratis exhibentur tenellis ægrotantibus. Dicerem forſan plura de convulſionibus ab irritatione oriundis, ſed taceo lubens, ne crabrones irritem, ſemper peperit odia veritas, & mihi eam audacter eloquenti pariet ſine dubio. Pauca ſaltem adhuc addo ad indicationem tertiam ſpectantia, quæ in roborando nervoſo genere occupatur. Ingens habetur in diſpenſatoriis pulverum cephalicorum & nervinorum farrago, nilque in praxi magis frequens quam ſine reſpectu ad cauſam morbi veram convulſionibus laborantibus præbere pulveres ex margar. matr. perl. dent. hippopot. lumbr. terreſtr. ung. alcis talis lepor. raſ. C. C. compoſitos; his jungere, pulveres epilepticos varios, vitales ſolares etc. hasque quisquilias omnes venditare pro remediis nervinis, easque vernacula lingua denominare, Nerven-ſtärckende Pulver, Haupt- und Nerven-ſtärckende Pulver ꝛc. Enim vero quoties talia indicationi roborandi nervos vere deſtinantur a Medicis, toties dubitatio naſci poterat juſta, an illi diſtinctam mente tenuerint ideam de fabrica nervi, de functione nervi naturali, de læſione functionis hujus, de cauſarum differentiis læſionem illam inferentibus, et quæ ſunt reliqua. Sane quomoda illa pulverum energia cum his conſiderationibus conciliari queat, ego quidem ingenue ignoro. Scripſit celeb. BOHNIUS: (o) *Remedia quædam ſpiritibus roborandis dicata betonicam, pœoniam, doronicum, primulam veris parum admodum in ſpiritus & nervos agere*, quid ergo dicendum erit de remediis nullo prorſus ſapore, nullo odore præditis? & quis ſerio affirmare poterit, *pulverem cephalicum album diſpenſ. Viennenſis* ex ſuccino, margaritis, ſmaragdo, ſpeciebus diaxylo aloës, fœcul. pœon. unicornu vero, viſco querno & ſach. perl. paratum, nervos & ſpiritus animales confortare, licet hoc ibidem de eo prædicetur. Quis pulverem ejusdem diſpenſatorii *cephalicum rubrum* ex cinnab. rad. pœon. ſmaragd. præparat. ungul. alc. præparat. cran. human. corall. rubr. præparat. C. C. philoſ. unic. marin. margarit. ſuccin. alb. præp. vere poſſi-

(o) Lib. I. c. 18.

poſſidere virtutes cephalicas, cum omnia illius ingredientia terra damnata ſint ſtomachum gravans & cum fœcibus tota quanta iterum exiens. Idem certe dicendum de *pulvere cephalico Ludovici*, de pulveribus nervinis innumeris, qui inter noſtrates toto die ægris fruſtra deguſtandi præſcribuntur; De coralliis & gemmatis, quæ inter ſpecifica cephalica perperam retulit Clariſſ. JUNCKERUS. (*p*) Vix dici poteſt quam inique Medici abutantur remediorum nervinorum titulis, quos ſæpe ineptiſſimis quibuscunque & prorſus otioſis pro lubitu imponere aſſolent, quamque ſæpe minimum medicamenta generaliter nervina vocent, quæ ſub anguſtiſſimis limitationibus talia ſaltem audire poterant. Sit hujus rei exemplum valeriana radix, quæ ſine diſcrimine, ubi cum ſpaſmis, convulſionibus, morbisque nervorum aliis res eſt, ægris porrigitur, cum interim nil aliud præſtet quam ut ſua acrimonia fibras irritet, humoresque viſcidos & glutinoſos moveat ac attenuet. Sub his ergo conditionibus, ſi nempe glutinoſa & inerti mole humorum nervorum functiones læſæ ſint nervinum dici poterit hæc radix remedium, nunquam aliter. Sed nimis declino ab illo argumento, cui me adſtrinxi, nimis odioſa practicis locutus ſum, quare eos laceſſere ulterius nolo.

§. 4.

Bonitati interim cauſæ meæ confiſus erigo animum, & pauciſſima adhuc de epilepſia exponere aggredior, multa enim nec inſtituti ratio deſiderat, nec permittit. Differt ſolummodo a convulſionibus epilepſia, ut particulare ab univerſali, in eo vero maximum diſcrimen ponitur, quod in epilepſia ſenſus interni externique deficiant mentisque alienatio obſervetur, quod in convulſionibus ſtricte dictis haud ſolet contingere. Illud credo evictum eſt a Viris præſtantiſſimis, ideam epilepſiæ abſolvi in actione nimia cerebri in nervos motorios; quam actionem a ſpasmo duræ matris proritari MALPIGHIUS, LANCISIUS, BAGLIVUS, HOFFMANNUS aliique ſtatuunt. Jam vero actio hæc cerebri, vel ſi mavis, ſpaſmus duræ meningis excludi poteſt a cauſa habitante intra cerebrum, & tunc epilepſia erit idiopathica, vel e longinquo lege conſortii inter nervos ſolennis, cau-

Epilepſiæ ingenium, ejusque curatio inanis per terreſtria.

T 2

(*p*) in therap. gen. tab. XX. pag. 497.

cauſa aliqua illum valet producere, ac poſtea ſympathetica epilepſia erit. Utinam ad hanc & illam darentur in commoda generis humani certiora remedia, utinam in horrendo pulverum antepilepticorum apparatu vel unicus votis ſatisfaceret, elogiisque reſponderet! Sed ad unum omnes proſcribendi tandem ex artis limitibus, cum maximo damno Medicorum & ægrotantium hactenus tolerati ſint. Illi quippe habentes ſtatim quo recurrant negligunt oſcitanter inquiſitionem cauſæ ſingularis, eique debitæ veræ medendi methodi; hi ineptis & otioſis pulveribus cibati ſuo morbo penitus permittuntur, tempus perdunt, ac ſiniſtra fortuna in manus Medici pertinaciter ſuis ſpecificis inhærentis, ſi inciderint, plerumque moriuntur, aut non niſi fato ſanitatem rucuperant. Norunt ac teſtantur omnes qui in curatione morborum multos annos abſumſere, nondum cognita præſtare in rerum natura remedia, quæ epilepſiam hæreditariam aut congenitam ac habitualem funditus extirparent; quicquid enim tunc agat Medicus, nimis alte latet in fabrica ſolidarum ad miſerum affectum diſpoſitio, quam ut evelli inde queat, etſi negandum non ſit ſagacitate Medici poſſe effici, ut qui crebrius invadebat paroxyſmus, rarius eveniat, vitatis omnibus iis, quæ occaſionem naſcituro malo ſuppeditant. Vix ergo audiretur ignara audacia, quæ ſpecifici cujusdam vires ad connatam & a parentibus derivatam epilepſiam extenderet, quum omnem nervorum compagem id deberet immutare, ſi certo operæ præſtaret pretium. Neque unquam mihi perſuaderi patiar, ad idiopathicam epilepſiam aliunde etiam prognatam valere miſerrimos tales pulveres, quando nimirum cauſa proxima in meningibus ſinubus, ſubſtantia cerebri, ventriculisque ejus deliteſcit; Innumeræ enim hic difficultates occurrunt vel doctiſſimam artem & remedia cauſæ prudentiſſime oppoſita eludentes. Hic ſane ſumma intelligentia pollens Medicus abditas & occultas mali cauſas ſæpe haud adſequitur, & ſi ex prægreſſis morbis hariolatur, eæ multoties ita comparatæ ſunt, ut per ſui ipſius vel loci, ubi hærent, indolem tolli negent. Contuſiones ad minimum, vulnera capitis, calvariæ intropreſſiones, fragmenta oſſium, caries, inflammationes meningum & alia, quæ ſenſus ac ratiocinia valent aſſequi, aliam ſane requirunt medelam quam

inermes & fatuos pulveres terreſtres. De iis quæ ingenioſiſſimi ſubinde Medici examen effugiunt excreſcentiis oſſeis, ſpinis, cartilaginibus, polypis intra calvariam &c. taceo. In hac idiopathica epilepſia (ut verba Illuſtr. noſtri Helwigii mea faciam) (q) *oſtendant præſtentque ſe viros, qui arcana ſua jactant, qui plenis buccis in ſpecificorum ſuorum laudes declamant:* Hic rhodus, hic ſaltent. Sed vereor valde, ne Icaria illa audacia cereo alarum remigio confiſa urgente periculorum æſtu colliqueſcat, ac præceps detur. Si ergo vere quadrant ad curationem epilepſiæ pulveres famoſi antepileptici, quadrabunt ad nullam aliam quam ad ſympathicam, eamque ſolam. At norunt & inculcant Medici optimi negligendam hic eſſe epilepſiam, ſaltemque curandum morbum principem, quo ſublato, illa ſæpe fugatur feliciſſime, atque protinus. Utinam ſerio attenderent moderni Practici, iique præcipue, qui Stahlianæ hypotheſi addicti ſunt, (vix enim mente concipi valet, quomodo cum mechanicis principiis conciliari poſſit uſus nugaciſſimorum horum remediorum in curatione morbi comitialis) utinam illi curaturi epilepticos ſemper reſpicerent ad ea, quæ ſcripſit doctiſſimus cœteroquin ſectæ hujus conditor. (r) *Non poteſt certe fieri, quin homini non penitus in diem, ut ajunt Germani, & plane ſtupide credulo, ſuſpecta tandem evadat vulgatorum elogiorum fides, quibus tantus numerus variorum remediorum adverſus convulſiva & epileptica pathemata vulgo celebratur, ſi quotidianæ praxeos locupletiſſimam obſervationem animadvertat, quam raro atque difficulter convulſivi motus cicurentur a directo uſu laudatorum remediorum, niſi morbus ipſe cui accidunt ad minimum debito ordinatiore ſuo progreſſu impetrato, miteſcat: Epilepſiæ vero magis idiopathicæ, nedum jam habituales vel plane nihil ſolatii inde experiantur, vel non niſi ſub multiplicibus aliis tentaminibus & inventionibus ambigua penitus eventus ratione tandem aliquid remittant. Profecto vero in convulſionibus ſymptomaticis, niſi morbus quem comitantur miteſcat omnia hæc* (nempe ungulam alcis, pulverem Marchionis, ſpecificum cephalicum, unicornu verum, lapidem manati, cranium humanum &c. de quibus

 antea

(q) Hiſt. Morb. Vrat. Anno 1699. p 54.
(r) diſſ. de morbis in pag. 35. & 38.

antea locutus erat STAHLIVS) *& ſimilia fruſtranea eſſe effatim loquitur experientia. Sin morbo recte conſulatur etiam ſine eorum uſu illa evaneſcere eadem confirmat.* Certe ego rubore ſuffundendos ſubitaneo crederem in deliciis ſua ſpecifica antepileptica habentes Medicos, ſi ea, quæ ſtudioſe adſcripſi effata Stahliana legerent & relegerent, niſi omnem ſanam rationem abeſſe debere a Practico arbitrati fuerint, quod neminem eorum allaturum ſpero. Quotidianæ res eſt experientiæ, doloribus immenſis, inflammationibus, vulneribus, dentitioni, calculi tormentis, vermibus, humorum in primis viis acrimoniæ, aſſumptioni medicamentorum acrium, venenis aſſumptis, ſuppreſſionibus excretionum ſolennium, melancholiæ exanthematum retroceſſioni, arthritidi retropulſæ, ulcerum & fonticulorum præcipiti conſolidationi, pathematibus hyſtericis accedere epilepſiam, ſed DEVM immortalem! quis probabit unquam, ad hæc mala, a quibus pronaſci ſymptoma epilepticum ſupponimus, vel unum quadrare ex innumerabili pulverum antepilepticorum apparatu? Cum vero vel centies millies que uſurpentur, nihilominus contradicente licet cauſarum varietate, & ad motuum ſeorſim conſideratorum conſopitionem, ut abunde docui, nehilum faciant, vix aliud judicium ferre poterunt intelligentes de praxi triviali epilepſiæ quam morbum hunc ex diriſſimorum claſſe omnium leviſſime tractari, raroque epilepticum curari aliter quam ſua ſponte, ſi ſola ejusmodi remedia malo opponantur. Turpe ſaltem ſanationis recuperatæ gloriam, quæ ſoli ægro ejusque vitæ viribus debetur, negligentem otioſumque ſibi interdum tribuere Medicum. Supereſt adhuc præter hæreditariam, connatam, idiopathicam, ac cum aliis morbis complicatam epilepſiam, quam hactenus ſumus contuiti, alia hujus morbi facies, quæ ſoli laxiori ſolidorum compagi ſyſtematique nervoſo nimis mobili debetur. Hic ſane locum haberent decantati illi pulveres nervini ex ineptis terreis compoſiti, ſi in ipſis vere lateret virtus roborandi nervoſum genus, ut vulgo ſtatuunt Medici, qui tales in omnibus epilepticis curandis ſine diſcrimine uſurpant. At vero abſint illi omnes ad hunc finem inepti, ſique una illa indicatio de roborandis nervis formata ſufficit in Epilepſia, a ſolis ſpiritibus nimis mobilibus laxitateque & teneritudine

ner-

nervorum forte oriunda, qualis ſæpe hyſtericarum eſt, poſt exactam diætam, a qua multum omnino nervorum robori accedit, poſt uſum lactis, ſerique ejus egregie ſæpe hic proficicientem omnia nervina ſuperat cortex peruvianus & ferrum. Huc certe trahi debet adſertio Cl. WERLHOFII per ſufficientem corticis uſum epilepſiam ſæpe curabilem declarantis, eaque propter electuarium epilepticum *Fulleri* in *pharmacopœia extemporanea* deſcriptum merito collaudantis. (s) Cui jungi bene poterunt remedia malo hyſterico, ſive id convulſionibus partialibus, abdominis limitibus fere circumſcriptis abſolvatur, ſive ad univerſales magis, epilepticasque adſcendat in ſynopſi Medicinæ Alliana dicata, *decoctum nigrum* ex cortice peruviano & chalybe parandum, *fl. ſal. armon. martial. infuſum amarum* ex cortice cum aliis paratum, *vinum chalybeatum* BOERHAAVII ibidem laudatum ex limatura martis, cortice & rheo, *vinum chalybeatum Fulleri* &c. ſalva res eſt: cortex & ferrum in caſu idoneo porrecta ſumma ſunt, & generoſa remedia antepileptica. His ſæpe ſolis, ſine his ſæpe nunquam epilepſia ſanabilis ſanatur.

§. 5.

Publice profeſſus fuit Cl. STAHLIVS (t) iis quibus otium eſt, ſed doctum, non indignam fore occupationem inquirere accuratius, quibus occaſionibus ineptæ & valde ſæpe ridiculæ traditiones de remediis antepilepticis in mundum primo irrumpere potuerint, ut tandem monerentur eorum Patroni, qui certe monendi ſunt, quibus fundamentis innitantur, ſuamque & miſerorum ægrotantium ſpem ſuſtentent. Mihi equidem ut oneroſum hunc laborem ſuſcipiam haud permittit dicendorum quæ ſuperſunt ratio, excreſcenſque in tædia forte lectorum præter ſpem meam operis hujus moles. Interim brevibus indicare fontes animus eſt, ex quibus craſſiſſimos illos & nemini medentum condonandos errores, qui alienis ab omni medicinali ſcientia vix forte condonari poſſunt, propullulaſſe autumo. Omni tempore certe extiterunt homines bardi, ſtupidi, otioſi, judicioque egeni, omnique etiam tempore fuere tales, qui nihilominus eruditorum virorum ſpecie

Fontes quidam detecti, ex quibus profluxit uſus ineptus terreorum in epilepſia.

(s) Obſ. de febribus p. 16. in notis.
(t) diſſert. de morb. infant. p. 36. 37.

cie imponere ignaris utcunque valentes, officia publica, dignitates, opes, ſibi compararunt. Ac hujus farinæ Medicos ſat multos omnis annus, locus omnis adſpexit, hisque ſolis ſi non totus, ſaltem magnus apparatus traditionum fabellarumque de remediis antepilepticis debetur, per damnoſa autoritatis præjudicia paſſim deinde latius diſſeminatarum, & ad poſteros tranſmiſſarum, quæ apud pueros ne quidem fidem queant impetrare. Notum in vulgus eſt ungulæ alcis precariam vim antepilepticam deberi ſtolidæ & a multis annis per manus traditæ narratiunculæ, alcen eſſe animal epilepſiæ obnoxium & ungula aurem ſcalpendo diſſolvere paroxyſmum. De hoc interea alcis morbo hiſtoriæ naturalis ac Zoologiæ ſcriptores, iis exceptis, qui diu pro mendacibus in literato orbe declarati ſunt, tacent penitus, ac notabile eſt judicium, qui integrum tractatum de alce edidit WIGANDI (u) ita ſcribentis: *Alce admodum validum & ſanum eſt animal, mirumque quod homines imperiti ejusmodi nugas auſi fuerunt comminiſci & in vulgus ſcribere, hinc enim fit, ut unus ſtultus gignat alios ſtultos decem.* Repudiavere eapropter vim ungulæ alcis contra morbum comitialem viri docti & cordati, quos inter JUNCKERUS (w) plus fumi ipſi ineſſe dicit quam efficaciæ, declaravitque vanitatem hujus ungulæ ad depellendam epilepſiam graphice doctiſſimus noſter HELWIGIUS (x) at vero his omnibus non obſtantibus ad hodiernum diem raro pulvis præſcribitur epilepticis, qui ungulam alcis non reciperet, atque in noviſſimis ſpecificis antepilepticis fideliter illa cum aliis ejusdem furfuris continetur; Adeo quidem nos Medici hortante nemine, cogente nemine, ſed ſponte, nec præcipites etiam, ſed deliberato conſilio mancipia evadimus anilium ſuperſtitionum, cumque ſana ratione inſanimus, ſpecificis remediis contra epidemicam hanc in tribu noſtra inſaniam egentiſſimi. Scire averem tandem, quid noſtrum aliquis reſponſurus erat quærenti hujus rei cauſam? Citavit LANGIUS verba allegata Wigandi, ſed iis immediate ſubjunxit hæc quæ ſequuntur: *Nihilominus adhuc hodie ungu-* la

(u) p. 43.
(w) in therab. gen.
(x) in hiſt. M. Vrat. 1701. p. 43.

la alcis remediis antepilepticis & antapoplecticis recte annumeratur, etiamſi fabulam ſapiat Epilepſia alcis & cura. (*y*) De cauſa cur annumeretur nil legitur. Eheu! quot obvenirent inquirenti ſerius Medici Langiani! adhibentes ungulam, ſed uſus cauſam tacentes, imo vero ipſi neſcientes. Quæ de abſurdo uſu alcis ungulæ elocutus ſum apte ſatis transferre poſſum ad cranium humanum, oſſaque ejus triangularia, in quibus nonnulli præcipuam ſedem virtutis antepilepticæ ut in centro quodam collocant, veluti CARTESIVS ſedem animæ in glandula pineali. Nemini, puto, obſcurum erit, hanc fabulam ortum ſuum obtinuiſſe ex ſola inſulſa de ſignaturis rerum opinione, cujus præco nugaciſſimus extitit OSWALDVS CROLLIVS, qui cranium humanum fœmineum pro fœmina epileptica, & maſculum pro mare lepide ſimul deſiderat. Mirandum interea Danielem BECKERVM in tractatu quem inſcribit *Medicus Microcosmus*, eximias dotes cranio humano tribuere, viroſque eruditos ſat multos nugis ejusmodi ſubſcribere, & toto die cranium humanum epilepticis devorandum exhibere. Ego quidem obſtupui legens HILDANI, viri in utraque Medicina verſatiſſimi *epiſtolam* (*z*) *ad Kiifferum*, ibique offendens verba: *Mitto oſſa aliquot triangularia, quæ ad epilepſiam depellendam ſingularem vim habere expertus ſum, ante ſexennium ultro 100 horum oſſium habui.* Vellem nimirum audire, quid cranium humanum peculiare habeat præ oſſibus reliquis humanis ac præ oſſibus boum, equorum ac animalium quorumcunque. Nemo unquam verum dari inter rationalium & irrationalium animalium oſſa diſcrimen demonſtrabit, prorſus ergo irrationale eſt, immiſcere gratis omnibus pulveribus antepilepticis cranium humanum, quibus nihil inde energiæ accedit. Plura ſupereſſent de fatuis fabulis & traditionibus dicenda, ſed miſſa illa omnia faciam, accedamque potius ad alium fontem detegendum, ex quo terreſtrium antepilepticorum uſus creberrimus emanavit. Accuſare hic iterum jure licebit ſæpius a me iam accuſatam pathologiam acidam, quæ ut omnes morbos ad communem cauſam acidum revocavit, ita & epile-

 pſiam

(*y*) Mat. med. oper. p. 436.
(*z*) Epiſtolarum ad amicos centur. una epiſt. 65.

pſiam ab eo deduxit, tumque prona conſequentia antacida ceu ſumma antepileptica ebuccinavit. Mirum certe eſt non vereri aſſerere cl. SYLVIVM: (*a*) *Veram & adæquatam omnis epilepſiæ cauſam eſſe ſpiritum acidum volatilem, quacunque demum in parte generatum coacervatumque*, diſerteque ſcribere ETTMULLERVM: (*b*) *In epilepſia ex cauſis internis frequentiſſimam eſſe ſolere acidum vitioſum nervis inimiciſſimum, ſed volatile hinc inde penetrans.* Huic autem præconceptæ hypotheſi pathologicæ neceſſario reſpondere debebat therapia. En hujus rei luculentiſſima ſpecimina ex Ettmüllerianis operibus petita: *Cum Epilepſia & convulſiones, quæ in ſpecie ut morbi curantur & chronicæ ſunt, in genere fere ex hypochondriaco aut ſcorbutico malo fluant, utut ab hoc minus affligi videantur ægri, adeoque utplurimum originem ducant ab acido vitioſo plus minus volatili, & hujus incunabula fere ſemper in aut circa primas vias lateant, ob id in genere acidi deſtruendi & primarum viarum evacuandarum habenda eſt ratio.* (*c*) Porro: *Specifica antepileptica ſunt varia. In hoc tamen conveniunt, quod vel virtute alcalina deſtruente acidum, vel virtute ſulphurea temperante acidum & figente ſpiritus operentur.* (*d*) Videte Lectores! quantopere tot celebrium virorum hypotheſis cerebrina de acido morboſo nocuerit rationali therapiæ, quot illa in hanc intruſerit errores decumanos! Repugnat interim ſobria morborum ætiologia lubricæ illi opinioni, epilepſiam fere ſemper produci ab acido. Sunt nempe cauſæ aliæ infinitæ, quæ eam ſæpiſſime cient ſine nota aciditatis ulla. Ipſe vero clariſſ. ETTMULLERVS largitur: *Quando marina, teſtacea, oſſea, ut ungula alcis, unicornu verum, cryſtallus, ſmaragdus, lapis ceraunius, & ſimilia pro cura epilepſiæ laudantur, hæc non niſi abſorbendo acidum operari poſſe,* (*e*) quodſi ergo ſæpiſſime in epilepticis nullum acidum abſorbendum adeſt, omnino erit ineptum & abſurdum dare remedia, quæ ſoli acido corrigendo ſunt paria, nihilque præterea aliud præſtare valent, eapropter

(*a*) Prax. med. lib. II. c. 26. §. 91.
(*b*) Oper. Tom. II. p. 801.
(*c*) Oper. Tom. II. p. 811.
(*d*) ibid.
(*e*) Ettmüll. Tom. II. p. 811.

pter alias cauſas epilepſiæ ne quidem attingunt, imo vero ineptius adhuc & abſurdius ea inſignire ſpecificorum elogio. Sole itaque meridiano clarior ſic redditur inſufficientia & inertia pulverum antepilepticorum ſine exceptione omnium, cum omnes ex ejusmodi terreſtribus conflentur. Illud quidem caſta & prudens experientia confirmat, infantum lacte materno veſcentium epilepticas convulſiones largo & repetito abſorbentium terreorum uſu, ſi curabiles fuerint, felicius multo quam aliis remediis omnibus poſſe perſanari; Sæpeque inde factum eſt ſine dubio, ut viſis bonis effectubus abſorbentium in infantum convulſionibus ſtatim Medici in miſerum illud præjudicium ruerent, abſorbentia in genere & in ſubjectis ſine exceptione omnibus, eſſe antepileptica & anticonvulſiva remedia. Sed perpendendum ipſis erat, in infantibus vere ſubeſſe acidam acrimoniam, nervos inteſtinales laceſſentem, quæ in aliis ſubjectis fruſtra accuſaretur, fruſtraque abſorbentibus impugnaretur, turpiterque adeo & ægros & medentes falleret. Unum adhuc conſiderandum ſupereſt, quod, niſi omnia me fallunt, multum effecit, ut civitate donaretur inter Medicos communis error, terrea & pollines partium durarum animalium præcipue pollere virtute convulſivis motibus adverſa. Experientia ſcilicet comprobaverat, ſubinde volatilibus remediis conſopiri poſſe convulſiones peſſimas, neque ab hac ſententia præſtantiſſimi modernorum Medicorum abhorrent, (*f*) etſi non negandum eſt

 ea

(*f*) Notum eſt omnibus in lectione Practicorum operum verſatis, eximiis elogiis affici ſalia volatilia in ſanandis convulſionibus & Epilepſia. Multum favent aliqui cum Lentilio (in iatroma: p. 212. & 616.) & Helwigio noſtro (in Hiſt. Morb. Vr. A. 1702. p. 129.) *liquori C. C. ſuccin.* Sunt qui cum Helmontio *ſpiritum ſanguinis humani* ex homine violenta morte perempto inter ſpecifica ſua remedia antepileptica reſervant. Placet aliis cum Godhardo Anglo *ſpiritus ſerici*, nonnulli huic *ſpiritum ungulæ alcis, eboris, ſecundinæ humanæ* præferunt. Docet vero optime cultior Chemia, parum vel nil diſcriminis reperiri unquam inter producta ex diverſis animalibus, aut ex diverſis partibus ſive duræ ſive molles fuerint, animalis unius. De qua re videndus Boerhaavius (chem. Tom. II. p. 314.) Neque intelligo prærogativas olei animalis Dippelii, de quo tam multa hactenus inter Medicos ſcripta ſunt, præ Spiritu C. C. ſerici, eboris ungulæ equinæ. Parum certe eapropter referet quæcunque ex his eligantur, ſi morbus volatilia indicat, & permittit; Sed altioris indaginis eſt, an permittantur vere atque indicentur. Si probe perpenderent Medici, nil ontinere ſalia volatilia de illis corporibus, ex quibus parata ſunt, multæ

ſane

ea non raro minus dextre adhibita mala hæc intendere. Cum igitur ſal volatile toties in partibus duris animalium ſupponatur a viris cœteroquin doctiſſimis, mirum non eſt pollines earum partium ex hoc fundamento antepilepticos fuiſſe habitos; ita & hic certiſſimum eſt ex uno abſurdo ſequi infinita.

§. 6.

Vana convulſionum partialium medela per terreſtria.

Sapientibus, ni fallor, ſufficient quæ de vanitate remediorum antepilepticorum hactenus propoſui, nilque amplius commemorandum videtur ſupereſſe. Quando ergo falſiſſimum eſt, terrea vel tantillum boni in epilepſia & convulſionibus valere efficere, nihil etiam in convulſionibus particularibus malo hyſterico, tuſſi, ſingultu, abortu, palpitatione cordis &c. efficient, licet toto die his malis opponantur a Practicis. Extat *in diſpenſat. Viennenſi pulvis ad palpitationem cordis* ex antimonio diaphoretico, joviali, unicornu vero, cinnabari, margaritis præparatis, corallis, ligno aloës, coccinella & elæoſaccharo citri, aliusque *in diſpenſat. Argentoratenſi* ex matre perl. cinnab. & oleo cinam. rurſumque alius in *Wedelii libro de compoſ. medic. extemporanea*, ex ſpec. cord. temp. pulvere abſorbente & fragm. 5. lap. pretioſ. Sed ſatis ego certus ſum, Medicos judicio pollentes neutiquam eo deduci, ſeſe paſſuros, ut palpitationi cordis mederi hos pulveres vel ſuſpicentur, multo minus pro certo habeant. Vos vero levis armaturæ milites, qui morbos etiam graves ludendo & quaſi aliud agendo impugnare ſoletis dicite, amabo, quid in his remediis omnibus contra palpitationem cordis? Sane ſive ego ſanguinis abundantiam & ſpiſſitudinem, ſive humorum acrimoniam, ſive hyſtericos ſpaſmos, ſive polypum, ſive animi pathemata ſigillatim contempler, a quibus omni-

ſane nugæ proſcriberentur hactenus reſervatæ in arte. Rectiſſime pronunciavit ETTMVLLERVS (in colleg. pharmac. in Ludov. p. 860.) Quæcunque ſalia volatilia ſive ſanguinis humani, ſive cranii ejus ſive ſanguinis bubuli revera ſunt ejusdem naturæ & coincidunt. Nec minus appoſite dixit PITCARNIVS (in element. Med. lib. II c. 5.) *Quæ ſcribunt Medici de viribus ſpecialibus ex ſanguine humano ejusque ſpiritu præ alio quovis urinoſo ſpiritu adverſus epilepſiam, ſunt hominum credulorum ſomnia; adeoque talibus remediis non debet confidi magis quam aliis ſpiritibus volatilibus.* Memori velim pectore hæc teneant, ſerioque trutinent Practici, qui aliquid horum remediorum ſuum faciunt ſpecificum antepilepticum, ac præ reliquis gratis extollunt.

omnibus tam ſæpe oboritur cordis palpitatio, longe alia deſiderari facile convincor. Quæ allegantur a Practicis rationes, cur huic affectui medelam promittant pollines ex duris animalium partibus, terreaque alia & ſubinde gemmata; ita hercle! comparatæ ſunt, ut nullum aſſenſum inveniant apud æquos rerum arbitros, cum non niſi fundamentis lubricis & ridiculis nitantur. Scripſit cl. ETTMULLERVS, ſemper in palpitatione cordis reflexum eſſe faciendum ratione peccantis acidi, tam in primis viis, quam in maſſa ſanguinea fermentationem turbantis. Hinc tria remediorum genera exhibenda, martialia, terrea abſorbentia, & ſalia volatilia. (*g*) Quis non videt hæc omnia redolere præconceptam illam hypotheſin de acido univerſali morborum cauſa, qua nimis imbutus eſt vir clariſſimus? Putavit dein cel. LANGIVS (*h*) in palpitatione a ſpaſmis per conſenſum utramque curæ paginam abſolvere antiſpaſmodica, ungulam alcis, dentem equi marini, cranium humanum, unicornu, lapidem manati, cornu rhinocerotis, ſuccinum, cinnabarim. Nonne autem ſupra evictum eſt, perperam hæc omnia pro antiſpaſmodicis haberi? Commendavit tandem cl. JVNCKERVS (*i*) ad palpitationem cordis, ex animi pathematibus ortam, hyacinthum veram, quæ placando trepidantem naturam ad pavidos tales affectus notabilem efficaciam præſtare ab eo dicitur, non minus ac Smaragdus vera ad gr. j. vel ij. Sed quid ſibi vult trepidans natura? Quis concipiet operationem hyacinthi & Smaragdi in ipſam animam? quis definiet, qualem mutationem in corpore pariturum ſit remedium mere terreſtre grani unius vel duorum pondere exhibitum? (*k*) Ita certe claudicant demonſtratio-

(*g*) Oper. Tom. II. p. 384.

(*h*) diſſert. de palpitatione cordis operibus annexa.

(*i*) in conſpectu Med. Tab. 32. p. 282.

(*k*) Neſcio an ea, quæ alio loco de hac materia diſſerit Junckerus, eam melius explicent? *Etſi*, inquit, *modus agendi obſcurior eſt, tamen pleræque gemmæ, præcipue hyacinthus & Smaragdus, teneras corporis membranas nonnihil ſtringunt, adeoque vim ſubtilem tonicam exerunt, ut attenta docet experientia. Exinde graviores commotiones placant & trepidantem naturam paulum confirmare videntur, adeoque conferunt in palpitatione cordis, terrore, pavoribus infantum, moliminibus abortivis* (Therap. gen. Tab IV. p. 138.) Ego quidem, quod ingenue confiteor, ſtringendo graviores commotiones placari poſſe haud capio.

ſtrationes ſine exceptione omnes, quæ adſtruere vires terreorum in morbis convulſivis Medicis nonnullis videntur. Plures hic coacervare, eamque vanitatem commonſtrare tædet.

CAPVT XI.

In vires terreorum roborantes tonicas & adſtringentes, quousque valeant, inquirit.

§. I.

Terrea pro tonicis habentur a Medicis.

ILlud potius, dum alia iterum facies terreſtrium pharmacorum oculis meis obverſatur, agere conſultum duxerim, ut novum pandam dictionis argumentum. Laudant quoque Practici & extollunt terrea ceu eximia tonica roborantia ac adſtringentia remedia, laxitati debilitatique fibrarum noſtri corporis dicata. Ferax inde morborum ſeges, ſi ergo quæ præſtare dicuntur, vere præſtant, erunt certe polychreſta remedia, plauſibusque & encomiis digniſſima. Paucis igitur diſpiciamus! Diſtinguit cl. WEDELIVS (*l*) inter adſtringentia primo, ſecundo, et tertio gradu. Ad primum refert terrea abſorbentia, unicornu foſſile, corallia, cretam, bezoardicum minerale, ſpodium; Ad ſecundum terras ſigillatas omnes, bolum armenam &c. Tertia claſſis ad nos jam non ſpectat. Refert JVNCKERVS *in therapia ſua generali tab. 16. p. 431.* ad adſtringentium familiam C. C. uſt. ebur uſt. dentem hippopot. bolum, corallia, gemmas, hyacinthum, ſmaragdum, terras ſigillatas &c. Deinde etiam cel. HOFFMANNVS roborantibus accenſet ea, quæ fixiori terreo ac tenuiori argillaceo principio agunt C. C. præparat. unicornu animale, ungulam alcis, dentem hippopot. unicornu foſſile, terras ſigillatas, bolos, cryſtallum, gemmas præparatas omnes, lapidem bezoar, pulveres omnes bezoardicos & cordiales. (*n*) Plurima horum ſuo catalogo adſtringentium adſcripſit recentior ſelectus materiæ medicæ conditor JANCKIVS; ac qui recentiſſime de hac materia ſcripſit TEICHMEYERVS, ſuum etiam locum in ſerie adſtrin-

(*l*) Amœn. lib. I. ſect. II. cap. 2.

(*m*) differt. de mechanica operandi ratione remediorum, §. 7.

adſtringentium terreis remediis conceſſit. Omnes tandem nominare deberem medicinales materiei ſcriptores; Si omnes præcones terreorum roborandi & adſtringendi fine exhibendarum commemorare neceſſum foret. Vix puto in immenſo illo Practicorum librorum apparatu vel unum exſtiturum, qui formulas terreorum adſtringentium & roborantium variis intentionibus ſat multis in morbis non præſcriberet, & legentibus commendaret. Ita hæc omnia inter Medicos rata habita ſunt, ut nemo contraniti audeat, ſed plurimi veritatem practicam habent omni exceptione majorem, terrea roborare, atque adſtringere ubicunque robore & adſtrictione fibrarum opus. Nullis vero inter hæc terreſtria pharmaca magis, nullis antiquius adſcripta eſt virtus roborans, ſiccans, adſtringens, quam *terris* ita dictis *ſigillatis*, quæ vetuſtiſſimis jam temporibus a Medentibus his aliisque nominibus magni æſtimatæ ſunt, ut adeo bene multis e compoſitorum remediorum cenſu, invita licet ſæpe minerva, fuerint admiſtæ. Videas etiam Medicos ſat multos, qui vires remedii ex pretio metiuntur, *gemmisque* eapropter eximiam tonicam & adſtringentem efficaciam adſignant, parca etiam doſi adſumpta ſeſe præclare exerentem. *Gemmata*, inquit, cl. JVNCKERVS, *particulis terreſtribus ſubtilioribus partium tonum ſtringendo roborant, & motus remiſſos excitant.* (*n*) Illud etiam accuratior paulo conſideratio ſtructuræ fibrarum, ex quibus omne corpus animale coaluit, confirmare videtur, non illi repugnare dogma de roborante terreorum & adſtrictoria virtute, ſed e contra eximie competere. Prima videlicet elementa corporis humani, in quæ fibræ ejus ultima arte reſolvi queunt, indagare laborantibus innoteſcit, ea eſſe terreſtria; ſi enim quamcunque partem corporis humani ſummo igne combuſſeris, ſemper remanet terra non amplius deſtruenda. Ac ex eodem ſublimiori examine clarum redditur, fibrillas, & quæ ex his componuntur, fibras conſtare particulis minutiſſimis terreſtribus, intercedente glutinoſa ſeu aqueooleoſa materie inter ſe connexis. Quo magis vero gluten hoc elementa & fibrillas inter ſe connectens vi tendenti flectentique cedit, eo fibra inde compoſita eſt debilior, quo magis reſiſtit, eo eſt for-

(*n*) therap. gen. tab. 18. pag. 470.

fortior. Per fibram nempe debilem eam intelligo, in qua fibrillarum & elementorum cohæſio tam parva, ut illa cohæſio a fluidi in corpore motu facile queat ſuperari. Cum igitur debilis fibra ita in relatione motus fluidorum conſiderata in corpore humano ſemper ſimul ſit ægra, ſemper etiam indicabit remedia roborantia. Hæc autem ita comparata eſſe debebunt ſine dubio, ut vel moleculas ſuppeditent reſarciendis detritis continuo motu elementis ſimiles, vel efficiant, ut gluten eas nectens ſatis reſiſtat, nec vi tendenti nimis cedat. Jam autem ad utrumque hoc momentum obtinendum pulcherrime facere videntur terrea remedia, nam primo præ omnibus aliis apta apparent elementis ſuppeditandis, deinde nimiam glutinis aquoſitatem imbibendo videntur efficere; ut fibra laxa & debilis cohærentibus nunc arctius inter ſe elementis felicius ſeſe reſtituat, nec ſui extenſionem nimiam permittat. Favent ita hiſce conſiderationibus ſana ratiocinia, ſed calculum etiam ſenſuum externorum uſus illis adjicit. Quodſi nempe pollinem quemcunque terreſtrem abſorbentem linguæ impoſueris, erit illa ſtatim judex haud fallax, imbibi ejus humidum, villosque contrahi & conſtringi, ac quo magis terra illa de marte ſimul participat, eo erit humidi abſumtio villorumque conſtrictio eminentior. Conſtat propterea exinde eo luculentius, ut terreis omnibus, ita eo magis bolis, terrisque ſigillatis omnibus, quæ cuncta ab ignobilioribus habitis ad tokayenſem usque calcinatæ rubicundum colorem induunt & martiales ita particulas produnt, (o) non poſſe denegari vires tonicas, roborantes, & adſtrictorias in ſolida corporis humani. Hæc quæ ita ediſſerui in genere conſiderata eſſe veriſſima nemo puto facile negaverit, quanquam vero ipſe ego ea lubens agnoſcam & admittam, multum tamen abeſt, ut ſimul falſiſſimis concluſionibus ſtatim ſubſcribam, quas ex ſuppoſita roborante & adſtrictoria virtute terreorum pharmacorum in ſolida noſtra redundante confidenter ſatis, ſed præcipites nimis texere hactenus ſoliti ſunt Medici. Clamant illi fere ad unum omnes, ſtante vi adſtringente terreſtrium, ea vaſa totius corporis nimis patula conſtringere, effuſiones præternatu-

(o) Vid. Junck. therap. Tab. IV. pag. 137. Stahl. mat. med. Germ. pag. 309. Fiſcher de terra medicinali tokayenſi pag. 58.

naturales compeſcere, fluxionibusque adeo omnibus, ut vocant, curandis inſervire: quaſi Medici terreis utentis poteſtati arbitriove relictum ſit, illas his moderari, refrænare, atque ſiſtere penitus. Operæ pretium futurum arbitror, ſi aliquot hujus rei ſpecimina in medium afferantur. Dixit primus materiæ medicæ ſcriptor, DIOSCORIDES: *Omnem terram ad medendi uſum receptam ſummam & primam vim habere refrigerandi, meatusque obducendi & occludendi.* (p) Notum dein etiam eſſe arbitror, quid antiquiſſimo jam tempore de *boli Armenæ* virtutibus ſtatuerit GALENVS, cum enim ipſi ineſſe vim ſumme deſiccantem crederet, ſtatim prona conſequentia eam ad alvi profluvia, dyſenterias, ad ſanguinis exſpuitiones, ad oris ulcera putrida, ad catarrhos multum facere aſſeveravit. Eadem argumentandi ratione ſeductus deinde poſt multos alios SCHROEDERVS, *cryſtallus*, inquit, *facultatis eſt adſtrictoriæ, adeoque confert dyſenteriæ, diarrhoeæ, fluxui uterino* (q); *lapis hæmatites refrigerat, exſiccat, adſtringit, igitur convenit ulceribus pulmonum, oculis lacbrymantibus, ſanguinis ſputo.* (r) Haud aliter poſtea ratiocinatus eſt HOFFMANNVS, ita de bolo armena ſcribens: *Bolus armena & Toccavienſis facultatem habet admodum exſiccantem & conſolidantem, adſtringit, roborat, hinc uſus ejus eſt ſaluberrimus in fluxu ſedando & humore tenui inſpiſſando, convenit etiam in omni fluxu alvino, ut dyſenteria. Catarrhos ſalſos ad pulmones delabentes incraſſat, utilis eſt in hæmoptoë, hæmorrhagia narium.* (s) Porro *unicornu foſſile alvi profluvia, dyſenteriam, uteri hæmorrhagias, menſtrua alba, hæmorrhoides, gonorrhœam ſiſtit.* (t)

§. 2.

Valde ego doleo, recentiores Medicos ad noſtra uſque tempora ab ejuscemodi traditionibus ne latum quidem unguem receſſiſſe, ſed eosdem ceciniſſe ſemper, & canere adhuc modos, uti eos a Majoribus acceperant. Adſtringit terra omnis villos noſtri corporis, & iisdem adſtrictis orificia vaſorum adducit & anguſtio- *Sed valde hæc vis eorum tonica limitanda.*

 rem

(p) de mat. med. lib. V. c. 94.
(q) libr. III. c. 8.
(r) ibid.
(s) in clave pag. 184.
(t) in clave pag. 191.

rem eorum diametrum reddit, ita eſt. Sed ſana ratio dictat, opus eſſe, ut inter vas adſtringendum & remedium adſtringens immediatus detur contactus. Non ergo ſufficit clamare gratis, terreſtre pharmacum occludere vaſa in aliqua corporis parte, ſed penſitandum eſt, an ipſi pharmaco ad hanc partem vere liber detur aditus, an potius e contra tranſitum pharmaci ad hanc partem momentoſa impedimenta caveant. Quando igitur is directioni viarum, per quas decurrendum erat, remedio adſtringenti penitus repugnat, nec mente concipi poteſt, qua ratione per fabricam corporis & nexum partium inter ſe ſit poſſibilis; multæ vires ſponte opinor concident, quæ terreis remediis ceu adſtringentibus hactenus fuere aſſignatæ. Me quidem quod attinet, in ea ſum ſententia, medicamenta adſtringentia intus aſſumta ad unum omnia ſaltem agere in primas vias, fibrasque ventriculi & inteſtinorum debilitatas roborare, ut boni chyli elaborationi melius certiusve ſufficiant. Hunc vero fœtum ejusmodi particulis, quæ & elementa fibrarum detrita inſtaurent, & gelatinam nectentem elementa ſubminiſtrent deinceps robur vaſis & viſceribus elargiri credo. Nam ſi adſtringere ora vaſorum adſtringentia remedia ponamus, nonne ea inſita lege qua agunt oſcula lacteorum in inteſtinorum alveo ſtatim adſtringent? Nonne ita ſibimet ipſis occludent eas vias, per quas neceſſario decurrere debebant antequam ad eam deferentur partem, cui præcipue deſtinabatur a Medico adſtrictionis effectus? Sane, ſi quid video, neutiquam hic conceptus fallit, ſed omni modo rationi videtur conſentaneus, valetque de omnibus terreis & adſtringentibus, quod de auſteris, quibus antea terrea adſtringentia adjunxerat, docte pronunciavit cl. BOERHAAVIVS, *ea in primas vias nimis in interiores difficulter agere.* (u) Atque ſi ullus adſtrictorius effectus in partibus a ventriculo & inteſtinis longius remotis ab ingeſto remedio poſſibilis; adſtricturæ in eo moleculæ ſint ſubtiliſſimæ valde ſolutæ vehiculoque cuidam intime admiſtæ, quod ea ad interiora corporis vehat atque comitetur, ut tenues illæ martiales particulæ in omni puncto aquarum quarundam mineralium hærentes; aliter certe fruſtra ſperabi-

(u) Inſtitut. 1109.

rabitur adſtrictio penetratura altius quam in officinas primæ coctionis. Ruminent velim hæc mente ſobria Medici, qui variis terreſtribus ſimplicibus, aut compoſitis ſatis ſæpe ridicule pulveribus, adſtrictionem & corroborationem partium, a primis viis longiſſime diſſitarum, belle intendunt, nunquam autem aſſequuntur. Certe qui curatius ad hæc omnia attendere & volunt & valent, ultro ſtatim profitebuntur, ineptiſſime cum ſpeciebus de hyacintho a noſtratibus frequentiſſime præſcribi ſolitis, infinitos alios pulveres tonicos & adſtringentes ad ejusmodi affectus arcendos porrigi, quorum ſedem illi ne quidem attingunt, dum in plicis inteſtinalibus hærent, vel omnem canalem alimentorum longo itinere emenſi, ano iterum cum fecibus excluduntur. Nil dicam & in illis morbis qui in ventriculi cavo & inteſtinorum arundine reſident, ſubinde ſatis ambiguum eſſe & noxium haud raro adſtringentium affectum, quando cauſam, quæ eliminanda erat, figunt ibidem & detinent, lupumque ita ſtabulo includunt, quo eo diutius ſæviat. Immenſa ſuppeteret caſuum farrago quibus dicta poſſent illuſtrari, ut conſtaret luculentiſſime, adſtringentia, ut audiunt, aut nocere ſæpius, aut, ſi non noceant, nil ſaltem prodeſſe, quicquid demum de eorum uſu Practici colloquantur. Sed nimis ampla & tædioſa nimis ita naſceretur de hoc argumento diſſertatio, quare, ne Lectoribus gravis ſim, attamen interea clare commonſtrem, quam parum fidendum ſit adſtringentibus, ſeligam duos morbos dyſenteriam & abortum, quorum utrique adſtringentia a Practicis communi conſenſu cumulatiſſime opponuntur, inquiramque brevibus, an prudenter, an perperam uſurpentur in medelam eorundem? In priori ſaltem ad partem affectam his remediis liber datur acceſſus, in poſteriori mente ne quidem is concipitur. Quid ergo de uſu adſtringentium in utroque ſtatuendum ſit, perpendamus ſeorſim.

§. 3.

Terras omnes dixere veteres frigidas & ſiccas, quare antiquiſſimis jam temporibus uſurpatæ ſunt ad ſiſtendas fluxiones, ac inter eas ad alvinas præcipue. Poteram integrum volumen conſcribere de illis encomiis, quæ ſolis terris ſigillatis, tanquam reme- *Tonica & adſtringens vis terreorum in dyſenteria laudata.*

 diis

diis ad ſiſtendas omnes excretiones alvinas, ſpeciatimque dyſenterias prorſus eximiis, decreta olim ſunt a viris doctrina & praxi celebribus. Actum ita cum terris ſigillatis quoque recentiori adhuc ævo. *Quamvis omnes laudes* ſcribit cl. NENTERUS (*x*) *terrarum ſigillatarum experientiæ non reſpondeant, ſunt tamen nihilominus remedium non contemnendum in diarrhœa & dyſenteria.* Ecce argumentum haud fallax, quam difficile ſemper viſum fuerit Medicis ab antiquis opinionibus de remediorum viribus recedere. Atque eadem ratione ſeſe geſſit ETTMULLERUS, (*y*) qui ſigillatas terras in dyſenteria epidemica egregie prodeſſe notavit. Et inter recentiſſimos FISCHERUS terræ tokayenſi intactas reliquit vires antidyſentericas, utut uſum cautione indigere monuerit. (*z*) Plura dicam. Fuere haud pauci, qui inter terreſtria remedia ſpecifica antidyſenterica invenienda eſſe opinati ſunt, *Smaragdum*, minimum ſpecifice mederi dyſenteriæ edixit cl. HOFFMANNUS in clave. (*a*) De *coralliis*, quas ob ipſam craſin terreſtrem, quia abſorbent & adſtringunt in fluxu cholerico, dyſenteria & diarrhœa extollit JUNCKERUS; (*b*) de *cryſtallo montano*, aliisque terreis lubens taceo. Facile vero nunc intelligitur, ex quibus fontibus dimanaverit enormis ille pulverum antedyſentericorum apparatus; præſtabat quippe in unam molem cogere ſpecifica omnia & duodecuplo forte præſtantiorem tum ſperare effectum, quam ſimplici remedio morbum aggredi. Referri huc debet *pulvis dyſentericus diſpenſ. Vienn.* ex ſanguine draconis, lap. hæmat. corall. rubr. terra ſigillata, ſem. portulac. ſem. plantag. rad. anthor. torment. contrajerv. flor. martis, præparatis, fl. balauſt. unic. foſſili & nuciſta compoſitus. Nec reticendus *pulvis dyſentericus diſp. Brandenb. recentiſſimi* ex rad. acori, biſtort. torment. ſem. acetoſ. plantag. lapathi acuti, nuce moſchata, bolo armena, C. C. uſto, corall. ſangu. dracon. terra ſigill. croc. mart. priap. cerv. conflatus. Citandus etiam *pulvis dyſentericus Pharmacop. Auguſt.* quem mand.

luc.

(*x*) in Comment. in Ludov. pharmac. p. 84.

(*y*) Tom. I. Oper p. 711.

(*z*) de terra medicinali tokayenſi.

(*a*) p. 156.

(*b*) therap. gen. Tab. XV. p. 486.

luc. piſc. priap. cerv. cort. granat. C. C. uſt. bol. armen. & ſem. lapath. ingrediuntur. Silentio prætereo *pulverem dyſentericum Timæi*, *Klapperbeinii*, aliorumque; ſatis enim ex his innoteſcere arbitror nimis adhuc inhærere Medicos & collegia integra Medicorum præjudicatæ opinioni dyſenteriam indicare adſtringentia, aliter enim in diſpenſatoriis recentiſſimis ejusmodi compoſiti pulveres vix legerentur; nec qui recenti ævo practicos libros edidere, terrea adſtringentia in dyſenteriæ medela commendarent. Nobis quidem Vratislavienſibus vix dimittitur æger dyſentericus, qui *ſpecies de hyacintho* non deguſtaverit, quas maximam partem terreis abſorbentibus & adſtringentibus gemmisque conſtare in vulgus notum eſt. Omnia vero hactenus propoſita aut his ſimilia remedia an vere uſum præſtent in ſanandis dyſenteriis optime dijudicabimus, ubi pauliſper verum ipſius ingenium conſideraverimus.

§. 4.

In omni dyſenteria adeſſe acre ſtimulans, neminem facile negaturum ſperaverim. Parum vero curo, an hic ſtimulus generatus fuerit in corpore, an in illud cum aëre, fructubus horæis, aut alia quæcunque ratione illatus. Cum igitur univerſus inteſtinorum canalis fibris nervoſis admodum ſenſibilibus ſit ditiſſimus, poſito ſtimulo fibræ illæ irritentur, lancinentur, ſtringantur, convellantur vel & erodantur, & in continuate ſua ſolvantur aut vulnerentur neceſſum eſt; ita enim motuum leges jubent. His villorum inteſtinalium conditionibus poſitis, primo contenta inteſtinorum magna vi ejicientur, poſtea mucus glandularum, cruſtæ vevilloſæ, non ſecus ac bilis e ductibus ſuis copioſius exprimatur. Porro continuante actione ſtimuli ſtricturas & irritationes perpetuas producentis, liquida copioſius advocabuntur, hinc vaſa nimis diſtenta, vel & eroſa ſanguinem plorare incipient, dum interim alia a diſtentis compreſſa vel ſpaſmorum impetu conſtricta ſuffocationibus & ſtaſibus ſanguineis anſam dabunt, unde febris inflammatoria, ulcus, gangræna, ſphacelus, mors. Puto ita quaſi ſua ſponte omnium malorum dyſentericis familiarium ideam fluere ex poſito ſtimulo in canali inteſtinorum. Nil ergo aliud requirit rationalis medendi methodus, quam ut ſtimulus hic vel ejiciatur

An terrea & adſtringentia indicet dyſenteria.

e corpore, vel iners reddatur, atque obtundatur. Dein ut quæ ab eo producuntur mala omnia, mitigentur, eaque præcipue, ſub quibus fatalis morbi eventus metuendus, præcaveantur, & oppugnentur. Sed hæc ultimo unice reducuntur ad inflammationem, ſine qua vix ullus moritur dyſentericus, & cujus veſtigia in omnibus cadaveribus culter anatomicus detegit. Quare ſummo ſtudio ſtimuli & inflammationis rationem habere tenebitur Medicus feliciter dyſenterias curaturus. Puto ego hæc omnia ſua luce radiare, & a nemine Medentum facile vocari poſſe in controverſiam. His autem ita ſeſe habentibus ſtatim intelligitur in dyſenteriæ curatione uſus ſummus venæ ſectionis, vomitoriorum, alium laxantium diluentium, demulcentium, antiphlogiſticorum, clyſterum, fotuum, opiatorum, ſimulque quivis rerum gnarus ex præmiſſa idea morbi perſpiciet, quæ remediorum horum, quando & quousque laudari præcipue mereantur. Studio omiſi in eorum catalogo terrea adſtringentia, nil enim video, quid eorum uſum indicet; Eaque propter nec in aliis curandis unquam, nec in me ipſo ante binos & quod excurrit annos graviter dyſenteria decumbente ad ea confugiendum eſſe credidi. Si verum eſſet, quod dixit HELMONTIVS, *pleuritidem & dyſenteriam in radice convenire, utramque nempe ab acido ſuſcitari*, pulchre ſtimulum dyſentericum obtunderent abſorbentia. Sed nemo ſagaciſſimorum Medicorum hactenus verum ſtimuli dyſenterici ingenium depinxit, cujus accuratior cognitio, ut variorum aliorum in Democriti puteo latens valde omnino arti erat profutura. Penitus itaque eum invertere & extinguere neſcientes, ſaltem de obtundendo eo prudentes cogitamus, taliaque eligimus remedia, quæ omni in genere acrimoniæ competunt, cujus individualis genius ignoratur, farinoſa, avenacea, hordeacea, gelatinoſa, oleoſa, lacticinia, emulſiva, aquoſa lenientia, emollientia, anodyna. Nil autem hic proſunt abſorbentia alterandi fine, ut aliqui loqui amant exhibita, ipſeque, qui tamen fautor eorum inſignis eſt, JUNCKERUS ultro profiteri cogitur. (c) *Abſorbentia pleraque quæ pro materia corrigenda commendan-*

(c) tab. 76. p. 630.

dantur, nullius eſſe valoris, præcipue in malo per contagium communicato, atque de coralliis in ſpecie, quæ hic aliis ſolent præferri, ſemper manere incertum, num alio quam abſorbendi effectu eximium hic uſum ſuppeditante operentur. Unum forte caſum excipiendum æquitatis amator ducerem, ſi cauſam occaſionalem malo dediſſet, nimia fructuum horæorum ingurgitatio, tum certe proficerent abſorbentia ſub incurſum ſtatim morbi paulo largius ingeſta ad fermentationis tumultum in alimentorum canali deprimendum & conſopiendum; non virtute roborante, tonica & adſtringente. Horreo ego in omni medicatione, vel nomen adſtringentium, quid enim? nonne hæc pugnant cum moliminibus prudentis medici de obtundenda & eliminanda ſaburra acri cogitantis? nonne is ſuis ipſius intentionibus contrariaretur, qui eo tempore, ubi evacuantibus opus eſt, adſtringentia ſimul exhiberet? In progreſſu mali intempeſtiva mihi videtur opera adſtringentia tonico ſcopo ad affluxum humorum ad inteſtina coërcendum ægris præſcribere, ut Practici quidam loqui amant, quum ea indicatis convenientius multo in fine morbi expleatur. Rectiſſime certe ſcripſit ETTMULLERUS: (*d*) *Adſtringentia in principio & progreſſu morbi nil valent, ſiquidem non relaxata inteſtina ſunt, ſed irritata;* Atque crediderim ego, uſui tonicorum nunquam aliter niſi ſtringendo fibras agere valentium vel ſola obſtare tormina, quæ a ſtricturis fibrarum enaſcuntur, eaque propter remedia his adverſa, non amica expoſcunt. Si ad inflammationem morbus adoleverit, prorſus abſurdum eſt, adſtringentibus pugnare, palmarium enim eſſe in omni inflammatione ſananda relaxationem obſtructorum vaſculorum remedium, neminem puto Medentum fugit. Atque hic omnino perpendi merentur verba JUNCKERIANA: (*e*) *In dyſenteria febris & materia conſideranda, non adſtrictio.* Quid ergo ſibi tandem volunt crebro adeo nihilominus uſurpari ſolita adſtringentia, vel & mitius quæ agunt abſorbentia? Pene exciderat animo ea forte miaſmati maligno per tranſpirationem expellendo inſervitura. At vero quid de hac eorum virtute diapnoica ſtatuendum ſit ſupra excuſ-

(*d*) Oper. Tom. II. cap. de dyſent.
(*e*) in therap. gen p. 470.

excuſſimus; abſit ergo ut evanida fiducia ægris dyſentericis abſorbentia propinemus. Præ omnibus aliis multi ſpem collocant haud proletariam in terris ſigillatis, belle autem pronunciavit laudatus modo cl. JVNCKERVS (*f*) eas, niſi adſtringendo aliquid efficiant, de reliquo inutiles eſſe & gravare inteſtina. At multis nominibus omnia adſtringentia damnoſa exiſtere in hac ægritudine hactenus evici, & ſat multi ingenui Practici cautius mercari experientia edocti profitentur: *In dyſenteria ſub conſpiratione & adſtrictione mors adeſt*, clamat HELMONTIVS. (*g*) Quare omnino & terras ſigillatas negligendas eſſe patet. Dediſcant itaque tandem medicinam facientes pulverum antedyſentericorum terreſtrium, diſcant legitimum opiatorum remediorum uſum, quem inſuper haberi multis in expertis & periculoſum clamari ſcio. Nollem ego aggredi dyſenteriæ gravioris ſanationem ſine opio, nec talem unquam ſine eximio hoc miſerentis ærumnarum humanarum numinis dono, curatam vidi. Nullum remedium appoſite ita ſcribente BONTIO (*h*) huic morbo exquiſitius humana cura potuit excogitare, quum veriſſimum ſit illius antidorum. Taceo SYDENHAMVM, ETTMULLERVM, WEDELIVM, WILLISIVM, RIVERIVM, LINDANVM, HELWIGIVM noſtrum, BRVNNERVM, WERLHOFIVM, aliosque in dyſenteria Doctores opiatos. Nil haberet quod huic ſectæ jure opponeret vel Medico-Maſtyx HARVAEVS. Ita omnem cenſorium rigorem illud remedium ad æquum examen hic revocatum eludit.

§. 5.

Terrea roborantia ad abortum deprædicata.

Dixi quædam de dyſenteria, addam promiſſi memor aliqua de *abortu* cujus inter noſtrates frequentia infinitas grates deberet Medico verum & adæquatum medicamen prophylacticum excogitare docto. Niſi ſemel ea plerorumque Practicorum animis ſederet ſententia, terrea panchreſta eſſe remedia, & in omnibus ægris locum habentia ne mente quidem aliquis conciperet, qui factum ſit, ut eorum vires ad abortum usque avertendum extenſæ fuerint. Ad hunc

(*f*) Conſp. Tab. 76. p. 630.
(*g*) in tract. pleura furens oper. p. 247.
(*h*) de med. Indorum l. 4. c. 3.

hunc diem interea paſſim hæc viget opinio, teſtibus omni exceptione majoribus, recentiſſimis diſpenſatoriis, ab integris collegiis medicinalibus reviſis iterum, & luci publicæ expoſitis. Videas in *Pharmacopœia Auguſtana pulverem contra abortum* ex granis kermes, ſantalo rubro, caryophillis, nuce moſchata, rad. torment. margaritis, coralliis, ſaccharo perlato; dignumque eum habuere Argentoratenſes Medici, qui in *pharmacopœiam* quoque *Argentoratenſem* transferretur. Non minus *in diſpenſatorio Brandenburgico pulvis contra abortum* invenitur, præter alia ſub-adſtringentia raſuram eboris, corallia rubra & alba, ut & margaritas præparatas continens. Talem quoque pulverem excogitavit ZWELFERVS *in Pharmacopœia Regia*, (i) qui poſt adſtringentia & aromatica varia margaritas Orientales, corallia, lapidemque carneolum præparat. recipit, exhibendusque dicitur crebrius in juſculo gravidis, quando abortionis periculum adeſſe metuitur. Fere prætermiſiſſem *pulverem contra abortum diſp. Viennenſis* ex coccionella, nuce moſchata, rad. tormentillæ, biſtortæ, bolo armena, margaritis, coralliis, lap. hæmat. ſacch. perlato, & foliis auri concinnatum, de quo ibidem aſſeritur, *quod gravidis abortum timentibus optato ſucceſſu exhibeatur.* Nolo inanem impendere operam, prolixumque ſcriptorum practicorum adferre catalogum, in quorum ſcriptis ita ad nauſeam usque in abortus diſcrimine collaudantur terrea adſtringentia, ut Lectoribus intelligentibus dubium naſci debeat, ſerione an jocoſe autores de iis ſcripſerint. Plura dicere debeo, ea a populari præjudicio abreptis virtus tribuitur ad declinandum abortum adſtringentibus, ut externe etiam (eheu quo tamen ruunt docti cœteroquin Medici!) emplaſtri forma applicita, conducere ſtatuantur. Saltem in diſpenſatorio Viennenſi proponuntur duo emplaſtra contra abortum ex glutinantibus reſinoſis & adſtringentibus conficienda, alterum umbilico, alterum lumbis apponendum.

§. 6.

Abundent omnes, qui talibus ſed fruſtra fidunt, ſuo ſenſu, per me licet; ſed ſi vel mille præclariſſimorum virorum elogia adſtringentibus pharmacis tributa in aborturientibus legerem, ſemper tamen

at perperam.

(i) p. 97.

men caveret, quam attentis oculis contueor, genuina morbi facies, quo minus mihi imponi paterer, ac vel tantillum ſpei in adſtringentibus locarem, nil magis in arte odio proſequens, quam hyperbolicas remediorum ſæpe nugaciſſimorum collaudationes. Illud ſatis inculcant Phyſiologi, omne commercium, quod fœtui cum matre intercedit, cujusque benificio maternam vitam fœtus vivit, ſola niti connexione & cohæſione vaſculorum placentæ atque uteri. Ita nimirum voluit auctor vitarum humanarum, ſapientiſſimus DEVS, ut circulus humorum in matris fœtusque corpore ſibi invicem reſponderet, utque ex uno in alterum humoribus liber daretur aditus; aliter enim nec vita fœtus conſervari, nec ejus corpuſculum indies augmentum capere poterat. His ex phyſiologia ſuppoſitis ſtatim docet ſincera Pathologia, poſita cauſa, quæ commercium hoc inter matrem fœtumque tollat, circulumque humorum laudabilium nutritiorum per vaſa, quibus placenta utero nectitur, intercipiat ſolvatque, mox actum eſſe de vita fœtus, hac vero extincta, naſci ſimul neceſſitatem phyſicam convulſionis uterinæ, quam uno nomine abortum Medici ſalutant. Tollitur vero humorum nutritiorum circulus tranſitusque eorum neceſſarius ad ipſum fœtus corpuſculum, vel ob defectum humorum laudabilium in ipſo corpore materno, quo fit, ut liquidem nullum, aut parva quantitate ad vaſcula placentæ cum uterinis connexa deferatur; vel ob avulſionem placentæ a matrice, vaſculorumque, quæ utramque inter ſe nectebant, rupturam, modo ab externa læſione, modo a ſanguinis eo ruentis copia & impetu, modo a ſpaſticis ſtricturis varias ob cauſas exortis perpetratam. His ſolis fundamentis omnis ſanior abortus theoria nititur, huicque exacte reſpondere debent molimina prudentis Medici, in eo declinando occupati, aliter inepta futura & inutilia, imo vero haud raro noxia. Quod ſi ergo terrea adſtringentia abortus ingenio quomodocunque congrua ſunt, ad hanc normam examinata illi competant neceſſum eſt; neque enim alio ſub prætextu locum inveniunt, quum ſpuriæ ſaltem indicationes habendæ ſint ex aliis principiis derivatæ. Fecit tanta abortuum frequentia, ut ſimulac prægnantes redditæ ſunt mulierculæ, ſtatim ſollicitæ matres de remediis cogitent corroboraturis fœtum, declinatu-

naturisque abortionis periculum, etſi nil adhuc adeſſe deprehenditur, quod metum imminentis mali incutiat. Vocatur ſæpe in conſilium Medicus, ſed turpem ille ignorantiam, anilemque ſuperſtitionem prodit, quando poſthabitis omnibus ſanioribus conſiliis, quæ vitæ victusque regimen ac affectuum animi præcipue moderamen reſpicere debebant, totus in ineptiis ſibi placens, vel margaritas Orientales præparatas, bis per ſeptimanam ad grana ſex vel octo uſurpandas, vel ſpecificum cephalicum, vel pulverem Marchionis, vel ſpecificum quendam pulverem contra abortum ex terreis adſtringentibus conflatum commendare non erubeſcit. Putarem equidem hæc omnia & plura alia hujus farinæ ſimul aſſumpta, non majus auxilium præſtitura, quam cor pulli ex vivo extractum & adhuc palpitans deglutitum; quod portentoſum remedii genus ad abortum averruncandum in Pr. Michaëlis commendatum legitur. (*k*) Dixi omnem fœtus ſalutem niti nexu vaſculorum exiliſſimorum placentæ & uteri, quare obiter animadvertentibus magnæ providentiæ opus videtur, horum firmitatem totiusque uteri robur tueri tonicis & adſtringentibus remediis exhibitis. Sine dubio ad hoc momentum unice reſpexit cl. GOETZIUS (*l*), quando malum cydonium coctum ſingulis diebus comedendum tanquam inſigne remedium ad abortum avertendum commendavit. At vero ſcire refert, uteri debilitatem vel eſſe nativam, ut in omnibus tenerioribus fœmellis, vel a prægreſſis puerperiis & abortitionibus contractam. Utroque in caſu male agunt qui geſtationis tempore ſero nimis de inſtaurando ipſius robore cogitant. Si debilis per naturam ſuam uterus, aut vitium plane non emendabitur, aut non gravidus firmari debebit, catameniorum fluxu, qui hic fere ſemper non rite ſuccedit, in ordinem juſtum redacto. Si a puerperiis & abortubus demum debilis redditus, antequam iterum coëat fœmina & concipiat, curanda erit uterinis, balſamicis, epithematibus, injectionibus, balneis, illaque præcipue elegantiſſima methodo, quam inſignis WERLHOFIUS cum orbe medico communicavit (*m*). Simplex

(*k*) Part. I. lib. V. cap 37.
(*l*) in actis phyſ. med. N. C. obſ. 195. volumine I.
(*m*) in obſ. de febr. p. 301. in notis.

plex eſt omnino & judicio valde egenus, qui pulvillum exilem terreſtrem interdum deglutitum ad uterum gravidum tendere, ibidemque debilia vaſcula roborare ac placentam cum utero laxius cohærentem adducere, firmare, atque neſcio quid aliud boni ibi perficere credit. Æque vero fallitur, qui jam ingruens e longinquo abortus diſcrimen, prodromis illius ſenſim ſeſe manifeſtantibus, terreis & adſtrigentibus armis amoliri intendit. Finge enim fœmellam ex prægreſſa febre, ex diarrhœa, inedia, ſudoribus, vigiliis, mœrore &c. ita viribus exhauſtam, ut tubulis, quibus placenta utero jungebatur, ob deficientem humorum appulſum flacceſcentibus, abortus metuendus ſit, an ſanæ rationi conſentaneum eſt, terrea adſtringentia defectum nutritionis fœtus, a quo ſolo ejus interitus hic pendet, fore ſuppletura; an magis credendum eſt, juſcula carnium, vitellos ovorum, emulſiones, gelatinas, lacticinia juvamen allatura? Judicent lectores ingenui ipſimet! Finge porro aliam gravidam plethoricam valde cibo aromatico, vino, æſtu ſolis, motu corporis impetuoſiorem reddidiſſe circuitum humorum omnium. Verum eſt ſanguinem tum juſto copioſius, juſtoque vehementius in uterina vaſcula influentem exiguas placentæ radices diducturum, ac debilitaturum ita, ut laxis prorſus & flaccidis redditis ruptura immineat. An autem prudenter ageret, qui adſtringentibus tonicis firmiora reddere vellet hæc vaſcula, quo forte melius ferrent appulſum ingentem ſanguinis, nec rumpi ſeſe adeo facile paterentur? Rideretur ſane hæc ingenioſa ignorantia, nam adſtringens remedium per os adſumptum ne minima quidem ſui portione ad uterum penetrat, ac dein omnis medelæ cardo in eo ſaltem hic vertitur, ut excurrens ad uterum velox & impetuoſus circulus debilitetur, & avertatur, ne vaſa ibi nimis diducat, rumpatque, quod venæ ſectione tempeſtiva, diluentibus, acidulis, nitroſis, anodynis obtinebitur, quæ ſola remedia hic indicata ſunt. Nil dicam de iis cauſis, quæ ſpaſmos in abdomine prægnantis excitando, uterum violenter concutiunt, & avulſioni placentæ ita occaſionem præbent, quorſum animi pathemata, purgantia, hyſterica paſſio, tuſſes convulſivæ & alia pertinent. Quis, bone DEVS! adſtringentia hic in caſibus deſiderari aſſeret, & ſtricturas fibrarum mor-

morboſas, ſtricturis medicamentoſis inductis tollere imprudens machinaretur? Anodyna certe palmaria hic ſunt remedia, & quævis alia, utpote incerta & tardiora, longo intervallo poſt ſe relinquunt. Dicta hæc ſunto de remotiori adhuc abortus periculo, ſed paucula adhuc differere debeo de eo, quod proxime inſtat, & ſine mora oppoſitiſſima efflagitat remedia. Seligat hic pulverem contra abortum ex ſupra allatis qui velit, videatque quid boni præſtiturus ſit eodem, nihil hercle! impetrabit & inepti remedii uſum ſi reſipiſcat, dolebit ſero. Eam nempe hic uteri placentæque conditionem mente velim lectores mei concipiant, qua vaſcula vel ad crepaturam usque ſanguine farta & diſtenta, vel ſpasmorum vi concuſſa perpetuo atque vellicata, in extremo rupturæ periculo conſtituuntur, vel & aliqua eorum jam vere diſrupta fuere. Quid vero hic prudenter formatæ indicationes therapevticæ jubent? Ego, niſi omnia me fallunt, nil agendum aliud video, quod prodeſſe poſſit, quam ut motus illi ſpaſtici oppugnentur remedio, cui fides habenda eſt, fore ut quam citiſſime eos conſopiat; dein ut urgens impetus ſanguinis debilitetur & ab uteri vaſis avertatur. Duo ergo poſt injunctam ſeveriſſime corporis animique quietem ſumma hic remedia ſunt venæ ſectio & anodyna, quibus ſæpe, quod præ foribus jam eſt periculum, feliciſſime depellitur. Qui vero iis miſſis alia quæcunque ſolis forte nitroſis & emulſivis diluentibus, atque pro re nata, oleoſis clyſteribus exceptis, adhibet, & inutilibus otioſus ſpectator morbi vel cunctator ſaltem in futurum haud ſapiens ludendo quaſi tempus fallit, næ ille ancipitem morbum vix profligabit, ſed fato ſuo & matrem & fœtum permittet, parumque eapropter gloriæ conſequetur. Reſtat & ſpecialem adhuc conſiderationem ſibi depoſcit miſerrima aborturientium conditio, quando hiare orificium uterinum querula obſtetrix edicit, interque dolores imi ventris lumborumque immanes, ſanguis multus & grumoſus ſimul celerrimo fluxu prorumpit. Nulla tum humana arte abortus declinandus, quin ſi tempeſtive ſequatur, ſalubris matri eſt, ejusque vitam ſummo hic periculo expoſitam in vado ponit. Valde itaque imperitum Medicum arguunt officioſa licet, minus interim opportuna conamina ſervandi fœtum pro deplorato jam habendum. Neque enim ulla hic re-

media quadrant, præterquam ea, quæ vires matris inter perpetua ſæpe animi deliquia elangueſcentes reſtaurant, ac utcunque cuſtodiunt, excluſionemque fœtiis maturant. Expectatis, ſcio, lectores! ut mentem meam vobis aperiam, num adſtringentia eo in caſu proficua futura ſint? Certe quicunque ſolam horrendam profuſionem ſanguinis certiſſimo exitio, ni conſopiatur, tradituram miſeram ægram contuetur, nec ſimul cognitum habet, unde ille oriatur, ac ſub quibus ſaltem conditionibus ſit poſſibile, ut cruor profundi deſinat, tanquam ad ſacram anchoram ad anſtringentia confugiet. Sed uſurpate paulisper mentis oculis placentam ab utero avulſam, arteriasque uterinas turgidiſſimas ſanguinemque eructantes floridiſſimum contueamini, tumque amabo edicite, an adſtringentia etiam ſumma, immenſaque inſuper mole propinata huic hæmorrhagiæ ſiſtendæ paria credatis? Non diſputabo fuſe, non probabo multis nunquam ea pervenire ad ſauciata hæc vaſcula, ſed fingam ipſiſſimis patulis eorum oſtiolis adſtringentem pulverem poſſe applicari, putatisne vero vos id conſecuturos, ut plorare cruorem arteriolæ deſinant, ut placenta, abrupta ſemel, cum utero iterum coaleſcat, ut mortuus & ſanguini innatans fœtus iterum reviviſcat? Pudeat Medicum ita ſtatuere, vel ſi non ita ſtatuat, gratis porrigere adſtringentia, pulveresque ſuos ex ejusmodi quisquiliis compoſitos ineptiſſimis ſignare denominationibus, e. g. Beſondere anhaltende Pulver. Norunt ſatis intelligentes, nil aliud ſupereſſe in triſti hac rerum facie, quam ut uterus eliſa, qua gravatus eſt, diſtendente ſarcina ſeſe ab omni ambitu contrahendi libertatem adipiſcatur, qua impetrata ſua ſponte claudentur vaſorum rivuli, cruorque nulla alia ratione coërcendus ſiſtetur. Nemo nunc amplius opinor renuit, quando denuo aſſero, nil quicquam proficere in ejusmodi inevitabili abortiendi neceſſitate adſtringentia remedia; ſed aſſeverare adhuc poteram, ea non ſaltem nil prodeſſe, ſed ſubinde multum nocere. Id quidem non pauci celebres Medici obſervavere ac proinde a perverſa ejuscemodi medendi ratione candide ſeduloque fuere dehortati. *Quando confertim erumpit ſanguis*, inquit Illuſtr. noſter HELWIGIUS, *metusque abortus non vanus eſt, Medico ſit religio impetui cruoris exundantis adſtringentia tanquam aggerem obji-*

jice-

jicere. (*n*) Taceo monita penſitatione ſeria digniſſima STAHLII, (*o*) HOFFMANNI (*p*) aliorumque, quæ omnia huc trahere inſtituti ratio haud patitur.

§. 7.

Duceret me recta via abortivæ hæmorrhagiæ contemplatio ad aliarum hæmorrhagiarum æque gravium conſpectum, quum non uno nomine his dicari a Practicis terreæ naturæ medicamina probe norim. Sed de hæmorrhagiis ſpeciatim adhuc agere animus eſt, ubi eas terreorum vires prius e medio ſuſtulero, quas inſervire hæmorrhagiarum therapiæ uno ore Medici clamant, quarumque examen adhuc ſuſcipiendum reſtat. Supereſſet interim aliorum morborum dives catalogus, quibus terrea ceu adſtringentia competere hactenus creditum eſt; nolo vero nimis adſtringentibus adſtringi, dum ad alia ediſſerenda propero. Attribuunt ſua etiam gonorrhϾ, & fluori albo ſpecifica terrea autores ſat multi, conſtatque inter omnes ad utrumque affectum corallia, ſpecies de hyacintho, oſteocollam, cryſtallum, montana ac præcipue os ſepiæ valde communiter commendari. Occurrit evolventibus diſpenſatorium Viennenſe *pulvis ad fluorem album* ex C. C. uſt. rad. ir. fl. gumm. arab. oſſ. ſep. corall. cryſt. mont. olibano & maſtiche. Talesque innumeri in monumentis Practicorum reperiuntur. At iis omnibus, ut nil diſſimulem, parum boni præſtabunt Medentes, nec facile mente concipitur, quomodo ad remotiſſimas partes, generationis organa ſexus utriusque, pulverulenta talia perveniant. Sine revulſione largiori, ſæpiusque repetita per catarctica nec gonorrhœa, nec fluor albus curabuntur facile, quanta vero præſtet repetita catharſis, docet rerum uſus, virorumque clariſſimorum, qui inſtar omnium allegari poſſunt, Sydenhami & Baglivii teſtimonia. Ille in catarcticis omnem curationis cardinem verti in gonorrhœa edixit. (*q*) Hic ſapientiſſime ac practice certe ſcripſit: *In gonorrhœa atque uteri catarrhis ſemper ad alvum ducendum; qui hoc bene nove-*

De fluore albo, & gonorrhœa quædam.

(*n*) Hiſt. morb. Vr. A. 1702. pag. 75.
(*o*) diſſ. de abortu.
(*p*) Med. ſyſtem. Tom. V. Part. III. pag. 642.
(*q*) Oper. pag. 418.

noverit, quam bene curaverit. (r) Flagitat ſibi ſua ſpecialia pro varietate ſymptomatum gradusque virulentiæ remedia gonorrhœa maligna, fluorque albus malignus. At vero ad benignam gonorrhœam & rhevmatismum uterinum non venereum curandum, ſi non ſufficiant, certe tamen palmariæ indicationes ſunt revellere & roborare. Priori eximie quadrant, catarctica, poſteriori melius favent roborantia topica immediate partibus laborantibus applicata, balnea, injectiones, fomenta frigida &c. quam terrea interne exhibita, quorum tranſitus ad eas vix ſperandus. Aut ſi interna roborantia corporis ægri individuale vitium requiſiverit, generoſiora elegiſſe juvabit quam macra & languida terreſtria. Omnia ſuperat ferrum, & peruvianus cortex.

CAPVT XII.

In culpandis ineptiis circa cardiacas terreorum vires occupatur.

§. I.

Largiſſima terreorum cardiacorum commendatio.

ITerum alium campum, vires polychreſtas terreſtrium pulverum longe lateque diffuſas oculis noſtris objicientem, ut protinus ingrediamur, ordo jubet. Tot hactenus dotes, quibus pollere illi reputantur, luſtravimus; ſed plures adhuc conſiderandæ reſtant, exorata ergo lectorum, qui lenes facileſque nobis fuere, patientia, cordiales & analepticas terreorum virtutes paulisper ſpectabimus, atque poſtea earundem examini ſeveriori vocabimus ſedulo. Et has quidem cordiales vires terris ſigillatis, cornu cervino, eborique præparato, lap. cancr. oſſibus de corde cervi, unicornu vero, coralliis, matri perlarum, margaritis, lapidibus bezoardicis, ac gemmis variis adſcribi a Medentibus, inter omnes ſatis conſtare opinor. *Terras* ſpeciatim *ſigillatas* cum capite cor confortare non aſſeruit ſaltem SCHROEDERVS (s) ſed idem prorſus aſſeruerunt fere omnes, qui peculiari opera de terris his ſcripſere, quorum prolixum

(r) Oper. pag. 386.
(s) lib. II. cap.

lixum catalogum huc apponere lubens ſuperſedeo. Neque etiam unus SCHROEDERVS portentoſas vires *coralliis* affinxit, verum & ante & poſt eundem extitere, qui eadem oberrantes chorda multis laudibus ea onerarunt, & vel integros in eorum honorem panegyricos condidere, in cujus rei fidem GANSIVM allegaſſe ſufficiet. (*t*) Mire ſonant & expectationem ſuperant elogia SCHROEDERI, *corallium rubrum roborare cor præcipue & dein ventriculum ac jecur, atque exhilarare animum, licet nigrum eundem melancholicum reddat.* (*u*) Sed multos alios invenies, qui fabulis ejusmodi haud deterriti corallia nihilominus cordialium catalogo fideliter inſerunt. Atque quid tandem dicam de *margaritis?* Agedum adhuc ſemel conſulamus SCHROEDERVM, videamusque, quid ille de his ſentiat. Opportune evolventibus judicium illius occurrit: *Margaritæ*, inquit, *præbent cordiale nobiliſſimum, quo balſamus vitæ oppreſſus, viresque exſolutæ inſigniter recreantur, proinde etiam animum exhilarant. Et bujus rei gratia in tantum adſcenderunt honorem, ut vel agoniſantium extrema recreatio inde communiter expetatur.* (*x*) Operæ credo faciemus pretium, ubi adſcripſerimus ſententiam de margaritis commentatoris Schrœderiani operis HOFFMANNI, qui tantum abeſt ut ab opinione Schrœderi recedat, ut potius verba ipſius ſancte ſervet, laudesque adhuc laudibus cumulet. *Margaritæ*, ait, *præſertim majores (quo enim majores eo perfectiores) univerſam corporis œconomiam confortant, cerebri imprimis & cordis collapſas vires reſtaurant, balſamum vitæ oppreſſum recreant, & non vulgare archæi furioſi ſedativum in iis latet. Vis illarum cardiaca* (ecce Schrœderianum Echo!) *has adeo inſignes & decantatas fecit, ut vel agonizantium extrema recreatio inde expetatur.* (*y*) Nollem de margaritis majoribus ita loqui noſtra ætate, vererer quippe, ne omnis elegantior ſexus bellum mihi indiceret, ſibi ſoli ornatum illum ambabus manibus vindicatura. At nullis etiam oblocutionibus jurgiisve opus, nemo videlicet pharmacopœorum hodie bardus adeo, ut alias quam exiles & in ſpeciem

(*t*) Hiſtoria Coralliorum.

(*u*) lib. III. c. 5.

(*x*) libr. III. c. 7.

(*y*) p. 169. in clave.

ciem haud ceſſuras margaritulas in pollinem terat ad uſus medicos. Sed ne his quidem foret opus, niſi antiquatæ traditiones recoquerentur continuo, ac perlas tolerandas eſſe hinc inde celebres etiam Medici inculcarent. Miror valde inter eos nomen etiam ſuum profiteri cel. JUNCKERUM: (z) *Margaritæ*, inquit, *roborantem & leniter tonicam virtutem edere creduntur, neque id prorſus frivole, ſiquidem teneris & delicatis ſubjectis debilibusque opportune datæ aliquantum ſubveniunt.* Sit ita, concedam tantisper, quod ſerio nunquam conceſſerim; an vero hoc aliquale auxilium pretio margaritarum reſpondet? Si majus viliori veneat pretio faciliusque acquiri poſſit, nonne melius? Silens prætereo *gemmis aliis* decreta elogia, turpiſſimam ſuperſtitionem & anilem ſimplicitatem auctorum palam loquentia, de quibus infra aliqua ediſſerendi occaſio naſcetur. Et quid mirum? Si enim gemmæ vel appenſæ ſaltem ægro corpori, ut paſſim in ſuo opere notat SCHROEDERUS, tantarum ſunt virium, quid præſtabunt demum ingeſtæ, & in ipſos interiores corporis receſſus penetrantes?

§. 2.

Hinc infinitus medicamentorum compoſitorum hujus furfuris numerus.

Nemo autem certe qui omnia penſitaverit, quæ gemmis aliisque terreis concretis ignobilioris naturæ ac eorum viribus ſeorſim in ſcriptis medicorum annotata inveniuntur in ſtuporem rapietur, uti dein ingentem compoſitorum remediorum cardiacorum molem in pharmacopœis & diſpenſatoriis variis fuerit contuitus. Quodſi enim omnes illæ fabulæ veræ eſſent, æquum erat & nobile inſtitutum, congerere in unum remedium plura, quæ ſingula jam cordialem & analepticam virtutem cuſtodiebant, ita quippe congregata & una agentia ſpectatiſſima ſanitatis præſidia eo felicius vitæ viribus conſulere, triſtesque morbis aculeos obtundere debere ſperari poterat. Saltem ita ſenſiſſe videntur boni illi viri, quorum obſcuris ſtudiis confuſum officinalium remediorum apparatum cordiali ſine inepte ſatis compoſitorum debemus. Notæ ſunt inter Medicos *ſpecies* illæ ut vocantur *de hyacintho*, ex hyacintho præpar. corall. bolo armen. terra ſigill. dictamn. alb.

(z) Therap. gen. Tab. IV. p. 146.

alb. gran. kerm. rad. torment. croco, myrrha, roſis rubris, ſantalis omnibus, bezoar. occid. C. C. philoſ. ebore, ſaphiro, Smaragdo, Chryſolitho, margaritis, & ut nil pompæ medicinali deſit, fol. auri no. XXX. concinnatæ. Atque confuſum hoc chaos intuentes merito de eo dicent, quod de chao ſuo cecinit Ovidius: (*a*)

- - - Rudis indigeſtaque moles
Nec quicquam niſi pondus iners congeſtaque in uno
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum
- - - Ubi corpore in uno
Frigida pugnabant calidis humectantia ſiccis,
Mollia cum duris ſine pondere habentia pondus.

Aliter vero præter omnem ſpem loquuntur Medici, penes quos magna auctoritas eſt, de ſpeciebus de hyacintho. In pharmacopœia Auguſtana ſcilicet recenter edita de his ſpeciebus prædicatur, *quod opitulentur lipothymiis & ſyncopen patientibus*, *viribusque exſolutos reſtituant*, (*b*) profiteturque adeo libere cl. JUNCKERUS, *analepticum quid in iis latitare.* (*c*) Ubi dein cum ſyrupo acetoſitatis citri in confectionem redactæ fuerint *in lypothymia & ſyncope vires reſolutas reſtituere* dicuntur in diſpenſatorio Viennenſi. Hem! quanta hic, ſi vel verba ſpectentur, opinionum concordia! Ego interim ſi vera, quæ odia non raro pariunt, aperte licet profiteri, ſolum hoc egregium remedii genus ſufficere autumo ad opprobrium arti medicæ conciliandum; ſed, eloqui pudet, innumera fere adhuc occurrunt in diſpenſatoriis pretioſa nullius pretii remedia. Revocate quæſo in memoriam lectores! *Julepum gemmatum* fruſtra topaziis, Smaragdis, rubinis, ſaphiris, hyacinthis, ſardis & corallis ſuperbientem, ac ſine ambra & moſcho inertiſſimum futurum. Conſiderate *ſpecies de gemmis frigidas*, a margaritis, raſura eboris, coralliis, ac oſſe de corde cervi parum activitatis mutuantes, etſi vires cordiales ipſis adſcribit pharmacopœia Argentoratenſis. Adſpicite *ſpecies diamargariti*, ex floribus roſarum, nymph. borrag. gran. kerm. ſantal. alb. & citrino, ligno

Z 2 aloës,

(*a*) Metam. I.
(*b*) p. 118.
(*c*) in conſp. p. 131.

aloës, coralliis albis & rubris, demumque margaritis compoſitas. Quis inde ſolamen aliquod languidis polliceretur? Tamen diſpenſatorium Viennenſe illas *virium debilitati tabique deſtinat ac reconvaleſcentes quoque ex earum uſu mire refici* aſſeverat. Contueamini *ſpecies cordiales temperatas* oſſe de corde cervi, margaritis, coralliis, hyacintho, Smaragdo, ſaphiro ineptiores adhuc redditas, ac ſine his omnibus futuræ erant, & mirabimini, ſcio, editores noviſſimos pharmacopœiæ Auguſtanæ ipſis appoſuiſſe elogium, *quod cor roborent, animique deliquiis medeantur.* Videte *pulverem analepticum Auguſtanorum* ex inſulſis ſpeciebus cordialibus temperatis, ex ineptis ſpeciebus de gemmis frigidis, additisque foliis auri & argenti coaleſcentem, ac ni ambram haberet, nil bonæ frugis unquam ægris allaturum; Interim ad virium reparationem & conſervationem illi eum plurimum conducere ſcripſerunt. Contemplemini *confectionem alkermes* non plenarie equidem rejiciendam, quia ambram habet & moſchum, ſed ea propter cenſura digniſſimam, quod ea proportione lapidem lazuli & margaritas recipiat, ut vix granum j. aut ij. doſin ingrediantur, quaſi concentratiſſima in iis vis cardiaca reſideret. Sed nimis forte abutor lenitate veſtra ac patientia, at niſi tædia vobis inſons ego crearem, auderem denuo vos exorare, ut mecum adſpicere haud gravaremini, binos illos *pulveres cordiales Brandenburgenſis diſpenſatorii*, alterum *cordialem pro pauperibus*, alterum *cordialem pretioſum* in divitum uſum aſſervari ſolitum in officinis. Ille quidem ex coralliis albis, C. C. præparat. lap. cancr. terra ſigill. & fol. auri no. 5. componitur. Hic vero præter citata hyacinthum, margaritas orientales, os de corde cervi & fol. aur. no. 20. recipit. Nunc vero judicate de culpabili iniquitate inventorum utriusque pulveris hujus. Dixit Hippocrates Medicinam eſſe artem addendi deficientia & ſubtrahendi ſuperflua. Videte quam perverſe ſe gerant ejus filii! Divitum pulveri addunt viginti auri folia, pauperum pulveri quinque, omne vero aurum potius ſubtrahendum erat divitibus, & viginti illa hujus metalli folia adhuc pulveri pauperum debuerant adjici. Ita memores moniti Hippocratici agere decebat. At vero tenete effrenem, quem vobis moveri video, riſum! credetis ſerio has

artes

artes contuiti, pauperum atque divitum corda perinde ſeſe recreatura fore ab uſu horum pulverum? Miſera amborum ſors erit, ubi ex his præſidiis ſolis vires expectare juſſi fuerint a Medico intelligentia egenti. Fere exciderat animo huc omnino etiam referenda provida illa quorundam gravidis bene cupiens fœtubusque cura, inventis pro utriusque viribus ſartis tectisque ſervandis eximiis medicaminibus cordialibus. Habet MICHAELIS in praxi ſua *rotulas ad fœtus corroborationem* ex coralliis, margaritis, ſaphiro, Smaragdo, granato, hyacintho, rubino, & raſura eboris. Sed hæ a methodo ipſius medendi neutiquam ſunt alienæ, ſcatent quippe omnia ejus opera pulveribus analepticis, cordialibusque ex ejusmodi pretioſis quisquiliis invita minerva conſarcinatis. At in diſpenſatorio Viennenſi inveniri *pilulas fœtum corroborantes* ex pulvere Marchionis, coralliis rubris, margaritis Orientalibus, coccinella, ſaccharo cum mucilagine tragacanthæ efformatas, vix crediſſem unquam, niſi formulam his oculis meis uſurpaſſem. Ejuscemodi ergo ſuperbis ſanitatis præſidiis recentiſſima diſpenſatoria refertiſſima viſuntur. Sed, ſi vel duodecuplo locupletior eſſet eorum apparatus, quid mali tandem redundaret in artis exercitia, niſi ad hunc diem tolerata perperam ineptiſſima hæc remediorum genera millenis forte vicibus a viris clariſſimis in medicina ægris præſcriberentur? Si ſordidum quæſtum excipias, quem ab omni honeſto homine longiſſime abeſſe debere caſtiſſima morum doctrina præcipit, non capio quid Medicos cœteroquin peritos impellat, ut poſita exutaque honorabili ſua perſona in pueros ineptientes abeant, cenſura & caſtigatione dignos. Sed ita tyrannidem exercent damnoſæ & in habitum degenerantes conſuetudines, ut jubente temporum barbarie ſecum rapiant, de quibus omnium minime metuendum erat fore, ut præconceptis nullius ponderis opinionibus corrumperentur. Dolens hujus rei exemplum conſpicio SYDENHAMVM, quo nemo Medentum caſtigatiorem, repurgatamque magis ab inani pompa voluit medicam artem, qui toties ſufficere curandis ægris abjecta & evporiſta remedia aſſeveravit, qui ſæpiſſime otioſa eſſe magnificam aliquam ſpeciem præ ſe ferentia clamavit: illum SYDENHAMVM optime ita agendo cordati ac inte-

gerrimi Medici nomen meritum, eo nihilominus redegit popularium narratiuncularum impetus, ut in frequenti ſibi uſu eſſe dixerit in curatione febrium continuarum cardiaca moderata, potiunculas cum margaritis præparatis, pulveresque e chelis cancrorum, lapideque bezoardico Orientali & Occidentali. (*d*) Eædem receptæ ſemel inter Medicos traditiones de vi analeptica gemmarum aliorumque terreorum medicaminum effecere, ut ſcriptores materiæ medicæ recentiſſimi, quos inter Janckius & Teichmeyerus, viri docti & de re medica bene meriti, nugaciſſima ejusmodi medicamina ordini ſtabilito analepticorum & cordialium, quaſi aliter inique acturi erant, omnia adſcripſerint, quo habeat juventus medica fabellas, quibus inhæreat quasque transferat ad poſteros. Gaudet praxis trivialis tacitis ejusmodi ſuffragiis, ac quas commiſit antea in medendo errores non agnoſcit, ejuratque, ſed ſervat, renovat, cuſtodit. O bone DEVS! ſi ire juvat oſtiatim, ſi viſitare licet clinicos ægros, quot inveniemus hodie deglutientes gemmatos pulveres, potionesque margaritiferas, aut aliam inertem terreorum cardiacorum molem continentes! Si terrore aliquis perculſus fuerit ſubitaneo, ſi excanduerit ira, ſi mœrore angatur, ſi ſanguinis profluvio defatigetur, ſi dolor urgens vires abſumſerit, ſi febrile incendium languorem induxerit, ſi lipothymiæ graves immineant, ſi velox apoplexia motus voluntarios inhibuerit, ſi tranſitus ex hac vita in aliam meliorem inſtet, clamantibus agnatis de roborando corde; ſtatim Medici confugiunt ad pulveres ſuos cordiales, hisque præſcriptis, ordinata ſimul eſſentia dulci propinatoque liquore perlarum eximie ſeſe defunctos ſuo munere ſibi ipſis arbitrantur. Frequens tum noſtratibus, ſibi ipſis vulgoque imponere laborantibus ſignatura, Hertz-ſtärckende, Hertz-verwahrende Pulver, præcipue quando pigmento cinnabarino cardiacus etiam color remedio fuit conciliatus. Vellem vero ut illi qui his nominibus delectantur ideam corroborandi aut cuſtodiendi cordis, nexumque, qui inter eam ac pulverem terrenum datur, haud intelligentibus, mihique ipſi ignoranti aperirent. Equidem nuper regnante gravi illa epidemia, gibboſa ubique cœmeteria reddente, ſtrenue cum bezoardicis & cor-

(*d*) Oper. pag. 74.

cordialibus inſipidis pugnavimus ac helluones fere nosmet in iis devorandis præſtitimus; at quam ſæpe nos creber uſus fefellit ac dereliquit! quam ſæpe tumulavimus cives, nihil inde boni expertos, præter hoc unum, quod fato occubuerint pretioſiori.

§. 3.

Cui indicationi ergo deſtinabuntur amplius in artis exercitiis talia & centies congeſta plura ejuscemodi remedia expectationis, ineptiſſimam ubique arguentia ſuperſtitionem, ne unquam animantis minime rationalis niſi Medicorum fide amplectendam? Quis unquam præter Medicum eo dementiæ ruit, ut ab illis quæ pulverem diamagarit. frigidum &c. conficiunt, virtutem cordialem expetere poſſit? At quo tandem tendit, quorſum evagatur, audax meus cenſoriusque calamus! Fugite in auras prolata ſemel nunc irrevocabilia verba, odiaque & minas effugiatis. Vos vero ſi mihi iraſcimini cordialium fautores! parcite obſecro, parcite meo capiti, dura, ſanam rationem vobis denegans, elocutio non mea eſt, ſed debetur tota GIDEONI HARVEO, pulverum compoſitorum in diſpenſatoriis ſignatorum vanitatem caſtiganti. Auſcultetis adhuc parumper, quam belle is in apricum ducat pulverum cordialium inertiam, ſitque mihi murus aheneus falſum ejus de iisdem judicium. *Cujusmodi tandem ſympathiam alcis ungula bujus animalis excrementum viliſſimum cordi afflare potis eſt? Cordis cervi os a cœteris iſtius animantis oſſibus nihil diverſum eſt, niſi numero ſingulari, Cornu unicornu, cum quo de virtutibus bovis vel hirci cornu certare posſit, aurumque foliaceum ne minimum luſtri radium projiciens indigeſtum præterit. Bolus armena, terra Lemnia, lapidum pretioſorum fragmenta, vel ſuccinum pondere & tenacitate ſtomacho gravando & opprimendo ſunt peridoneæ. Nihilo ſecius eorum omnia auctiore vel rariore numero huic vel alteri pulveri cardiaco in pharmacopœis adjiciuntur, quod fit in pulveribus bezoardicis, pulvere pannonico rubro, ſpeciebus cardiacis, ſpeciebus cordialibus temperatis Auguſtanorum, ſpeciebus diamargarit. frigidis, multisque aliis. Ad hæc ſingulis hiſce præmisſis putatis cordialibus pulveribus cœterorum omnium facultates & virtutes ſinu condentibus, cui fini fruſtra pharmacopœo imponenda eſt cura quatuor vel quinque ex illis præparandi, atque ejus officina* Caſtigatio Harveana.

one-

oneranda tot lagenis ad pulveres ſervandos deſtinatis. Cordiale proprie & per ſe eſt, quod vi donatur ſpiritus fuſos fractosque confeſtim congregandi & affatim adaugendi, vel flaccidum cordis textum corroborandi; atque poteſtne quiſpiam adeo depravata phantaſia laborare, ut confiteri non cogatur, cordialis plus in lauti juſculi cochleari vel vini ſpiritus aliquot guttis ineſſe, quam in talium aſymmetrorum ſuppoſititiorum pulverum cordialium uncia integra? Exceptis Medicis grammaticis nihil ſtultius. Perquam ſane deliri erant ejusmodi remediorum inventores, at multo ſtolidiores ſunt, qui ea ſuis diſpenſatoriis poſt ducentos vel trecentos præteritos annos inſerenda curarunt. Hactenus ille Medico-Maſtix, ut alicubi ab illuſtri noſtro HELWIGIO ſalutatur Gideon HARVEUS. (*e*)

§. 4.

Theoria virium.

Ea omnia vero niſi ruborem exprimant noſtræ ætatis Medicis, neſcio ſane an omni verecundia exutos ſtatuere debeam. Divitem cernimus arte, experimentis fallere neſciis, ratiociniis ſeverioribus, obſervationibus ſelectiſſimis hoc ſeculo medicinam; Sed eheu! nihilominus infelix languet, ineptiſſimisque narratiunculis fabellisque extremam barbariem olentibus deturpatur. Vix unquam tales majori numero proferri audias, quam ubi de cardiacis & analepticis ſermo eſt, quare operæ pretium facturi ſumus, ubi hoc argumentum plenius paulisper excuſſerimus. Cardiaca & analeptica Semi-Medicis videntur indicari, urgerique quando ægros ſuos offendunt debiles, horumque vel adſtantium querelæ de languore omne corpus habente audiuntur. Quia vero tum vitæ imminere periculum aliquod credunt, vitam autem omnem a corde derivant, adeo ut ab hoc viſcere ſolo ſalutem & interitum ægri pendere perſuaſum teneant, ſtatim omni opera eo laborandum clamitant, ut cordi bene ſit, taliaque præſcribantur remedia, quæ cordi amica ſunt, quæque hoc nomine ab autoribus fuere commendata. En hic fontem genuinum, ex quo inſignis illa denominatio cardiacorum remediorum longo abhinc tempore profluxit, (*f*) quamque interim ſervare cogimur, donec melior & diſtincta magis Medicis

(*e*) in arte curandi morbos expectatione c. 19.

(*f*) Taxatur hoc nomen a WILLISIO in pharm. ration. & Bœrhaavio inſt. 1095.

dicis adhibeatur. Ponamus igitur tantiſper debilitatem indicare cardiaca: Jam vero novimus debilitatem involvere defectum virium, cardiacorum igitur nomine venient ea, quæ vires deficientes inſtaurant, horum autem cardiacorum actionem operationemque veram in corpus vivum antea non intelligemus, quam ubi ideam juſtam virium aſſecuti fuerimus, de ea igitur cogitemus neceſſum eſt. Illud ego quidem in vulgus notum eſſe arbitror, vires in toto hoc univerſo æſtimari a motu; Id omne enim quod facile citoque magnos motus edere cernimus, robuſtum & validum viribusque pollens dicimus, & contra: Eſtque hæc idea virium adeo ubique recepta, ut vix invenias qui aliter ſentire de viribus in genere conſideratis queant. Hanc conſiderationem quando transferre voluerimus ad corpus humanum vivens, ſtatim eam illi exactiſſime poſſe applicari apparebit. Hoſpes ſcilicet ſit in medicina, qui ignorarit, omnes illas actiones, quibus vita & ſanitas ponitur abſolvi motu; Sed poſito motu corporis humani ponentur & vires, hæque ea propter nullæ aliæ eſſe poterunt quam motrices. Sive ergo vires corporis humani dixeris potentias exereendarum functionum vivo animali propriarum, ſive eas vocaveris cauſas moventes, idem prorſus dixeris, atque a vero haud eris aberraturus. Cum autem in corpore humano functiones ſint vel naturales, vel animales, vel vitales, dabuntur & vires naturales, animales, vitales; hisque omnibus non rite ſeſe habentibus, dabitur debilitas naturalis, animalis, vitalis. Dixi per vires corporis humani intelligendas eſſe potentias corporis humani moventes, ſed ulterius inquirendum eſt, an hæ reperiundæ ſint in ipſo corpore, an aliunde motus corporei pendeant? Nimis notum ubique, quot lites pepererit ſpinoſa hæc quæſtio inter Philoſophos & Medicos; nemoque ignorat, hos adhuc hodie in duas factiones abire, aliis animam rationalem cauſam omnium motuum ſtatuentibus, aliis corpus meram machinam habentibus, viribus motricibus non niſi materialibus & in ſtructura ejusdem inveniendis potentem. Nolo jam probare fuſius non ſaltem nil boni unquam, ſed multum adeo damni redundare in medicinam ex hypotheſi illa de inertia corporis, animæ demum activitate movendi. Illud ſaltem hic urgeo, ne quidem eſſe

 poſ-

poſſibile, ut anima corpus moveat. Satis quippe demonſtravit inſignis SCHREIBERVS, *(g)* mutationes & actiones corporis humani viventis, modo intelligibili comprehenſurum, illo de corpore mechanice philoſophari debere, ſeu demonſtrare, quomodo actiones vi legum motus ex fabrica partium corporis conſequantur. Quia ergo anima magnitudine, extenſione, partibus, fabrica, figura, motuque inteſtino caret, *(h)* legesque motus eapropter circa animam, tanquam circa ens ſimplex obſervari nequeunt, ſponte ſequitur, actiones corporis humani quascunque ex anima, ejusque facultatibus explicare laborantem, nec eas comprehendere ipſum, nec aliis explicare ita, ut intelligi poſſint, ſed proferre verba inania, terminosque evanidos ac fabellas cerebrinas omni uſu in arte medica carentes. *(i)* Hæc omnia olim jam mihi ſerio cogitata effecere, ut poſthabitis diu illis inanibus ſomniis de animæ energia movendi omnibusque eximiisque conſectariis inde fluentibus, cauſas moventes in corpore ipſo, ejusque ſola mechanica ſtructura quærendas eſſe convictus crediderim. Arduam igitur de motu doctrinam, totiesque in controverſiam vocatam his principiis nunc quoque ſuperſtruere laborans proximum ſubjectum motus in corpore humano offendo partes ſolidas fibroſas per legem elateris, quo pollent, contractili virtute donatas. Hanc autem contractilem virtutem ſtatim perire in fibris alicujus partis, per cujus vaſa ſanguis non juſte, libereque circulatur, cujusque nervi, ex quibus omnes fibræ muſculares tandem effinguntur, quacunque ratione læſi, liquidum ſuum ſubtiliſſimum haud adferunt, multis doctiſſimorum hominum ratiociniis & experimentis extra omnem dubitationem collocatum eſſe opinor. Ponit ergo, ut facile conſtat, omnis motus in univerſo corpore influxum ſanguinis in vaſa influxumque nervoſi liquidi in villos muſculoſos. Atque duplicem hunc influxum motus omnis in corpore obvii cauſam jure nunc vocare licebit. At quia vires corporis æſtimantur a motu, motusque ab utroque illo influxu pendet, erit etiam idem influxus cauſa virium totius corporis, ſive vitales, ſive naturales, ſive animales ſeor-

(g) Elem. cap. 1. p. 15. 16. (h) Wolff. Ontol. §. 683. (i) Conferri hic meretur SCHREIBERI argumentum novum hypotheſi influxus phyſici recens oppoſitum, daque occaſione ulterius evolutum, & GROSSE differt. de vero medicinæ principio.

ſeorſim contueri volueris. *(k)* His eousque deductis, ulterius pergendum eſt, inventoque influxu ſanguinis & liquidi nervoſi in partes ceu cauſa virium, altius adhuc adſcendendum, cauſæque utriusque influxus ſedulo quærendæ; namque iis inventis cognoſcemus ſtatim omnia illa momenta, quibus poſitis neceſſitate phyſica ponuntur in corpore humano vires, quibus deficientibus vires concidant debileque & languens reddatur corpus neceſſum eſt. Perſpicue puto evici, vires poſtulare influxum liquidi nervoſi in villos muſculoſos; jam vero liquidum nervoſum ſecernitur a ſanguine, omnis autem ſecretio ſupponit organum ſecretorium, ut ergo vires in corpore ſibi conſtent neceſſario requiritur

I. Officinæ ſecretionis ſpirituum, ſive cerebri & cerebelli legitima conſtitutio.

Per hanc autem intellectam volo eam ipſius conditionem, qua omnes canales ponuntur patuli liberique, ut ſic circulus humorum omnium ſanguiniſque maxime per meninges & corticalem ſubſtantiam in omnibus vaſis liber ſuccedat, & æquabilis, i. e. nec celeritate nimia, nec tarditate peccans. Ita enim commode a ſanguine arterioſo advecto in tubulis ſecretoriis ſeparabitur id liquidum, cujus perennis in villos cunctarum partium corporis influxus cauſa præcipua virium noſtrarum habendus eſt. Non vero ſufficit viribus corporeis conſervandis & inſtaurandis bene ſe habens ſecretionis ſpirituum officina, ſed requiritur

II. Ut adſit in corpore ſufficiens copia ſanguinis materiem ſegregandorum in cerebro ſpirituum ibidem ſuppeditantis.

Pone enim organum ſecretionis optime ſe habere, non tamen ſecernetur in eo tenue illud nervoſum liquidum, niſi adſit ſanguis, ex quo juſta copia ſecernatur. Sed ulterius pergimus, requirimusque pro viribus

III. Ut ſanguis ille fœtus ſpirituum materie, juſtaque præſens copia ſit ſimul meabilis, quo in cerebrinas arteriolas ſecretoriosque tubulos pro ſecretione ſpirituum rite penetret, ac in alias quoque partes libere ferri queat, cum, ut diximus ſupra, cum influente nervoſo, fluido ſimul ſuo influxu motum omnem in corpore præſtet.

 Ne-

(k) Videatur hic HOFFMANN. egregie conſpirans Med. ſyſt. Tom. III. p. 136. & 440.

Neque tamen & hoc momentum cum antecedentibus duobus præſentiam virium abſolvit: detur enim cerebrum in omnibus ſuis tubulis liberum, detur ſanguis bonus, i. e. refertus materie ſpirituum ſufficiens, meabilis; nonne adhuc deſiderabitur vis, qua feratur ad cerebrum & ad partes alias? Igitur requiritur

IV. Ut ſanguis ſufficiens, meabilisque ad cerebrum propellatur vi cordis & arteriarum & per totum corpus. Nititur vero vis cordis & arteriarum, fibrarum robori elaſtico, quare vires neceſſario poſtulant juſtum cordis, totiusque arterioſi ſyſtematis robur elaſticum.

Ita videntur omnia requiſita virium corporis humani poſita, nihilominus tamen quia non propulſio debita ſanguinis, nervoſique liquidi, ſed utriusque influxus in partes motum, ac ea propter vires abſolvit, ſupereſt adhuc

V. Ut ſanguis & liquor nervoſus cordis & arteriarum vi propulſus in ſingulas partes libere admittatur, quare omnium partium nervi, villique muſculoſi, omniumque partium vaſa ſanguinea patula ſint atque libera.

Et huc tandem illa momenta redeunt, quæ a viribus corporis noſtri neceſſario præſupponuntur, tam arcte vero omnia hæc inter ſe conſpirant, ut unum ſine altero vix ſubſiſtat, ſed una omnia coëxiſtere, ſibique invicem ferre amicas ſuppetias debeant ad robur corpori animali præſtandum. Quibus omnibus ita ut decebat prælibatis jam facile feretur judicium, qui fortes viribusque pollentes, quique debiles habendi ſint, curque eos præ aliis eſſe robuſtiores pronunciet Illuſtr. HOFFMANNVS, *(l)* qui ampliora habent vaſa ac fibras compactiores.

§. 5.

Theoria debilitatis.

Sed hæc de viribus prolata in medium hac vice ſufficiant. Ordo nunc dicendorum jubet, ut ex præmiſſis depromamus ingenium debilitatis, cauſasque quibus ea nititur, excluditurque, tradamus. Si virium cauſa proxima influxus ſanguinis boni & liquoris nervei in partes, erit omnino cauſa proxima debilitatis impeditus quacunque ratione hic influxus, facileque inveniemus cauſas eum impe-

(l) Med. Syſt. Tom. III. p. 136. 223. 224.

impedientes, ubi ad ea momenta ſecundum ordinem attenderimus, quibus poſitis poni eum, paulo ante monſtravimus. Naſcitur ergo debilitas in corpore animali

I. Ubi ſecretionis ſpirituum officina non rite ſeſe habet, ſeu cerebrum & cerebellum quacunque de cauſa male eſt affectum. Hanc vero malam affectionem in eo colloco, quando dilatata nimis vel obſtructa vaſa ſanguifera membranarum ac ſubſtantiæ corticalis cerebri, aut ex iis effuſa liquida, tubulos medullares, nervorumque principia ita gravant premuntque, ut nec ſecretio nervoſi fluidi, nec itus reditusque ejusdem libere & æqualiter valeat ſuccedere. Siſtite vobis ante oculos Lectores! robuſtiſſimum hominem Herculeis viribus pollentem, ſed concipite ſimul eum ſubito apoplexia, corripi, quid inde? Nonne in momento ita omnibus ſuis virtutibus motricibus exuitur, ut in terram proſtratus ſtipitis inſtar jaceat, nec vel muſculum unum eorum, quos omnes ſuæ antea voluntati ſubjectos habebat, moveat amplius. An autem ullam aliam ſubitaneæ hujus debilitatis cauſam allegare poteritis, præter compreſſionem principiorum nervoſorum a ſanguine intra calvariam vaſa diſtendente vel rumpente penitus? Cogitate phreniticos, ubi morbus in vigore conſtituitur vix cuſtodibus coercendos, ſed paulo ante mortem ſæpe debiliſſimos ob gravatos intus in capite medullares tubulos a mole arteriolarum ſanguine tandem ad crepaturam usque turgentium, aut ob gangrænoſam corruptionem, exiliſſima & pulpoſa cerebri filamenta jam miſere depaſcentem. In memoriam quæſo revocate vulneratos in capite & contuſos; an aliunde derivabitis motuum ſæpe ſub ipſum læſionis momentum obvenientem impotentiam, viresque exſolutas, quam ab aggeſto in vaſis, coacervatoque ac evaſato ſanguine alveolos interiores cerebri comprimente. Demum, ni grave ſit, ad ebrios attendite titubante greſſu, incertisque pedibus incedentes, in lapſus antrorſum retrorſumque proclives, ac vix vergens in omnes plagas, nutansque corpus ſuſtinentes; ſique rixas & bella ſerere machinentur, fœmineo ſæpe certamine ſuperandos. Si quæras unde illa ab impigris hauſtibus generoſioris meri virium depauperatio, quas cœteroquin mire inde refici conſtat, reſpicere ad confuſum per caput interius humorum circuitum debeo, di-

 ductos-

ductosque vini ſpumeſcentis calentisque impetu vaſorum cerebrinorum alveos allegare cogor, nervos moleſte afficientes. Poſſem, niſi ſatis vobis perſpici ducerem lectores! debilitatem urgentem, ſummamque interdum naſci a ſolo cerebro male affecto, vos ab hominibus ducere ad boves in momento omnibus viribus ſuis exutos, ac in terram protinus proſtratos, ſimul ac fatalem lanionis ictum ſuſtinuere. Poſſem allegare debilitatem illam, quæ ab abuſu opiatorum ſanguinem in vaſis cerebrinis rarefacientium, & ita pulpoſa nervorum filamenta male afficientium exoritur. Nolo autem odioſa prolixitate id adſtruere, quod neminem in dubium vocare poſſe confido. Tranſimus igitur ad aliud momentum mirum quantum ad debilitatem toti corpori inferendam faciens, memoramusque

II. Sanguinis boni defectum.

Ponite enim ſanguinis, aliorumque humorum laudabilium in corpore penuriam, unde tum ſuppeditabitur ſpirituum in cerebro ſegregandorum materies, unde expectabitur ſufficiens ſanguinis continuusque ejus ad cerebrum appulſus ad perennem undarum nervoſarum ſecretionem requiſitus? Hac ergo deficiente atque imminuta neceſſario collabentur, quæ inde pendent, vires. Atque ex ſolo hoc capite derivari debet ſtatim ſuccedens eminentioribus ſanguinis aliorum bonorum humorum profuſionibus ingens debilitas, nam non tantum eapropter exhauritur ſpirituum quaſi promptuarium, ſed ſimul qui appellere ad cerebrum debebant continuo humores, ab eo deflectunt preſſione eorum ad alia loca declinante. Toto die cernere eſt ægros vulneribus, hæmorrhagiis narium, hæmorrhoidibus, menſibus, lochiis nimiis miſere debilitatos. Toto die occurrunt ſudoribus profuſis, diarrhœis, ſalivatione, venere, lactatione, fame, morbis gravibus &c. ita viribus exhauſti, ut vix movendis artubus, ſuſtinendoque corpori pares inveniantur. Quis vero dubitabit omnes illos inferre catalogo debilium a bonorum humorum in corpore penuria, vaſorumque non ſatis liquidis repletorum collapſu? Studio autem citavi non in genere defectum humorum in vaſorum ſyſtemate, ſed bonorum humorum penuriam. Sint enim vaſa omnia liquidis plena, imo vero ſit in corpore plenitudinis humorum magis quam defectus vitium.

Multum

Multum vero tum demum refert an iis qualitatibus polleant, quæ ſanis humoribus ſunt propriæ, aliter nempe nihil proderunt viribus, quando nobiliſſimis illis particulis haud referti ſunt, quibus ſi legitime in cerebro ſecretæ, nervorumque alveolis inſinuatæ fuerint, omne corporis robur abſolvitur. Semper eapropter cum illuſtr. HOFFMANNO (*m*) obſervabunt medicinam facientes, omnibus illis affectubus qui a conferta crudorum & impurorum humorum copia originem trahunt notabilem languorem, viriumque lapſum perpetuo fere jungi. At vero nil magis vitalia noſtra liquida inepta reddit ad præſtandas corporis partibus vires, quam ſi illæ putridis inquinamentis ſcateant, fœdisque hujuſcemodi halitibus admiſtis deturpentur. Norunt Medici id proprium eſſe febribus, quas vocant, malignis, ut ſimul ac vel ſaniſſimum hominem adoriuntur ſtatim & ſubito ejus vires concidant omnes, ſingulæque facultates corporis ſua a deficientibus potentiis motricibus damna experiantur. Eo autem fere hodie redeunt ſummorum Medicorum ſententiæ, ponendum eſſe malignarum ingenium in putredinoſa ſanguinis diatheſi, viſcerumque ſphacelationibus ſaltem has in demortuorum cadaveribus ſemper extiſpicia detexere. Quare rectiſſime omnino concluditur inſignem illum languorem haſce febres concomitantem putredini non ſine ratione tribui. Et quid multis? adeatis ſi volupe eſt hominem laborantem phlegmone brachii ingenti a cauſa quacunque, & laborantem ita, ut brachium jam tendere incipiat in corruptionem gangrænoſam. Quæſo autem vos, ut nares ſollicite comprimatis, ne fœtidiſſimi halitus eas libere feriant, ſed vel hujus moniti memores ſi delicatuli fueritis, parum aberit quin in animi deliquium incidatis tumque deſinetis mirari qui fiat ut miſer ille homo jaceat debiliſſimus putridis particulis jam in omnem humorum oceanum ſeſe diffundentibus; atque intelligetis ſimul cauſam illius debilitatis, quæ viſcerum vomicas & ulcera, phthiſin, hydropem, hecticam comitatur. Nil ergo magis hoſtile viribus animalium quam putredo. Sequitur nunc

III. Sanguinis denſitas atque immeabilitas.

Illa

(*m*) Med. ſyſt. Tom. III. pag. 136.

illa denſitas ſive lenta ſit & glutinoſa, ſive phlogiſtica fuerit, pari ratione poſt ſe trahet virium debilitatem. Ponamus enim ſubtiliſſimas ſeri particulas, quæ comitari ſanguinem in ſummos apices arterioſos debebant difflatas, aut quacunque demum ratione deperditas, ſi nunc compactior ita redditus & viſcidior ſanguis intrare neget arteriolas piæ matris corticisque cerebri, ex quibus tubuli ſecernentes nervoſum fluidum oriuntur, aut ingreſſus ſua mole diametrum eorum multum ſuperante illos obſtruat & occludat, utroque modo impedietur ſecretio ſpirituum & vires ita detrimentum haud exiguum patientur. Quibus intellectis ſimul perſpicitur, ſolam plethoram complicari poſſe cum penuria virium quod obiter intuentibus vix concipitur. Verum data majori copia liquidorum in corpore, quam quæ commode capitur a vaſorum omnium ſimul conſideratorum alveis, omnino ſanguis reddi debet immeabilis, dum liber ejus motus proportionem legitimam inter molem movendam & ſpatium per quod movetur ſupponit. Diductis inſuper nimis & expanſis in omnem ambitum vaſis univerſi corporis diducentur, & vaſa cerebri ſanguineque turgentia comprimient nervos, eorumque principia ac ſic ſecretionem & ingreſſum ſpirituum in nervos impedient, ſimulque virium defectui anſam ſuppeditabunt. Neque vero minus ad eundem vel excludendum vel fovendum facit

IV. Fibroſæ compagis, qua cordis muſculus tunicæque arteriarum muſculoſæ conſtructæ ſunt, flacciditas ac imbecillitas.

Fibris quippe cordis & arteriarum languentibus minusque elaſticis, ſi vel maxime ſecretioni ſpirituum faveat cerebrum, ſique in ſanguine ſatis meabili egregia ipſorum detur materies, non rite movebitur ſanguis per omnia corporis vaſa, non rite applicabitur cortici cerebrino, ideoque nihilominus languebunt vires. Reſtat tandem ut inter ea, quæ viribus inimica ſunt, referam

V. Vaſorum ſanguiferorum, nervorumque ad partes excurrentium obſtructiones.

Hæ quantum valeant ad impediendos partium motus, adeoque ad infringendas earum vires motrices, unum clariſſime docet paralyſeos ingenium. Liga quippe arteriam ad muſculum aliquem ten-

tendentem, vel comprime nervum ad eundem abeuntem, & ſtatim exſpirabunt omnes illius muſculi vires, quibus antea movebatur.

§. 6.

Ita viſis antea iis quibus ponebantur vires, nunc contraria eorum quoque luſtraverimus, ſive ea quæ defectum virium producunt. Neque eſt ut aliquis praxin perpetuo clamans exiſtimet, huiuſcemodi meditationes nimis olere lucernam lucubrationibus in muſeo inſervientem, atque ad lectum ægri nil prodeſſe Medico clinico. Abarcendi eſſent jure ab omni debilium curatione, qui ita ſtatuere haud erubeſcunt. Næ! ille egregie ægris languentibus medebitur, qui interrogatus neſciret forte quid ſint vires, quibusque præſidiis ſubſiſtant, quibus impedimentis deficiant, ſed totus inhæreret ſuis cordialibus remediis, ab ignaris hominibus ſoli lucro inhiantibus in artem introductis. Cogitent illi quæſo, quibus talia ſordent, ſolum effatum HOFFMANNIANUM: (n) *Imbecilles eſſe eos quibus fibræ ſunt laxæ, vaſa anguſtiora, ſanguisque parcior.* Cogitent quæſo HIPPOCRATEM jam ſuo tempore a molliori textura vires imbecilles derivaſſe. (o) Conſulant experientiam toto die monſtrantem luculenter gravioribus capitis ægritudinibus ſæpiſſime accedere virium languorem, & tum judicent, an ea quæ cauſas remotiores debilitatis conſtitui hactenus, ſolido vel lubrico fundamento innitantur? Crediderim ego ſanam ſuadere rationem, ut ad has cauſas cardiaca remedia referantur, eaque ſola habeantur pro cardiacis veris, quæ tollendis his cauſis juſto inſtituto examine deprehenduntur ſufficientia. Si igitur cardiaca vocanda ſunt, quæ vires augent per ea quæ huc usque adſtructa ſunt, cardiaca ſalutanda erunt

Theoria Cardiacorum.

I. Quæ cerebro male affecto conſulunt, ſive ejus vaſa ab infarctubus & compreſſionibus liberant.

Illud ſatis certum eſt, ſi in ægro debili ſimul adſit ingens pertinaxque capitis dolor, ſi ille deliret, ſi ſoporoſus jaceat, ſi tremat, convellaturque, omnia cardiaca remedia in caſſum adhibiturum Medicum,

(n) Med. ſyſt. Tom. III. p. 136. (o) de gland. ſ. 11.

niſi laboranti cerebro, quod certiſſime tum oppreſſum eſt obſtructumve, arte ſagaci ſuccurrat. Docet vero attenta rerum conſideratio, nil magis hic requiri, quam ut

1. obſtruens & comprimens moles attenuetur, diluatur, ſolvatur.
2. ſanguinis impetus ab interiori capite declinetur & ad loca minus nobilia invitetur.

Indigentiſſima ſæpe eſt hujus methodi febrilis præcipue debilitas, toties inanibus & ridiculis fere remediis excipi ſolita; quid enim ad hæc omnia cum gemmis aliis margaritæ, pulveres vitales & bezoardici, eſſentiæ dulces, terreorumque apparatus omnis? Dolendum valde omitti hic utplurimum diluentes & attenuantes potus, nitroſa, ſubacida, ſaponacea, V. Sem, fomenta capiti admovenda, clyſteres, epiſpaſtica, pediluvia, quibus ſolis non raro hæc debilitas foret expugnabilis, nullis aliis remediis ſananda unquam.

II. Quod ſi debilitas nata in corpore producatur a defectu boni ſanguinis, promptuarioque ſpirituum exhauſto, tum cardiaca erunt quæ mox ſpiritus ſuppeditant, aut talia vaſis infundunt liquida, ex quibus commode ſufficientique copia in cerebro ſecerni ſpiritus queunt.

Turpiter ſe fallunt Medici, qui auro, gemmis aliisque putatitiis cordialibus ineſſe radios in nervis tranſeuntes, aut neſcio quid aliud gratis ac inepte reputant, quod ſubtilis nervoſi liquidi proventum immediate inſtauret, ſpiritusque proxime ſuppeditet. Ponderoſis ſatis ratiociniis demonſtrari poſſe videtur, unum eſſe in corpore animali quod nutrit & quod movet. Omnium in corpore ſubtiliſſimus humor eſt, qui in cerebro ſecretus vaſa omnium ſubtiliſſima nervos intrat, & in fibras influens motum præſtat, vel centum egregiis experimentis hoc ipſum teſtantibus. Verum & nutritionem vere abſolvi in vaſis minimis ſuaque exilitate nervis ſimillimis (ex quibus tandem omnia majora coaleſcunt) ratio dictat; quare ille humor qui ea ingreditur, nutritionique proprie dicatur ultima in corpore arte elaboratus atque ad exquiſitam ſubtilitatem evectus ſit oportet. Licebit igitur eapropter aſſerere cauſam tam nutritionis quam motus corporis proximam eſſe eandem, vel ſibi

mini-

minimum ſimillimam. (*p*) Cum ergo nutritio ſive liquidorum deperditorum & particularum, quæ a ſolidis ſenſim motu perenni circulatorio detritæ ſunt, reſtitutio unice derivanda ſit ex cibo ac potu, ex his ſolis etiam prudenter expectari poterit motuum corporis viriumque, quas illi ſupponunt, conſervatio atque inſtauratio. Sine ingeſtis itaque ut nulla nutritio corporis, ita & nullæ ejus vires conceptu poſſibiles, adeoque ex ingeſtis vi corporis debet elaborari ultimo ille ſubtiliſſimus humor, qui proxime & nutrit & movet. Multis tamen adminiculis, variisque præparationibus intermediis hic opus. Neque enim antea vel nutrire vel movere poſſunt ingeſta ac ex iis nati humores quam eousque attenuati vaſorum actionibus fuerint ut ingrediantur, nervos & vaſa his exiguitate ſimilia. Docent autem nos obſervata Harvæana, Malpighiana, Boerhaaviana, (*q*) ſerum illud ſanguinis flaveſcens, quod ſponte per quietem a grumo ſolet ſecedere; quodque exacte albumini ovorum reſpondere obſervatur; continere materiem humorum omnium ulterius elaborandorum in vaſis ab arteriis ſeroſis ſanguineis minoribus, ad minutiſſima usque; quare & continebit illum ultimum humorem, qui cauſa ſalutatur & nutritionis & virium. Quid ergo nos amplius impedit quo minus aſſeramus, alimenta illa & potulenta quæ ingeſta in corpus actionibus ejus ita mutari poſſunt, ut ſuppeditent ſerum albumini ovorum ſimile appoſitiſſima fore & præſtandæ nutritioni & inſtaurandis viribus? Unde vero id ſperaretur confidentius quam ex humoribus ſanorum animalium, quibus illa nutriuntur, quibus vires ſuas debent; lacte præcipue eorum recens mulcto, & juſculis ex illorum carnibus vaſe clauſo paratis utpote quintam tunc quaſi eſſentiam humoris jam elaboratioris & ſpiritus citius ſuppeditaturi continentibus, ut de ovis, pane, vinis fragrantibus taceam. Non vacat hic coacervare catalogum alimentorum viribus reſtaurandis præcipue faventium; ſufficit mihi adſtruxiſſe luculentiſſime, fruſtra laborare illos Medicos, qui defectui materiei pro ſegregandis ſpiritibus ex pharmacopœorum officinis ſubveniendum arbitrantur, ut ut inde alio fine cardiaca ſub-

 inde

(*p*) Vid. Boerhaav. inſt. 447. 451. 452. Wreden opuſculo germanico de nutritione.

(*q*) Boerhaav. Ch. Tom. II. pag. 305.

inde peti poſſe haud negem. Defero nunc rem omnem ad æquum ſanæ rationis, caſtiſſimæque experientiæ tribunal, huicque ſoli ferendam ſententiam relinquo, an illi medentum, qui debilitatis ex hæmorrhagiis, diarrhœis &c. ac, ut paucis me expediam, ægris vires proſtratas ob defectum jacturamque humorum laudabilium experientibus pulveribus, gemmatis terreſtribus, vitalibus, cordialibus, ſolaribus, nervinis, aliisque hujus furfuris ſuccurrunt, an illi Medentum, inquam, indulgentes perperam uſui tyranno excuſari mereantur, an ſibilis potius & cachinnis excipiendi ſint? Ego quotidiana ejusmodi peccata practica ſilens prætereo, quo famæ meæ ab odiis, chartæque huic ab iniquis invidioſisque roſionibus caveam.

III. Poſito defectu ſpirituum ea etiam merebuntur jure cardiacorum elogium, quæ ſtimulo leni gratoque agentia in tubulos nervoſos eorum actionem excitant, languentesque inibi ob penuriam motores ſpiritus commovent agitantque, ut tantiſper motubus, utcunque præſint, donec reparata fuerit congruis alimentis & potulentis exhauſta ipſorum copia.

A longo inde tempore, ac ab ipſis ſtatim artis noſtræ primordiis ea pro cordialibus habita ſunt inter Medicos, quæ grariſſima effluvia de ſe ſpargunt, odoreque ſuavi reficiunt & merito quidem. Namque vix invenietur, qui non expertus fuerit ipſe multoties, quam mire, quam celeriter inde recreentur vires, ut abitum ſæpe jam parans a corpore ſuo anima quaſi revocetur, ſpiritusque torpidi, otioſi, emorientes præeſſe ſuis iterum muneribus jubeantur. Pertinent ad hanc claſſem ea omnia, quæ fragranti oleo in minutiſſimas moleculas, ſubtiliſſimosque halitus diviſibili pollent, quibus illi exiles nervoſos tubulos penetrent, ibidemque immediate in liquidum, quod illi vehunt, agere queant. Referri igitur huc debent aromata varia, herbæ, flores, cortices, fructus grato odore inſignes, aquæ ſtillatitiæ, & olea deſtillatione inde elicita, balſama, reſinæque ſubtili & volatili oleo præditæ, præparata officinalia ex his innumera, ſpiritus volatiles oleoſi, Tincturæ, Eſſentiæ, elixiria, elæoſachara, Syrupi, confectiones, conſervæ, balſama liquida, condita, proque uſu externo aceta, aquæ ſpirituoſæ, ſpiritus apoplectici &c.

Ingens

Ingens vero ille apparatus cordialis & analepticus, ſi attentius conſideretur, perpenſis probe iis, quæ ſub Num. 2. modo ediſſerui, ſtatim apparebit ultro, nil in eo omni deprehendi, quod veram materiem ſpiritibus ſuppeditaret. Sed omnia ex eodem deprompta ſi curate examinentur, non niſi gratiſſimo ſtimulo agere in nervos corporis noſtri deprehendentur. In omnibus quippe acrimoniam quandam facillime lingua detegit, & ex omnibus oleum ſubtile, ſalque volatile ars educit. Quare cum his principiis operentur in corpus animale, nullisque aliis non aliter agent, niſi ſtimulando. Eritque ſtimulus ille eo evidentior, quo ſal illud oleumve arte vel natura concentratum, evectumque magis reperitur. Unum in hujus aſſerti fidem intueamur cinamomum communi conſenſu Medicorum inter præcipua cordialia hactenus relatum; Cujus oleo ſoli decantatus ille pulvis Cellenſis ſuas vires debet, cujus aqua nunquam omittitur facile, quando cordiales ſuas & analepticas potiones Practici præſcribunt. Lingua omnino, guſtusque ſenſu deſtitutus ſit oportet, qui ſtimulantem, imo vero inflammantem acrimoniam huic denegaret, neque foret difficile non oleo cinamomi, ſed ejus aqua paulo ſpirituoſiori creare in corpore cujusvis hominis febrem acutiſſimam, quam nemo ex alio fonte, quam a ſolo ſtimulo prudenter deducet. Atque hæc quæ de cinamomo dixi, de omnibus valent hujus claſſis cordialibus, quibus utique in artis exercitiis neutiquam carere poſſumus, cum uſu eorum & placere & prodeſſe ægris ſæpiſſime queamus, ſi ſaltem promiſcue ut quandoque fit ad ea non confugiamus, querelas præcipue Sydenhamianas de inſigni cardiacorum abuſu memori ſemper animo tenentes. Favet hiſce meis cogitatis de actione cordialium oleo ſaleque grato, leniterque ſtimulante præditorum ſententia viri inſignis Joh. Bohnii, quam non poſſum non integram huc adſcribere: *Senſibus obvia eſt activitas*, inquit, *volatilium quorumcunque in ſpiritibus torpidioribus excitandis, horumque motibus dirigendis, minime tamen quaſi cum ipſis coëant, hosque per analogiam ſubſtantiæ enutriant, quod confortare communiter ajunt, ſed quod per mobilitatem & impetus ſuarum particularum penetrantium fibras organorum ſentientium vellicent ac laceſſant; qualia ſunt aromatica, moſchus, ambra,*

caſtoreum, hincque parata olea & ſpiritus Sulphurei, item ſalia urinoſa cum Sulphurubus ejusdem indolis, acida etiam generoſiora, acetum ſimplex, vel cum ruta, flor. lavend. lil. convall. medicatum. (r) Quando autem ex hactenus ſtabilitis conſequitur nullum remedium ſapore, odoreque deſtitutum huic cardiacorum ſtimulantium catalogo jure poſſe inferri, ſtatim ſimul liquido conſtabit, pulveres illos decantatos cordiales ſolares, vitales &c. inſipidos & inodoros ſive magno pretio veneant, ſive minus, ſive crebrius uſurpentur a Practicis, ſive rarius, neutiquam eidem adſcribi poſſe; Neque eſſe poſſibile, ut hi agant in nervos, eosque qui hoc ipſum non verentur aſſerere, aut non intelligere fabricam, uſumque nervorum, aut cum hac cognitione non rite, ut decebat, comparare remediorum operationes. Sed hæc omnia nunc miſſa facientes ad alium ordinem cordialium tranſitum paramus reſpondentem defectui virium a fibroſæ compagis laxitate potiſſimum excluſum meritoque proinde ad cordialia referimus.

IV. Quæ fibrarum omnium ac earum præcipue, quibus cordis muſculus arterioſique ſyſtematis tunicæ coaluere, flacciditatem adducunt, ipſisque novum ita robur elaſticum conciliant.

Quando nimirum fibrarum elementa laxius inter ſe cohærentia, minori ita elatere pollent, ac remiſſius tum, minusque valide in fluida propellenda queunt agere, ſequetur tardus minusque æqualis ubique fluidorum circuitus. Cum vero vires corporis per ſupra adſtructa ponant fibrarum omnium robur elaſticum, opus erit ut iis debilibus exiſtentibus ea porrigantur medicamina, quæ ipſis applicant tales moleculas, quibus firmius inter ſe nectantur elementa, ut ita robuſtiorem compagem fibræ adipiſcantur. Id vero efficiunt optime præter alimenta congrua, illa potiſſimum remedia, quæ acido auſtero terreſtri, martialique principio conſtant, quorum omnium multiplex datur copia, multiplexque in officinis remediorum inde natorum ac varie compoſitorum farrago proſtat. Non negandum ergo eſt terris ſigillatis, bolis, cretæ, gemmis, præparatisque chemicis terreſtris indolis, niſi rigoroſius cum iis agere velimus, relinqui debere illum locum, quem ſub adſtringentium catalo-

(r) de offic. Med. lib. I. cap. 18.

catalogo hactenus occuparunt, adeoque ea rigidiores reddent laxas antea fibras, tumque hoc nomine cardiaca poterunt audire. At enim vero num propterea tolerari in praxi, excuſarique queat enormis ille terreorum cardiacorum uſus, numque opus ſit, ut omnes ægri virium proſtratione laborantes ſine diſcrimine ad terreſtres pulveres ablegentur, (maxime cum illi ultra primas vias vix penetrent, difficulterque in vaſa ſanguinem reliquosque humores vehentia agant,) de eo quidem mirum quantum ambigo, inferius aliqua adhuc de hoc argumento elocuturus. Converto me tandem ad illa cordialia

V. Quæ ſanguinem immeabilem reſolvunt atque attenuant, liberumque iterum fluorem liquidis omnibus elargiuntur.

Illa liquidorum immeabilitas duplicis generis eſſe deprehenditur; Alia enim ſimpliciter viſcida eſt & glutinoſa, alia inflammatoria; illa frigida, hæc calida vocari poſſet. In priori aquoſa ſalina, ſaponacea, volatilia, acriaque omnia conducunt, quæ in tali caſu cardiaca vocitari poſſent; In poſteriori aqua, acetum, ſuccus citri, mel, ſyrupi officinales ex ſuccis horæorum acidulis parati pulchre proſunt, tumque hæc iterum cordialium nomen tuebuntur. Hinc patet, cur aqua ſimplex largius pota rectiſſime ſalutetur cardiacum ſummum, quo tempore vero ac quousque ita ſalutari mereatur. Pendet etiam quandoque immeabilitas, ut ſupra annotavimus, a ſola plethora nimis diducente vaſa, nimisque diductis adjacentia comprimente, ſique hanc in culpa eſſe ſigna indagata doceant VS. proprium & aptiſſimum huic immeabilitati curandæ remedium, optimum adeoque cardiacum medicamen habebitur. Quam mire ergo differunt inter ſe cardiaca, quam varia variis conditionibus corporis cum virium penuria complicatis ſunt accommodanda. Nemo autem facile ad ſpiſſitudinem & immeabilitatem humorum tollendam terreſtres pulveres ſuaſerit, cum incraſſantem illi potius quam attenuantem vim exerceant, quare nulla prolixiori deductione opus, arbitror, terreſtria non poſſe ingredi claſſem præſentem cardiacorum immeabilitati præcipue ſervientium. Accedo tandem ad illam ſeriem cordialium

VI. Quæ vaſorum transmittendo ſanguini, fluidoque nervoſo ad

partes

partes deſtinatorum obſtructiones, remoram nunc utrique fluxui injicientes removere apta obſervantur.
Cauſæ harum obſtructionum in vaſis ſanguiferis, nervisque ipſis variæ. Peccat interdum viſcoſitate fluidum canalesque, per quos decurrere debebat, ſibi ipſi occludit, dum mole ſua vaſis capacitatem ſuperat, de qua re modo diximus. Alio tempore tumor inflammatorius, ſcirrhoſus, œdematoſus, calloſus &c. vaſa comprimit, vel in ipſis tunicis ea conſtituentibus modo tumidis, modo ſpaſmo conſtrictis &c. cauſa arctans eorum orificia hæret, vel tunicæ inertes actionemque ſuam rite exercere ineptæ liquidum quieſcere efficiunt, ac ita obſtructionem excludunt. Alio tempore liquida vi urgentur in vaſa, quæ ſecundum naturam tenuioribus ſaltem fluidis ferendis deſtinata ſunt, igitur errore loci huc delata liquida hærent, & peregrinum canalem obturant. Valde igitur juvat dextre obſtructionis, cum qua res eſt, naturam cauſasque penſitaſſe, quum eidem expediendæ non omnia omni tempore inſerviant. Quando autem obſtructiones vaſorum pertinent ad cauſas fractarum virium, ſequetur, ea omnia quæ obſtructiones removendo vires reſtituunt, pertinere ad cardiaca, quibus ſingulis nunc percenſendis haud immorabor. Non vero facile vereor, ne aliquis terreos pulveres tollendis obſtructionibus pares eſſe adſtruat, quare ſecurus eos omnes ab hoc catalogo cardiacorum obſtructiones expugnando vires inſtaurantium excludere potero.

§. 7.

Rejectio cardiacorum terreſtrium.

Et huc usque tandem res meas perduxi de certitudine eorum, quæ hactenus ediſſerui, ſatis perſuaſus, dolens ſaltem quod prolixitatem tædioſam forte Lectoribus futuram vitare nequiverim, cum ad vanitatem vulgarium cordialium clariſſime ob oculos ponendam hæc omnia neceſſario debuerint præmitti. Poſueram nimirum primo ea, quæ in corpore ſunt neceſſaria, ut vires conſtent, deinde monſtravi impedimenta virium, tandem indagavi remedia, impedimentis tollendis apta, earumque ingenium breviſſimis adumbrare conatus ſum. Puto autem ita innotuiſſe ad nauſeam usque, ut aliquod remedium condigne vocetur cardiacum, neceſſum eſſe ut

1. vel cerebro laboranti ſubveniat.
2. vel bonos & ſanis ſimiles humores ſuppeditet.
3. vel grato ſtimulo in nervos agat.
4. vel fibrarum elaterem languentem intendat.
5. vel humores immeabiles attenuet.
6. vel cauſas vaſa obſtruentes ſanguifera & nervoſa tollat.

Porro convictus, remque ad omnia doctorum Medicorum judicia deferri libere permiſſurus, extra omnem controverſiam collocatum eſſe aſſumo: poſita debilitate ægrorum ſemper unum adeſſe ex impedimentis virium a me allegatis, vel & plura eorum ſimul; neque eſſe debilitatem in corpore humano ægro poſſibilem, niſi in aliquo eorum culpa lateat, conſtantiſſime affirmo. Jam vero neminem facile negaturum ſperaverim, curationem debilitatis poſcere eorum impedimentorum ablationem, nec fieri poſſe ut ea prudenter impugnentur ſine prægreſſa notitia, quodnam eorum in ægro peccet. Quibus ita deductis facile conſtare opinor, illam medendi methodum eſſe ineptiſſiam, empiricam & puerilem, quæ poſthabitis omnibus indagationibus in cauſas, a quibus excluſa eſt foveturque virium proſtratio, feſtinanter ad remedia pro cardiacis circumferri ſolita, pulvilloſque civitate donatos ac vel doloſe vel imprudenter a Medentibus etiam pro cordialibus venditatos convolat, a quorum cenſu nec pulveres bezoardicos, nec ſolares, nec vitales, aliaque talia remedia nemini, quod optimum eſt, nocitura excipi volo. Illud certiſſimum eſſe exiſtimo, ſoli illi ſcopo convenire poſſe terreſtria ſine exceptione omnia ſive pretioſiora ſint ſive minus, quando fibrarum ſubeſt laxitas & flacciditas. Hic vero ea revocaſſe in memoriam denuo ac penſitaſſe ſobrie juvabit, quæ ſupra de adſtringentibus agens in medium protuli, ut pateat, quot difficultatibus nihilominus laboret robur elaſticum, a terrenis pulveribus ſolis expectandum. Cogitandum inſuper, ſi impetrari debilium fibrarum ſanatio illis debeat, longum requiri uſum, doſesque conſuetis multo majores, proportionis regulis ita omnino jubentibus. Quid enim abſurdius, quam porrexiſſe ſemel vel bis de die pulveris cordialis ſcrupulum pro acquirendo robore vaſorum, fibrarumque totius corporis? Denique quid opus terreis pretioſis,

quibus cancr. lapides, conchæ & viliſſima terreſtria quævis nihil prærogativæ relinquunt, imo vero cur pretioſioribus & euporiſtis non careremus, quando meliora multo & expertiſſima ſimul proſtant in roboranda laxiori fibra remedia, quæ inter cortex peruvianus & chalybs primas tenent? ſi his non contentus ſit artifex, licet ſumma præſtent & a nullis mere terreſtribus pharmacis expectanda, ſervet horum aliqua, ſed videat ne in electione ſuperſtitionem & ignorantiam ſuam prodat, caveatque ne in praxeos cultioris opprobrium debilibus gratis porrigat terrenos pulveres, neſcius ipſe, quid tandem mutatum in ægro corpore ipſis velit. Nemo denique otioſo prætextu ſeſe tueatur, indulgendum tamen, ſi nil unquam etiam præſtarent terrea cardiaca, eſſe moribus ſeculi. Dedecent omnem erectioris animi Medicum plus quam plebeja ejuscemodi placendi ægris agnatisque ſtudia, idque tandem apud nos aſſecuta ſunt, ut jaceat omnis autoritas Medici ordinis, ut vocatus ad lectum Medicus conſilia inire cum emunctioris naſi mulierculis, in votis ipſarum acquieſcere, vel renuentium aſſenſum emendicare ſæpe cogatur. Fervet in civitate noſtra uſus pulverum cordialium ſolarium, vitalium; vidi multoties præſcriptam eſſ. dulcem cum liquore perlarum, ubi cum viribus proſtratis res erat: at vero quis malus genius invito mihi & pro puerilibus remediis hæc & alia multa habenti imponet neceſſitatem, ut indicata omittam, otioſa porrigam, ut ſerio morbis mederi cupiens ridicula auxilia conquiram? Vellem ego ut omnes qui tricis ejuſcemodi adhuc inhærent, memori mente tenerent verba viri practicotati Joh. Bohnii: *Remedia*, inquit, *quæ ſpiritubus vigorem horum exaltando ſeu roborando proſpicere creduntur, triplicis ſunt generis volatilia, fixiora & media. Fixa in genus nervoſum hujusque incolas agere, hisque activitatem imprimere, eosque ſuſcitare & exagitare, comprehendere nequeo. Neque his ingenii mei nebulis diſcutiendis pares ſunt ætherei illorum influxus, ſeu irradicationes quales a Cinnabari etiam, hujusque ſulphure fixo ſibi Medici pollicentur.* (s)

§. 8.

(s) de offic. Med. part. I. c. 18.

§. 8.

Poteram hic tractationis filuum de cardiacis terreſtribus abrumpere, ſed ut eo melius pateat, quam ridiculus ſit ipſorum uſus, placet adhuc inquirere paulo ſpecialius, cur tandem olim uſurpari in arte cœperint, tum enim quando nil aliud præter ſuperſtitiones & fabulas intruſiſſe hæc remedia in medicinam liquido evinci poteſt, nauſea omnino moveri debet ſolide doctis Practicis, atque ab omni empiria alienis. Dolent hi omnes vehementer, nondum eheu! exſpiraſſe infelix illud, obſoletamque ſuperſtitionem olens dogma de panchreſtis auri virtutibus in medicina; cum ſemper adhuc reperiantur, qui panaceas inde parant, ac iisdem credulorum & vim remedii ex pretio æſtimantium ægrorum fiduciam inflare & fallere non erubeſcunt. Mirum autem videri poterat, laudes illas hyperbolicas, omnemque hominum ſuperantes fidem, quæ cordialibus terreæ naturæ tributæ a tot auctoribus leguntur, maximam partem deberi traditionibus de auri ad morbos deſperatiſſimos abigendos efficacia, ejusque præcipue inſigni cardiaca virtute, ita vero omnino rem ſe habere clariſſime in ſequentibus apparebit. Græcis equidem hoc metallum in medicina nondum fuiſſe adhibitum, ex illorum monumentis conſtat. Sed Arabes primo eidem confiſi aurum in foliola ductum ſuis compoſitionibus admiſcuerunt, ut inter alios annotavit in ſua hiſtoria medicinæ vir eximius Joh. Freind, (t) tandemque poſt Paracelſum ejusque aſſeclas ingens ſurrexit Chemicorum mendacium numerus ad noſtra tempora usque, qui de auri ſolutione ſolaribusque remediis arte chemica paratis ad prodigium usque blaterare auſi ſunt. Quod vero de auro modo edixi, de gemmis etiam dicendum, quarum mentionem aut nullam, aut rariſſimam invenire licet in veteri medicina græca; ſed multo uſus earum eſt recentior, atque iterum Arabes, a quibus etiam aliæ nugæ ſat multæ ad noſtra tempora derivatæ ſunt, eas primo uſurparunt, largisque doſibus variis remediis adjecere. Quodſi nunc quispiam teneatur ſollicitus, cur tandem tot Chymiatri ſcriptores gemmas inter remedia & inter cardiaca ſpeciatim relata cupiant, nullum aliud reſponſum feret, quam latitare in iisdem ſul-

Lepidæ circa ætiologiam terreorum cordialium narratiunculæ.

Cc 2 phur

(t) pag. mihi 316.

phur metallicum ac præcipue ſolare, huicque ut auro ipſi inſignem inhærere virtutem medicamentoſam. Cito ſaltem, qui inſtar omnium hic eſſe poſſunt, SCHROEDERVM & commentatorem ejus HOFFMANNVM, omnibusque, qui horum opera inſpexere, notum reputo, utrumque non vereri aſſerere, gemmas vel appenſas cor exhilarare, multoque magis intro aſſumptas cordialem virtutem exercere, ob ſulphur ſolare, quo imprægnatæ deprehenduntur, ut ALBERTVM MAGNVM *de ſecretis*, BOETIVM de BOODT *in gemmarum & lapidum hiſtoria*, aliosque ſcriptores innumeros taceam. A gemmis me converto ad *terras ſigillatas*, quarum vires cardiacas priſtinis temporibus ipſis aſſignatas ſi ſpectemus, ubique ſulphur minerale, modo nobilius, modo ignobilius allegari inveniemus pro differente dignitate loci natalis ipſis, ut fertur, adhæreſcens. Quis ignorat rerram Strigonienſem rubicundi coloris meruiſſe nomen axungiæ ſolis, aliamque ſpeciem coloris gryſei titulum axungiæ lunæ? dum illam fœtam ſulphure ſolis, hanc imprægnatam ſulphure argenti ſuperſtitioſa traditio ſtatuebat, quare prior ægritudinibus cordis, poſterior morbis cerebri a nonnullis dicabatur. (*u*) Nullum autem dari ſolum, in quo copioſius terras imprægnet ſolare ſulphur, quam Hungariam ejusque vineas, valde multi Chemiatrorum a longo inde tempore ſomniarunt, ac quicunque ſibi perſuaderi patiuntur, aurum in ipſos uvarum acinos excreſcere in Pannonia (*x*) facile etiam fabulis ſubſcribere poterunt, quibus cum multis aliis ſubſcripſit BARTHOLINUS, (*y*) terram ex fodinis auri erutam ſpeciatim vi auri analeptica pollere aſſerens, ac SACHSIVS, (*z*) bolum Toccavienſem eſſe naturæ ſolaris aſſeverans. Eadem vero etiam poſt terras ſigillatas *coralliis* contigit felicitas, ut auri ſulphure fœta non paucis viſa fuerint. *Corallium rubrum*, ſcribit FEBVRE, (*a*) *ſuo colore virtutem internam ſulphuris mineralis quod continet, indicat; Sulphur vero hoc præcipuam virtutem corallio largitur, quia eſt naturæ ſolaris.* Singulare etiam cordiale remedium corallia præbere

(*u*) SCHWENCKFELD Strigonienſem terram naturæ ſolaris eſſe: & veluti extractum ſolis in terræ viſceribus paratum mentitur in catalogo foſſilium Sileſ. p. 395. (*x*) Confer M. N. cent. IX. obſ. 45. de dubia auri uvarum vegetabilis exiſtentia, ubi vanitas hujus ſententiæ demonſtratur. (*y*) Cent. III. epiſt. p. 384. (*z*) in ampelogr. (*a*) Chym. Tom. II. p. 741.

bere docet THEOPHRASTVS (*b*) & prolixis verbis hortatur Medicos, ut diſcant rubrum illud ſolare ſulphur ex illis pro cura infinitorum morborum extrahere. Concedam autem nunc tantiſper, quod nemo credet me conceſſurum ſerio, vere latitare in gemmis, in terris ſigillatis, in coralliis ſolare ſulphur, an poſito eo, tum extra controverſiam ponitur, hæc omnia eapropter cordialia ſalutari debere remedia? Abſit hæc argumentatio quam longiſſime! Manet aurum, manebitque noſtra præcipue ætate, dum aurea vere ſunt ſecula, dum plurimus auro venit honos in marſupio cardiacum ſummum, in corpore ægro ſi toties etiam aſſumeretur, quoties in panaceis illis ſolaribus fictitiis nubem pro Junone vendunt ſordidum lucrum captantes Medicorum aliqui, metallum iners, ignobile. An enim ad hunc diem ſolide demonſtravit ullus pulverum & Tincturarum ſolarium præco, quadrare aurum indicationibus in morbo quodam leviſſimo? Anne ſanæ rationi omnibusque ſobriis artis principiis repugnat ex eodem expectare remedium polychreſtum? Nonne omnes illæ narratiunculæ, cur inde ſperari fauſta quævis liceat, ſuavia inſomnia, vel deliria medica habenda ſunt? Audiamus animi gratia OSWALDVM CROLLIVM: (*c*) *Præcipuum*, inquit, hic homo, *in tota curatione morborum eſt, ut Medicus cordi ægri bene proſpiciat, & deinde curationem aggrediatur. Qui harmonicam analogiam ſuperiorum & inferiorum intelligunt, & qui ex aſtrologorum ſuffragiis ſciunt quod ad duo maxima lumina firmamenti, ad ſolem nempe & lunam duæ principes partes corporis humani, cor nempe & cerebrum referantur, illi etiam negare non poſſunt, maximum cordiale quod in rerum natura datur, arcana ratione in auro 7. ſigillis munito deliteſcere.* Æque ſtolidum ſeſe geſſit Andr. CÆSALPINVS, quando impune eapropter auro adſcribendam eſſe vim cardiacam nugatur, quod ſua frigiditate repellat a corde pravas fluxiones, ſiccitate autem & ſubſtantia incorruptibili tueatur idem, ne putreſcat. (*d*) Papæ! ita vero comparatum eſt cum ætiologiis ſolarium remediorum omnium ad noſtra usque tempora, magisque adhuc forte inſaniunt moderni Medici, qui obtrudere eadem arti integerrimæ haud erubeſcunt, ipſique ſeſe ita otioſæ ignorantiæ & ſuperſtitionis mancipia

(*b*) Oper. germ. in 4. libr. VII. p. 93. (*c*) in baſil. chymica. (*d*) de metallis lib. 3. c. 3.

cipia tacite profitentur. Recte omnino pronunciavit cl. STAHLIUS: (e) *Si vera eſſent, quæ de ſolaribus remediis inventores mentiuntur, omnis Europa abundaret fauſtorum effectuum teſtimoniis; nil vero amplius auditur; quam quod creberrime quidem uſurpata ſint, ſed in illis ipſis affectibus, in quibus præcipue commendantur, nil præſtiterint.* Conſentit hic cum Collega olim ſuo, a quo toties aliter diſſentit illuſtr. HOFFMANNUS, dulcemque de auro in ſanandis morbis opinionem partim ex ignorantia Phyſices & theoriæ medicæ, partim ex lucri cupiditate derivat, atque medicamenta ex auro, ſive in croco, ſive in pulvere data, nihil plane efficere, quia in corpore manent indiſſoluta, ſolutionesque veras auri corroſivas & ſepticas eſſe, adeoque ad uſum medicum inhabiles damnoſasque futuras erudite judicat. (f) Aperte etiam, cujus candorem & zelum in repurganda a ſordibus medicina toties mecum laudavi, vir integerrimus Gerhardus GORIS: (g) *Aurum ore ſumptum*, ait, *nullius eſt uſus & efficaciæ: ſubdolumque inventum eſt hominum, Arabum more viventium, ne dicam prædantium, ut miſerabilium ægrorum illis plus æquo confidentium e loculis nummos callidius eliciant.* Quid vero nunc dicemus de ſulphure ſolari, quod hoſpitari in gemmis tot ignorantiæ nebulis, ſpiſſisque ſuperſtitionis tenebris occæcati inter Medicos clamitant? Gemmæ omnes nihil aliud ſunt, quam lapides pellucidi & vitra naturalia, quum artificiali vitro omnibus ſuis dotibus quam maxime ſimilia deprehendantur, ac ſine dubio eadem ratione ſale & terra ſubtiliſſima coaleſcunt, ut ex cinere, id eſt, ſale & terra arte paratur vitrum. Non negari poteſt ad ipſarum mixtionem concurrere ſimul particulas metallicas, ab his quippe egregie deduci poteſt colorum diverſitas; (h) ineſſe vero ipſis ſulphur ſolare fingitur equidem facile, ſed difficillime demonſtrabitur. Ineptum igitur eſt non enti adſcribere operationes medicinales. At vero ſit ita: gaudeant gemmæ ſulphure ſolari: nil hoc juvabit unquam miſeros ægrotantes, quia ab auro nihil commodi in eos redundat, ut modo evicimus; imo vero abunde docuit doctiſſimus STAHLIUS, (i) ſulphura metallorum omni-

(e) in mat. med. Germ. cap. 3 (f) in obſerv. chym. lib 3. obſ. 21. (g) Medicinæ contemp. p. 166. (h) Confer. POTERIUS p. 608. de gemmis artificialibus vid. JUNCK in chemia Tom. I. (i) in tractat. de ſulphure.

omnium nulla ratione inter ſe differre, quin potius in omnibus tribus phyſicorum regnis ſulphur idem prorſus eſſe & ſibi æquale. Plura dicam, ſummo labore, ſumptu maximo paratum de auro ſulphur, obſervante BORRICHIO & BOHNIO, adeo convenit cum ſulphure communi, ut exactiſſime hujus etiam odorem referat. Quid ergo prodeſſet ſulphur ſolare, ſi vel eximia copia latitaret in gemmis? nil magis, hercle! quam ſulphur vulgare. Quis vero unquam huic adſcripſit cardiacas vires? Abſint ergo a Medico rationali gemmæ, ad ſanandas ægritudines ne hilum facturæ, ſi vel aureo piſtillo in pollinem terantur, quod ad eorum præparationem alicubi requirit Zacutus Luſitanus. Perſpectam jam tenuit ipſarum ad uſus medicos vanitatem, utut aliis ineptiis ſatis ſubinde indulgeat HELMONTIUS, Pater, quando tractatui, quem *Pharmacopolium & diſpenſatorium modernum* inſcribit, ſequentia inſeruit: (*k*) *Pudendam deploro ſimplicitatem illorum, qui foliatum aurum, gemmasque contuſas hominibus magna ſpe propinant, magno vendentes ſuam ignorantiam, ſi non dolum, quaſi ſtomachus vel minimum inde expectet ſubſidium.* Cui adſtipulatus ETTMULLERUS: *Præparatio gemmarum*, ait, *nil pro uſu medico adjumenti adfert, quin potius cryſtallus loco omnium gemmarum ſufficiet. Gemmæ enim cum ſint corpora duriora cryſtallo, ipſoque vitro, patet facile quod minus adhuc quam vitrum pulveriſatum operari queant; Hinc inſulſa ſunt fragmenta 5. lap. pretioſ. aut ſpecies de gemmis, adeo ut affirmare auſim, tantum, ſi non plus, vitrum minutim pulveriſatum præſtare in corpore, quam pulverem gemmarum.* (*l*) Addit his Helmontii & Ettmülleri ſententiis calculum ſuum cl. BOHNIUS: (*m*) *A gemmis*, inquiens, *parum activitatis expectandum ac non plus quam a ſilicibus. Vix apparet, cur tantis ſumptibus propinentur, cum alia terrea & conchylia iis ſalubriora quam aptiſſime ſuccenturientur.* Optandum igitur eſſet, ut tandem aliquando, cum aurifabrorum officinis quam Medicorum uſibus, notante celeb. LUDOVICI, (*n*) aptiores exiſtant, penitus negligerentur gemmæ. Utinam eas aliquis ex innumeris formulis, quas ad hunc diem ingrediuntur felix expungeret,

(*k*) Oper p. m. 189. (*l*) Coll. pharmacevt. oper p. 723. (*m*) de offic. Med. lib. I. cap. 21. (*n*) in pharmacia moderno ſeculo applicanda. p. 171.

geret, ſed eheu! ſubeunt memoriam STAHLIANA verba: (*o*) *Diſpenſatoria reformare par eſt labor, quam nubes in faſciculos tanquam fœnum compingere velle.* Viſis autem nunc ſat luculenter fictitiis gemmarum in medendo viribus, nolo tempus perdere prolixa confutatione ſulphuris ſolaris in terris ſigillatis, ut fertur, abſconditi. Id in terris Hungariæ & Tockayenſi quam maxime latitare a multis gratis fuit creditum, ſed ſolide atque eleganter demonſtravit cl. FISCHERUS in erudito tractatu *de terra medicinali Tokayenſi*, ea omnia, quæ de ejus ſulphure ſolari tradita ſunt, pro nugis & fabulis habenda eſſe; quare in aliis terris ignobilius ſolum natale nactis, nulliſque auri mineris dives multo minus id ſulphur reperiri illico conſtare debet. Neque de coralliis multa verba facturus ſum, ſtolidus enim ſit oportet, qui ex colore eorundem non ſane a ſulphure quodam, ſed a lucis in diverſis ipſorum poris refractione pendente vires judicare, ac in eorum textura ponere aliquid vult, quod in ea exiſtere nunquam probari poteſt. Nimis etiam hodie notum eſt, tincturas illas innumeras coralliorum, quæ tantum inter Medicos ſtrepitum edidere, nil minus continere quam ſulphur aliquod coralliorum, ſed ſi forte viribus medicinalibus vere polleant, illas mutuari unice a menſtruorum indole. Sane, ut verba cl. VATERI mea faciam: (*p*) *Quicunque naturam mere lapideam hujus fruticis novit, ſtatim intelligit, quod uti alii lapides & vitra in corpore noſtro haud diſſolvi, neque in ſuccum & ſanguinem mutari, conſequenter neque cor nec aliud viſcus vel ſanguinem confortare valeant.* Atque ita, niſi omnia me fallunt, traditioni de ſulphure ſolari in gemmis, terris ſigillatis & coralliis latente ſatisfactum eſt. Non poſſum nunc præterire ſilentio *os* illud *de corde cervi*, quod tot compoſitiones ingreditur, cordialeſque & totum corpus confortantes vires poſſidere, imo vero & fœtum corroborare ab inſigni caterva Medicorum reputatum eſt. Unde vero huic oſſi tam prodigioſæ virtutes? Dicam brevibus. Generatur illud in corde animalis longævi, adeoque uſurpatum multum facere debet ad longævitatem, cordiſque elangueſcens robur in ægrorum corporibus iterum inſtaurare. Mira hæc videri poſſet & valde claudicans

(*o*) in notis ad Harvæum. p. 136. (*p*) diſſ. de coralliorum natura §. 11.

cans argumentatio, ita interim ratiocinatur ROGERIUS BACO, fuſeque inſignes hujus oſſis virtutes prædicat, ut ex eo in ſua hiſtoria Medicinæ cl. FREINDIUS annotavit. (*q*) Agnoſcent vero cum cl. BOECLERO (*r*) omnes prudentes Medici, illud præ aliis oſſibus peculiare quid præſtare poſſe neutiquam eſſe credibile, fabulisque obſoletis ſeſe decipi minime puto patientur. Quem enim latet, fibras noſtras, quo remotiores ſumus a noſtra origine, quoque annoſiores reddimur, eo ſemper rigidiores reddi, ita ut oſſeam etiam tandem duritiem obtinere poſſint, inque ſenum cadaveribus interdum ipſam arteriam magnam oſſeam fuiſſe inventam, quæ vero inde vis medica ac cordialis naſceretur? Quæ foret arteriæ oſſeæ, valvulisque cordis oſſeis præ oſſe humeri aut alio quocunque prærogativa? Nimis forte diu tricis his immoratus ſum, nollem tamen libenter ſicco pede tranſire *margaritas*, etſi ad gemmarum jam conſideratarum catalogum omnino etiam referri queant. Illas eheu! analeptico ſcopo in pulveribus potionibusque quotidie apud nos præſcribi, ingenuo commotus pudore ſilentio ſupprimere debebam, ſed apertam hujus peccati medicalis confeſſionem extorquet veritatis ſtudium. Ad ſacram hanc anchoram agonizantes recurrere ordinarie jubentur, ſed (verbis GERHARDI GORIS (*s*) utor) ni alias in fatis ſit, nihilominus viam lethi calcant, exituque funeſto ita probatur medicamentum perlatum vulgo quidem ultimum eſſe apparatum, ſed unius lucri illiciis ſplendidam hanc medicationem in ægrorum triclinium irrepſiſſe. Et quid multis? Si in perlis latent contra horridum mortis atræ acceſſum, æquo pede pulſantis pauperum tabernas Regumque turres, præſidia latebunt & in aliis terreis, quin in ipſis cancrorum lapidibus. Id quidem bene intellexit VERULAMIUS (*t*) margaritis non inferiores eſſe matrem perlarum & oculos cancrorum libere profeſſus. Cui ſuffragatur ETTMULLERUS: *Audacter affirmo*, inquiens, *ad quos uſus conveniunt perlæ & mater perlarum, ad eosdem convenire lapides cancr. nam vis cordialis ipſis adſcripta eſt ridicula.* (*u*) Optime igitur jam an-

(*q*) pag. 380. (*r*) in not ad Hermanni Cynoſ. mat med. Part II. p. 4. (*s*) p. 175. in che- dicina contempta. (*t*) in hiſt. ſua vit. & mort. p. 85. (*u*) in colleg. pharmacevt. in Schrœd. p. 695.

te multos annos medicos a præſcriptione perlarum dehortatus eſt Illuſtr. HOFFMANNUS (x) quando ſcribit: *Illarum uſus in medicina, quamvis non prorſus ſpernendus ſit, penitus tamen exterminandus videtur, quoniam mater perlarum vilis pretii, & quæ ex ſimili materia contexta eſt, easdem vires fovet videlicet abſorbentes acidumque corrigentes.* Ita autem & ipſa mater perlarum parvi facienda eſt, ut etiam SCHROEDERUS, (y) cujus tamen opus totum laudibus terreſtribus remediis dicatis refertiſſimum viſitur, non poterit non, quod mirandum, de eadem ſcribere: *Præter vires conchaŕum communes ſunt, qui vim cordialem huic tribuunt, verum quo ſucceſſu videant ipſimet.* Quibus omnibus nunc ita diſcuſſis optarem valde, ut Medici illi omnes, qui gemmas margaritasque, atque ſimul compoſitiones gemmatas & perlatas, quas inter toto die ægris offerri apud nos ſolitus pulvis bezoardicus Sennerti referri debet, ſine hæſitatione præſcribunt, ut illi, inquam, rationem reddere tenerentur, an hæc, quæ de vanitate horum medicaminum in antecedentibus edixi, neſciverint hactenus. Non ſane a me impetro ut hoc credam. Si ergo ſatis ipſis fuit cognitum, nil boni in ejusmodi pretioſis quisquiliis, ad uſus clinicos reſidere, quærere liceat, cur non ante multos annos eas ad Getas & Sarmatas gentesque Arabas, cultura omni deſtitutas, unde ortum traxerant, in exilium abire juſſerint, cur non in mare oblivionis præcipites egerint diu? An decent artem ſinceram ejusmodi nugæ? Væ vobis Medici! ſi ægri minus rudes, inque commoda ſua callidi de ſocordia veſtra, ſi de anili medendi methodo certiores reddantur, metuo eheu! ne riſui, ne indignationi eorum ſubjiciamini, ne medicina ipſis ſit abominationi, ne videatur ars otioſa, incerta, non niſi eo fine exerceri ſolita, ut habeat genus quoddam hominum licentiam & privilegia impune faciendi quæſtum, aliorumque emungendi crumenas. Sane ſi nulla alia ratio nos movet, vel hoc ſolo reſpectu ejicere decebat gemmas & alia hujus farinæ cordialia ex arte, cum in dedecus cedat medentum omnium eorundem uſus, adeo ut valde mirer exſtitiſſe aliquos, qui diſputare contra terreorum cordialium obtrectatores veriti non fuerint. Citandus eam ob cauſam venit

(x) in not. ad Poterium p. 615. (y) libr. V. claſſ. 3.

venit autor cl. *pharmaceVticæ* Frid. HOFFMANNUS valde pugnans contra eos, qui gemmas duriſſima corpora eſſe & eapropter a noſtro calore atteri non poſſe; eodemque modo quo aſſumuntur iterum rejici, aſſerunt, tandemque in hæc erumpens verba: *Hæ rationes de nihilo ſunt, non enim gemmæ alimenta ſunt, quæ in corporis noſtri œconomiam diſtribuantur, ſed medicamenta, quæ licet corporis noſtri meatus penetrare haud Valeant, Varie tamen mireque archeum noſtrum in Ventriculo afficiunt, ut in morbis curandis ſæpe miracula præſtent. Ejusmodi quippe medicamenta citra ſui penetrationem & immutationem libere imo etiam eminus operantur in archeum ſolo quaſi ſuo adſpectu, irradiatione, Vel ejaculatione ſuarum virium.* (z) Eandem, quod dolendum, ſententiam fovet WEDELIUS, (a) *metallica*, ſcribens, *aurum, margaritæ, corallia, cinnabarina, irradiatione quadam & illuminatione ſerenant, ſpiritus licet in ſe ſint temperata & fixiora paulo. Nominatim* EBNSINA *libro de medicamentis cordis Tract. l. c. 9. modum agendi medicamentorum lætificantium ſeu cor confortantium deſcripturus, lætificare ſcribit, Vel quia nutriendo reſtaurant ſpiritus, ut Vinum, aut præbent ei ſplendorem & lumen, ſicut perlæ & ſericum, aut congregando eos, aut prohibendo celerem diſſolutionem eorum, ut ſuccinum & corallia &c. Vel temperando complexionem in calidam & frigidam, vel confortando ſubſtantiam ipſorum, aut arcendo virus quod noxium eſt cordi, tetrosque Vapores melancholicos.* Certe credo digna videntur quæ de operationibus cardiacorum philoſophatur EBNSINA, ſed hoc non ipſi vertendum vitio, quid enim ſolidi ab Arabe obſcuris temporibus vivente proficiſci poterat? Hæreo autem, an excuſari posſit WEDELIUS quando immediate hoc modo pergit: *Id ſane ſi cum grano ſalis intelligatur, non eſt de nihilo, ſi concipiamus ſulphur eſſe lucis matricem, & quanto purius eſt ſulphur, tanto generoſiorem quoque foVere ſecum lucem, quam lux Vitalis ſibi attribuere & appropriare poteſt.* Neminem interim puto eo perducent hæc WEDELII & HOFFMANNI placita, ut ea quæ ſolide, ni fallor, contra ejuscemodi cardiaca omnia diſputavi in antecedentibus, infringi, concutique his arabicis ratiociniis ducat. Unum tandem adhuc latibulum

(z) p. 151. in clave. (a) in amœnit. mat. med. p. 148.

bulum ſupereſt, quo ſe recipere poſſe videntur Encomiaſtæ medicamentorum cordialium terreſtris indolis, quando acido abſorpto cardiaca ea evadere contendunt. Refert eapropter inter cardiaca BLANCARDUS (*b*) lap. cancr. teſtas ovor. matrem perlar. &c. quæ tamen non niſi ſanguinem reddendo tenuiorem & fluidiorem abſorpto acido, ut theoria ejus fert, operari edicit. Eadem ratione operationem explicat HERMANNUS: (*c*) *Confectio de hyacintho cardiaca eſt*, inquiens, *quatenus abſorbet acida, quæ ſpiritus poſſunt tenere ligatos.* Porro *fragmenta lapidum pretioſorum ad acida primarum viarum abſorbenda efficacia ſunt*, *hinc forte eſt, quod in lipothymia, palpitatione cordis & aliis affectubus laudentur.* (*d*) Tandem *lapis bezoar uterque cum margaritis & lap. cancr. convenit, in virium languore ab acido præ cœteris laudatur.* (*e*) Quotusquisque vero eſt, qui non obſervet, hanc cardiacam terreorum energiam, falſæ cuidam hypotheſi inniti? Quod ſi autem gemmarum vis abſorbendi acida, HOFFMANNO aſſertore (*f*) ſaltem derivanda a cryſtallina ipſarum indole, cur non ſubſtituitur loco omnium cryſtallus & alia abſorbentia quæcunque, ſi ob abſorptum acidi ſolum, cardiaca virtus illis competit? At quam inique acidum abſorbentia dicuntur cardiaca! quando conſtat, in aceto ipſo reſidere eximiam vim cordialem, ſaltem abſorbendo agentium cardiacorum virtus valde eſſet limitanda. Sed finem imponere tædioſo huic argumento ardeo, utinam dicta a me Practicis ſufficerent. Egent illorum multi *cardiaco* generoſo, ad rationalem magis methodum medendi debilibus ægris, excitante. Sincerus opto, ut ii, quibus de meliori luto *præcordia* effinxit Titan, quibusque ſolidis fundamentis ſuffulta medicina curæ *cordique* eſt, fatua *cordialia* hactenus nimis uſurpata deteſtentur. Ego tamen aliquando his ineptiis valedico.

CAPUT

(*b*) p. 150. von den Würckungen der Artzneyen. (*c*) in cynoſ. mat. med. Part. III. p. 122. (*d*) l. c. p. 121. (*e*) Part. III. p. 33. (*f*) in notis ad Poterium. p. 608.

CAPVT XIII.

Temperantium antorgaſticorum & refrigerantium elogium terreis detrahit.

§. I.

SPectaveramus terreſtria remedia immerito cardiacorum ſuperbientia elogio; ecce autem novum aperitur theatrum, prodeuntque exuta, quam hiſtrionum more toties jam mutarunt, perſona, aliam præ ſe ferentes ſpeciem pulveres noſtri verſipelles ſub refrigerantium larva, quam ipſis detrahere, ut nudam conſpicere liceat fraudem, laborabimus. Novum vero errorem nemo jure dixerit adſcriptas terreis remediis vires refrigerantes, ſed ad ultimam antiquitatem medicam retroceſſurus, illum, animadvertet, vetuſtiſſimum habendum eſſe. Id ſatis ubique conſtat, veteres, omnibus ſine exceptione remediis, quibus utebantur, modo humidas, modo ſiccas, modo calidas, modo frigidas adſignaſſe qualitates. Terræ autem in genere conſideratæ frigida & ſicca qualitas ab iisdem tribuebatur, quare jam primus ille materiæ medicinalis conditor DIOSCORIDES diſerte ſcripſit. (g) *Omnis terra ad medendi uſum recepta ſummam & primam vim habet refrigerandi.* Recentiori deinde tempore, cum in unum corpus chymico-pharmaceuticum redigere conaretur omnia Joh. SCHROEDERUS, quæ medicamentorum nomine venire poterant, factum etiam eſt, ut deceptus antiquitatis traditionibus, inter multas nugas, quibus indulſit, terreis quoque variis refrigerantes virtutes paſſim adſcripſerit. Ita enim lap. cancr. (h) corallia, (i) cochleæ (k) &c. ipſi refrigerare dicuntur. Secutus eum fideliter, qui raro ab eo diſſentit, Commentator Frid. HOFFMANNUS, interque alia cochleas refrigerare, (l) C. C. uſtam ebullitionem humorum ſedare, (m) ac bezoardicum minerale mire ſanguinis ebullitionem compeſcere (n) aſſeveraverit. Illi autem præcipue, qui ex falſa ſua hypotheſi, quicquid demum præternaturale corpori accidebat, ex acido derivabant, quique fermentationes & efferveſcentias humorum, renuentibus ſanioribus ratio-

Terrea pro refrigerantibus habita a longiſſimo tempore.

(g) de mat. med. l. 5. c. 94. (h) Libr. V. claſſ. III. (i) Libr. V. claſſ. I. (k) in clav p. 657. (l) Oper. p. 660. (m) Libr. III. claſſ. VI. (n) in clav. p. 659.

ratiociniis, in artem intrudere laborarunt, non potuere non calorem naturali majorem inde deducere atque eapropter terrea tanquam appoſitiſſima remedia commendare. His ſolis principiis commotus ſcripſit cl. ETTMVLLERVS: (o) *C. C. ſine igne egregium eſt, æſtuationes nimias in corpore ſedat, junctum cum unicornu vero & foſſili, terra ſigillata, coralliis, antim. diaph. &c.* & alibi *ad æſtum intenſiorem hecticorum præcipue laudari merentur antimon. diaph. bezoard. miner. lap. cancr. lap. percar. corall. mat. perl.* (p) Nolo inquirere, quid præcipue commoverit WEDELIVM, ut communi abreptus errore eadem chorda aberraverit; illud interea certum eſt, eum lap. bezoar, lac lunæ, conchas, matrem perlar. bolum armen. terram ſigillat. cryſtall. hyacinth. ſaphirum, ſmaragd. ad refrigerantia remedia retuliſſe. (q) Atque ita ad noſtra usque tempora actum eſt inter Medicos. Nullibi, quantum ego ex operibus colligo, acido-viſcidæ pathologiæ inhæret cl. JVNCKERVS, neque adeo fermentationibus & efferveſcentiis ſanguinis favet; interim nihilominus terrea lubens pro refrigerantibus agnoſcit. *In orgaſtico*, ait, *ſanguinis ſtatu abſorbentia egregie ſe gerunt:* (r) & alio loco (s) *abſorbentia marina orgaſmum ſanguinis temperant, materiam ex diſſoluta ejus compage ſecedentem incraſſant, & per vias urinarias educunt.* Valde ego miratus ſum, quem in antecedenti capite laudare debui, cl. FISCHERVM in tract. *de terra med. Tokayenſi*, quo non tantum vanitatem principiorum, quæ ineſſe creduntur terris ſigillatis, ſolide demonſtravit, ſed & vires earum precarias medicinales docte impugnavit, largitum nihilominus fuiſſe, *terras orgaſmum humorum temperare*, (t) id quod ante eum etiam cum aliis multis de terris medicinalibus jam affirmaverat cl. RIVINVS filius, virtute ſua refrigerante æſtum ſanguinis eas inhibere eloquens. (u) Atque quid juvat ire per aliorum Practicorum recentiorum ſcripta? Nullum amplius ut nominem conſultum duco, quum, pauciſſimis forte exceptis, omnes nominare deberem, ſi eos huc revocare eſſet animus, qui terreis remediis ſuam ab antiquo tempore derivatam refrigerantem

(o) ibid. p. 282. (p) Oper. Tom. II. p. 315. (q) in amœnit. mat. med. cap. de temperie medicamentorum frigida, & de medicamentorum facultatibus Tr. libr I. Sect. I. c. 5. quo de frigida temperie agit. (r) Conſp. Med. p. 138. (s) ibid. p. 471. (t) §. 69. (u) in diſſert. de terris medicinalibus cap. II. §. 2.

rantem virtutem ambabus manibus concedunt, hæcque eo nomine multoties commendant. Loquitur ad nauſeam fere Praxis quotidiana clinica ingentem & pene ad abuſum immanem evectam terreſtrium medicaminum præſcriptionem pro æſtu ſanguinis temperando. Quid enim ſibi vult tota illa innumerorum pulverum antorgaſticorum, temperantium, refrigerantium, præcipitantium, ut vocantur maximam minimum partem ex meris terreſtribus compoſitorum cohors? Vellem ego depoſito certare pretio, ad hunc diem ubi de calore pcæternaturali ægri queruntur, ubi facies ſanguine turget, ubi pulſus plenus & celerior ferit, ubi urina ſaturatiori colore tincta prodit, vix præſcribi pulverem, qui non abſorbentia reciperet, vix porrigi potionem, quæ pulverulento ſuo ſedimento nauſeam non moveret. Ita enim operam & oleum ſe perdidiſſe reputarent Medici clinici, niſi terreſtri ſuo apparatu aggredi laborarent commotiones ſanguinis, ut loquuntur, orgaſticas. Quam vero otioſus ille ſit, quam inepte, indicationibus, in ejusmodi rerum facie formandis, reſpondeat, fuſius docebo in ſequentibus, de uſu frequenti pulverum terreorum, ad calorem corporis humani moderandum, moderno etiam tempore obtinente, plura exponere ſupervacaneum reputans.

§. 2.

Innumeris forte vicibus, ſi medicos inter ſe miſcere ſermones audiamus, eosdemque ad lectulos ægrorum feſtinantes comitemur, verba eos facere deprehendemus de humorum orgaſmo, de ebullitionibus ſanguinis, de liquidorum turgeſcentia, forte & quandoque de illorum fermentatione ac efferveſcentia, a quibus omnibus pro ſynonymis communiter habitis, calor præternaturalis deduci ſolet. Atque hic idem ille rerum ſtatus eſt, quo non ſaltem diluentia, acida, nitroſa, ſed & terrea temperantia & præcipitantia, ut ſalutantur, indicari, plurimi reputant, non perpendentes forte curate ſatis, an uſus horum tum juſtus ſit, an minus. Orgaſmum equidem, cujus vox jam ab HIPPOCRATE (x) uſurpata eſt, conſiſtere ait ETTMULLERUS (y) in impetuoſiori humorum & notabiliter exorbitante motu tam inteſtino, quam progreſſivo, recteque eum Latinos per turge-

Theoria caloris in genere.

(x) aph. 22. Sect. I. (y) differt. de uſu & abuſu præcipitantium cap. I. §. I.

turgeſcentiæ vocabulum exprimere ſimul innuit. Inter recentiſſimos cl. JUNKKERUS: (*z*) Orgaſmum ſanguinis idem eſſe ac ejus expanſionem profitetur, eumque, modo produci ab excandeſcentia animi, modo ab abuſu ſpirituoſorum, ibidem eloquitur. Patet ergo Medicorum horum concordia in acceptione vocis orgaſmi, nec ſcio aliud quid ab omnibus modernis eo indigitari niſi ſanguinis turgeſcentiam, expanſionem, rarefactionem, (*a*) quam preſſo ſtatim pede conſequitur præternaturalis calor. Hujus vero nunc ingenium ex phyſicis pauliſper repetere debeo; aliter in confutandis pulveribus terreſtribus fruſtraneam operam locaturus. Omnia autem lubens ſuperſtruere conabor principiis BOERHAAVIANIS in immortali hercle! opere, de Chemia conſcripto, reperiundis, quum nemo ad hunc diem elegantius ſolidiusve de hac re egerit, nemoque certiora, rigidiſſimumque examen magis ferentia experimenta ſuppeditarit, id quod Lectoribus præſtantiſſimi libri attentis, intelligentibus diu innotuiſſe credo. Age proſequemur laudabile inſtitutum. Nullum datur in rerum natura corpus, quod igne non grandius reddatur atque tumeſcat, eſtque dilatatio, turgeſcentia, & rarefactio corporum ſive ſolidorum ſive fluidorum certiſſimum, conſtantiſſimum, ac inſeparabile prorſus ſignum præſentis ignis, (*b*) ita ut eodem gradu expanſio creſcat, quo receptio ignis in corpus expandendum major evadit. (*c*) Ignis autem elementaris cauſa una, ſola expanſionis atque rarefactionis corporum, in omni loco ſemper præſens eſt, licet non ſemper nobis detegatur vulgariter ignis præſentiam indagantibus, atque in omni quoque corpore vel rariſſimo, vel ſolidiſſimo æqualiter diſtributus hæret. (*d*) Porro inter omnia corpora hujus univerſi, ne unum quidem hactenus fuit inventum, quod ex ſe ſuaque indole ac ſponte prorſus caleret magis, quam cœtera omnia. (*e*) Ponit ergo calor ſemper cauſam aliquam, quæ diſperſum ubique ignem elementarem in loco certo colligat, atque in motum perniciorem abripiat. At primaria cauſa colligens rectiſſime habetur corporum ad ſe invicem attritus. (*f*) Mediante ſcilicet hoc attritu omnia elementa atterendo-

(*z*) Conſp. Med. Tab. VII. p. 40. 41. (*a*) ὀργᾶν nempe ut notum Græcis dicitur turgere. (*b*) Bœrhaav. Chem. Tom. I. p. 124. (*c*) Bœrhaav. l. c. Tom. I. p. 129. (*d*) Bœrhaav. l. c. Tom. I. p. 166. (*e*) Bœrhaav. Chem. Tom. I. p. 140. (*f*) Bœrhaav. l. c. p. 304.

dorum corporum vi ingenti, ſummaque ſimul celeritate comprimuntur, concutiuntur, vibrantur, moventur rapidiſſime. Igitur ignis, qui in poris corporum habitat, ſimul comprimitur, vibratur, concutitur, & in motum celerrimum ita abreptus calorem producit. (*g*) Sane quanta ſoli attritui vis ſit calorem vehementiſſimum excitandi, vel ſolum loquitur culinare experimentum, quando chalybis frigidiſſimi attritus cum ſilice creat ſcintillas, corpuſculaque exiliſſima ſilicis & chalybis abraſa, vi ignis nati vere funduntur in globulos vitreos, ut docent microſcopia, quod ſane phœnomenon ſummi ignis nota habetur. (*h*) Imo vero, quod paradoxum videbitur, nunquam ſol fervidiſſimus, in plaga telluris torridiſſima, tantum valet ignem excitare, quantum moderatus attritus, in loco frigidiſſimo, in corporibus gelidiſſimis, cito producit. (*i*) Plura referam: conſtitit per ratiocinia & experimenta BOERHAAVIANA, calorem, ſolo attritu corporum frigidiſſimorum productum, majorem eſſe, potentiorem & promptiorem dioptrico & catoptrico per vitra cauſtica enato, ſeu igne TSCHIRNHAUSIANO & VILETTIANO. (*k*) Conſtat inconcuſſa rerum harum veritas. Quam mirabilis ergo potentia ſolius attritus corporum in progenerando calore! Atque his ita hactenus deductis, videndum adhuc, quæ attritus conditiones ad majorem calorem excitandum, quæ ad minorem e contra producendum facturæ ſint, hac quippe notitia multum egebimus in ſequentibus. Poſito ergo attritu, cauſa caloris, ajo

I. Quo denſiora ſolidiora ſphærica magis fuerint corpora, quæ atteruntur, quo arctius ad ſe invicem affricantur, eo calorem excitandum fore majorem, eoque caloris ſemel ſuſcepti tenaciora illa futura. (*l*)

II. Quo vis illa, compreſſionem, attritum, agitationemque corporum ciens, erit fortior, eo major producetur calor. (*m*)

(*g*) Vid. Bœrhaav. Chem. Tom. I. p. 172. Wolff in den vernünfftigen Gedancken. von den Würckungen der Natur §. 71. & Tom. II experim. § 104. Hoffmann. diſſ. de cauſis caloris. nat. & præt. in corpore noſtro. (*h*) Bœrh. Chem. Tom. I. p. 211 (*i*) Bœrh. l. c Tom. I. p. 187. (*k*) Bœrh. l. c. Tom. I. p. 211. & 217. (*l*) Confer demonſtrationes & experimenta Bœrhaviana in Chem. Tom. I. p. 158. 173. 174. 233. 239. (*m*) Vid. Bœrh. Chem. Tom. I. p. 180. coroll. 6.

III. Quo velocior compreſſio vel attritus ille fuerit, quoque agitationes rapidiſſimæ corporum minori temporis puncto ſeſe inſequuturæ ſunt; eo major iterum erit calor. (*n*)

IV. Quo magis 1.) attritus ſolidiorum duriorumque corporum 2.) vis atterens fortis 3.) attritus celeritas ſimul concurrunt; eo intenſiori gradu ad ſummum usque naſcetur calor. (*o*)

Velim autem nunc ſollicite notent lectores mei, hæc omnia, quæ de attritu corporum caloreque inde prognato commentatus ſum hactenus, non valere ſaltem de duris ſolidisque corporibus, verum & de fluidis quoque, modo illa fuerint elaſtica, vix autem aliter. (*p*) Vidimus conditiones attritus ad majorem calorem excitandum facientes, jam oppoſitæ contrariæque expendendæ veniunt, quæ minori calori & ad frigus quam proxime acceſſuro anſam ſuppeditabunt. Sponte vero patet eas fore ſequentes:

I. Quo molliora, fluidiora, minusque elaſtica fuerint corpora, quæ inter ſe atteruntur, eo minus apta erunt calori producendo, eoque citius, ſi vel aliquis excitetur, is exſpirabit iterum. Porro, quo magis, ſolidis etiam corporibus attritis, fluida interpoſita fuerint, ut illorum contactus arctior ita fuerit præditus, eo minus calor erit expectandus. (*q*)

II. Quo vis illa attritum ciens erit debilior, eo minor inſecuturus eſt calor. (*r*)

III. Quo tardior ille atritus fuerit, eo minor erit natus ab eo calor; quo enim magis ad quietem inclinant corpora attrita, eo magis redeunt ad calorem ambientis aëris. (*ſ*)

IV. Quo magis conditiones ſub Num. 1. 2. 3 modo recenſitæ conſpirant, eo minor expectari poterit calor, aut forte plane excitabitur nullus.

§. 3.

Theoria caloris corporis humani.

Licebit nunc hæc, quæ hactenus non perfunctorie ex ſolidiſſimis phyſices principiis repetere neceſſum duxi, transferre ſpecialius paulo ad Medicinam, indagationemque ingenii illius caloris, qui

(*n*) Bœrh. Chem. Tom. I. p. 160. coroll. 7. (*o*) Vid. Bœrh. Chem. Tom. I. pag. 161. coroll 8. (*p*) Conf Bœrh. Chem. Tom. I. p. 174. (*q*) Confer Bœrh. Chem. Tom. I. pag. 161. & 62. (*r*) Bœrh. l. c. Tom. I. p. 162. coroll. 2. (*ſ*) Bœrh. Chem. Tom. I. p. 163.

qui corporibus humanis vel ſecundum vel præter naturam accidit. Illum vero unice a motu perenni ſanguinis in orbem abeunte proficiſci, vulgaris adeo noſtra ætate veritas eſt, ut nec tyronibus medicinæ incognita habeatur. *(t)* Quis autem dubitabit facile calorem corporis humani progigni atritu? quis aliunde eum derivabit rectius? Nonne enim, dum circulari itinere progreditur ſanguis, globuli ipſius projectili motu innumeris in punctis ſeſe tangunt ac infinitis modis inter ſe allidentes perpetuum experiuntur attritum, atque calorem ita ſanum ægrumve excitant, augent, foventque? Gaudet quippe ſanguis noſter corpuſculis denſioribus, ſolidioribus, elaſticis, ſphæricis apprime calori excitando paribus; ſphærulis nempe rubicundis microſcopiorum ope ſenſibus ſatis obviis. Gaudet corpus humanum vi atterente ea corpuſcula aliter quietura, quæ recte ſalutatur actio perpetua cordis & arteriarum. Ergo durante actione hac, vaſisque ſanguinis ſufficienti copia inſtructis, calor corpori humano naturalis perduret neceſſum eſt. Pergimus vero ad conditiones exponendas, quibus poſitis major minorve ponitur in corpore animali calor, quas ut ſolide tradamus, præmittemus quasdam experientias, veritatem ſubſecuturarum propoſitionum eo certius adſtructuras. Sit itaque

Experientia I. Homines robuſti, floridi, exercitati, fibris duris, rigidis elaſticis pollentes, humoribusque compactis denſioribus præditi, omnes alios calore naturali vincunt, hujusque præ aliis tenaces, frigorisque externi præ aliis patientes obſervantur.

Experientia II. Homines debiles, otioſi, pallidi, fibris mollibus, laxis minusque elaſticis præditi, inque ſuis vaſis ſanguinem aquoſum, ſeroſum, tenuem gerentes, omnium minime calore naturali gaudent, citiſſimeque frigoris externi injurias perſentiſcunt.

Provoco ad vulgarem communemque, quem facile ſperare poſſum aſſenſum, perpetuæ obſervationis eſſe binas has experientias, atque ſecurus nunc trado propoſitiones, conditiones complexuras, quibus major minorve in corpore calor ponitur, exactiſſime ſupra de calore in genere traditis reſponſuras.

(t) Conf. Hoffm. M. S. Tom. I. p. 143. ſeqq.

I. Quo ſanguis in corpore humano fuerit denſior, ſolidior, quoque arctius ſeſe fricabunt globuli rubri; eo calor erit major, eoque ſemel conceptus in illo corpore erit conſtantior, & contra.

Patet hujus propoſitionis veritas ex præcedentibus, ſimulque clariſſime ponitur ob oculos adſpectu attento ægrorum inflammationibus laborantium, in illis calor utique ſummus, ſanguis vero Venæ ſectione emiſſus ſtatim abit in duram, denſam, rigidam cruſtam inſtar corii porcini.

II. Quo cordis, arteriarumque vis elaſtica contractilis fortius in ſanguinem egerit, ſeu quo fortius eum percuſſerit, agitaverit, eo major producetur calor, & contra.

III. Quo velocior fuerit cordis, arteriarumque actio in ſanguinem, quoque velocior tunc ejus attritus fuerit, eo major erit calor. Sed velocitatem actionis cordis & arteriarum optime menſuramus ex pulſuum ictubus, intra datum tempus ſeſe excipientibus, quare quo celeriores fuerint intra datum tempus ictus pulſuum, eo eminentior erit calor.

IV. Quo magis conditiones Num. I. II. III. ſimul adfuerint, eo magis caloris in corpore nati gradus aſſurgent verſus eum, qui ſummus toleratu eſt viventibus animalibus.

Æquo animo ſpero ferent Lectores mei illas, quas vitare nequivi ambages, atque per quas hactenus decurrendi mecum ipſis neceſſitatem imponere debui. Si qui ſint, qui minus opportune aut otioſe omnia illa de calore præmiſſa reputaverint, parcant, precor; valde enim nunc erunt profutura, parientque intellectum ſolidum remediorum refrigerantium, ebullitionibus ſanguinis oppugnandis orgaſmo humorum attemperando parium, veraque a falſis, indicata a fictitiis caſtiſſime ſejungere nos docebunt.

§. 4.

Dotes remediorum vere refrigerantium.

En in eo ſum ut pingam dotes, quas proprias habere debet remedium orgaſmum temperans, turgeſcentiam ſanguinis compeſcens, refrigerans &c. Fluent illæ ex præcedentibus ſua ſponte, quique veritatem eorum, quæ adhuc eloqui ſum orſus, impugnare audet, debet falſitatem declarare illorum principiorum ex phyſicis

ſu-

ſupra allatorum. Videat vero is, quo ſucceſſu id præſtiturus ſit, laborabit fruſtra; ſed videat pariter otioſus terreorum amator, quomodo ex præcedentibus derivet eorum vires antorgaſticas refrigerantesque. Ut ergo aliquod remedium vere ſit antorgaſticum & refrigerans, debet

I. Sanguinem ſolidum denſum attenuare, ſolvere, arctioremque attritum globulorum impedire.

Denſitas vero optime tollitur

1. Si copia ſanguinis minuatur VStione, tum enim, ſpatio ampliori facto, ſecedere a ſe invicem poſſunt coagmentati globuli.
2. Si moles denſa attenuatur, disjungitur melle, ſacharo, ſyrupis variis, nitro.
3. Si tenuiſſimæ partes ſanguinis deperditæ reſtituuntur potu multo aquoſo, hicque ſimul ita comparatus ſit, ut admiſceri ſanguini denſo poſſit, quod maxime fit admiſtione oxymellis ad præcepta Hippocratis, vel moderna methodo ſucci citri & ſyruporum ex fructubus horæis ſubacidis.

Attritus arctior impeditur, interpoſita globulis ſanguineis ſufficienti copia liquidi tenuis aquoſi. Fluida quippe denſis interpoſita ſtatim calorem tardant ſedantque. (u)

II. Remedium refrigerans debet efficere, ut cordis & arteriarum vis contractilis remiſſius leniusve agat in ſanguinem, ſeu quod idem eſt, elaſticum cordis & arteriarum robur minuere.

Optime hoc efficitur potu multo aquoſo, leniente, tepido aſſumpto, demulcente clysmatibus ſimilibus, vapore aquæ tepidæ, omni corpori, iisque præcipue locis, ubi vaſa nuda decurrunt, applicato, hujus enim ſumma vis, ſtrictiores fibras reddendi laxiores, quod hic quam maxime requiritur.

III. Remedium refrigerans debet efficere, ut tardior ſit, ſegniorve actio cordis & arteriarum; ſeu ut ictus pulſuum jam celeriores, tardiores reddantur iterum.

Id impetratur vel cauſas celeritatis cognitas removendo, vel motuum impetum refrænando. Sed celeritas ſanguinis ſemper ſup-

Ee 3 ponit

(u) Conf. Boerh. Chem. Tom. I. p. 161.

ponit aut obſtructionem in arteriis capillaribus, aut acrimoniam vel ſtimulum quemcunque cordis arteriarumque fibras vellicantem, quare celeritas non aliter tolli poterit niſi remota reſiſtentia in capillaribus, ſeu remotione obſtructionis ibidem hærentis, quæ eadem fere ratione tollitur ac denſitas. Stimulus vero pro ſua differente indole, ſi hæc rite cognoſci poteſt, diverſis remediis eget, aut iis, quæ omni acrimoniæ in genere competunt. Motuum vero impetus retardatur opiatis lenibus, caute & prudenter exhibitis.

§. 5.

Vanitas terreorum refrigerantium.

Atque huc redeunt omnia quotquot in rerum natura dantur remedia refrigerantia, neque alia unquam inveniri poſſe docet idea caloris ſemel data, eademque manſura ſemper, dum inconcuſſis & immutabilibus fundamentis ſuperſtruitur. Certum igitur eſt, remedium de quo non probari poteſt quod vel 1.) denſitatem ſanguinis tollat, vel 2.) fortiorem plus juſto contractionem cordis & arteriarum minuat, vel 3.) celeritatem ſanguinis moti per ſua vaſa retardet, licet a millenis Practicis collaudetur, ac quotidie æſtui corporis præternaturali opponatur, nihilominus habendum eſſe pro inani, otioſo, ridiculo. Atque nunc patiamini precor, ut ex vobis quæram, docti cordatique Practici! an putetis pulveres veſtros terreos temperantes, præcipitantes, quadrare ſanguini denſo, nimio robori elaſtico cordis & arteriarum, tandemque celeritati fluminis ſanguinei? Quis denſum ſanguinem, id eſt, abacta tenui & aquoſiori ſua parte, nimis oleoſum & terreſtrem redditum, terreſtribus pulveribus attenuabit? Quis rigorem fibrarum cordis arteriarumque terreis moleculis applicatis relaxabit, cum hæ augendo rigori magis appoſitæ inveniantur? Quis tandem celeritatem ſanguinis, quæ, cum alia non detur cauſa, unice vel ab obſtructione capillarium, vel a ſtimulo naſcitur, infringi pulveribus terreæ indolis aſſereret? Certe illi pulveres, ſi ad ſanguinis vias perrexerint, obſtructioni magis augendæ, quam attenuando, meabilique reddendo liquido obſtruenti inſervient. Neque alius datur in rerum natura ſtimulus terreis removendus, niſi acrimonia acida, acida vero blanda calori reſtinguendo appoſitiſſima eſſe remedia, hodie clamant omnes. Acida igitur acrimonia non facile creabit

cele-

celeritatem ſanguinis, neque eapropter calorem præternaturalem; niſi forte in infantibus lacte veſcentibus, iisdemque ſolis. Abſit ergo ut metuam viros graves peritosque abſurde affirmaturos, quæ non niſi a mente captis affirmari defendique poſſe videntur, ſitque hoc de illis vel cogitaſſe piaculum. At vero quid nunc ſupereſt, uſum quotidianum terreorum in praxi vulgari pro orgaſmo & calore ſedando præſcriptorum excuſans, ratum habens, aſſerens ſuis fautoribus, quando illa examinata non pollere deprehenduntur iis requiſitis, quæ neceſſario a refrigerantibus remediis poſcuntur, ſineque quibus reſtinctio caloris per ſupra ſtabilita principia impoſſibilis. Dicam rotunde quid ſentiam: Aut terrea præſcribuntur noſtra ætate a Medicis ſocordibus pauliſper, neſcientibusque rationem cur præſcribant, præterquam illam, quod patrum temporibus eo fine quoque præſcripta fuerint, & ab aliis auctoritatem & famam nactis ad hunc diem præſcribantur; aut aliæ ſubeſſe debent ratiunculæ imaginariæ, quæ favere reputantur huic uſui, ita tamen comparatæ, ut decipere valeant vel Medicos doctrina celebres. Prius delictum vulgo Medentum ſaltem imputatum volo. Poſterius ſeveriori adhuc, quo eruatur veritas, examini ſubjiciam, neque enim ullum latibulum relicturus ſum iis, qui defendi poſſe adhuc terreorum refrigerantium vires ſtatuunt forte. Ad illud igitur pro viribus præſtandum me accingo.

§. 6.

Vigebat antiquiſſimo jam tempore inter Medicos opinio, terras hanc præcipue ob cauſam exercere debere virtutem refrigerantem, quia ſemper ad contactum frigidæ obſervari ſolerent. Eapropter ipſe olim HIPPOCRATES Pater, eas pro calore immodico temperando pectori in thoracis & pulmonum inflammationibus impoſuit, (x) ac recentiori ævo CASP. SCHWENCKFELD (y) Lignicenſem terram præcipue capiti appoſitam contra æſtum ejus mederi ſcripſit. Fuere deinde, qui ab uſu externo frigorisque ſenſu, quem externe admotæ ejusmodi terræ nobis imprimunt, ad internum uſum atque ab eodem expectandos in corpore effectus argumen-

Aſyla Medicorum terreis refrigerandi fine utentium.

(x) Libr. III. de morb. §. 2. (y) de foſſ. Sileſ. lib. III. p. 396.

mentati ſunt, parique neceſſitate intus etiam refrigerium eas præſtare, ac internis propterea affectubus curandis deſtinari quoque debere, fuerunt opinati. Hac ratione ſeductus cl. LANGIUS de cryſtallo montano in genere primo pronunciavit, quod refrigeret, dein autem, eam dixit laudari in febribus ardentibus, non ſolum ſi manu teneatur ejus fruſtum, verum quoque ſi intus ſumatur. Valde igitur evadit veriſimile, eum & ſat multos alios inter Medicos deceptos talibus fallaciis fictitiis vires terreſtrium refrigerantium ad noſtram usque modernam Praxin propagaſſe. Vix vero hodie condonandum ejuscemodi errorem crederem practico, ex hoc fundamento terreos ſuos pulveres pro refrigerantibus venditare haud erubeſcenti. Quotusquisque enim eſt, qui non caperet pollines vel ad ſenſum frigidiſſimos aſſumptos ſtatim in ventriculo frigus deponere, eumque ſuſcipere caloris gradum, qui in corporis interioribus tum obtinet? Quodſi præterea illa omnia refrigerantia remedia ſalutanda forent, quæ ad ſenſum frigida obſervantur, ſummum refrigerans remedium ſine dubio eodem jure eſſet limatura martis, dum ferrum ordinarie longeque eminentius ac terrea quævis frigere obſervatur, ut varia alia abſurda conſectaria nunc taceam. Multo ſpecioſiora igitur illorum Medicorum argumenta primum intuentibus videri poterant, qui orgaſmum omnem ab acido deducunt, atque calorem præternaturalem fermentationi cuidam aut efferveſcentiæ ſanguinis attribuunt, ex his nimirum principiis tantiſper pro veris habitis, omnino præſtantiſſimus uſus terreſtrium in ſedando orgaſmo reſtinguendoque calore præternaturali, facillimo negotio poteſt deduci. Poſuit inter alios cl. ETTMULLERUS (z) calorem naturalem in motu celerrimo materialiter acidi ſubtilis ſive volatilis, ſive ſpirituoſi, ſed ſpecifici ac ſecundum ſpeciales proprietates inexplicabilis; calorem præternaturalem & auctum etiam materialiter in acido, ſed celerius & præter naturam moto. Quid ergo mirum, eum tantopere ad temperandum calorem commendaſſe in operibus abſorbentia, utpote acido omni inimica? Quid mirum, diſciplinæ ipſius alumnos ſcholis ejus valedicentes, inque omnes plagas diſperſos, ſancte

(z) In tentaminibus aromaticis Part. II. §. 9.

ſancte ſibi ſervaſſe præceptoris hypotheſes, atque ad poſteritatem propagaſſe, abſorbentium uſum ad oppugnandum calorem præter naturam in corpore accenſum? Atque hæc ipſa Ettmülleriana principia, diu Lipſiæ imperitantia, quibus imbutus olim ſine dubio eſt cl. TEICHMEYERUS, cum ſtudiis ibi daret operam, quod ſatis mirari nequeo, id effecere, ut celeberrimus hic Chymicus ad hunc diem terrea abſorbentia refrigerantibus adnumeret. Scilicet in ſua *materia medica* ſuperiori demum anno edita, *capite de refrigerantibus* fideliter recenſet chelas cancr. teſtas ovor. C. C. uſt. dentem apri, ebur uſtum, lap. cancr. corallia, conchas, matrem perlarum &c. ut ſupra jam notavi. Stupui legens, quod ſincere fateor. At vero aſſerti hujus ætiologiam jam offenderam eodem folio, antea quippe jam ſcripſerat: *terrea, lapidoſa, calces metallorum, ad refrigerantia interna ſpectant, ſunt enim antacida.* En fontem genuinum! quem ut paulo propius tetigiſſet Teichmeyerus valde optarem. Sed forte pro ſe jam locutum fuiſſe ETTMULLERUM fuit arbitratus, qui diſtinctius mentem ſuam explicat in diſſert. de uſu & abuſu præcipitantium. (*a*) Ibi enim, fermentum acidum volatile acrius originem eſſe orgaſmi cujusvis humorum, ait, primo, motus humorum inteſtinos in turgeſcentiam ac commotionem effervescentiæ plus minus ſimilem concitans, poſtea autem & continentes partes irritans. (*b*) Illuſtrat deinde hanc rem cum muſto, aut cereviſia novella fermentationis ſub impetu turgeſcentibus, talique turgeſcentiæ humorum tandem remedia præcipitantia opponenda eſſe eloquitur, (*c*) quicquid vero præcipitantia hæc remedia opis afferunt in eo orgaſmo, id illa facere acidum corrigendo contendit. (*d*) Equidem non negari poteſt, cum id rerum uſus innumeris teſtimoniis doceat, a fermentatione & effervescentia ſummum ſæpe calorem, ſummamque turgeſcentiam enaſci; neque minus id veriſſimum eſt, abſorbentia ſufficienti copia fermentantibus admiſta, acido deſtructo poſt brevem effervescentiam, ipſam fermentationem ſtatim componere, quare juſtiſſime BOERHAAVIUS (*e*) cretam, lap. cancr. corallia, margaritas, oſtracodermata ad antizymotica

Ff retu-

(*a*) Diſſ. de uſu & abuſu præcip. cap. I. §. 6. (*b*) l. c. §. 7. (*c*) l. c. §. 9. (*d*) l. c. cap. II. §. 10. (*e*) in Chym. Tom. II. p. 162.

retulit. Ex his omnibus vero ita omnino ſeſe habentibus, nondum tamen conſequitur, ubi æſtus adfuerit, ibi ſemper etiam ſupponi debere fermentationem aut efferveſcentiam, hancque proinde etiam æſtus in corpore vivo obvii cauſam conſtituendam eſſe, æſtumque ideo præcipitantibus, antacidis, antizymoticis pari promptitudine extingui poſſe, ac fermentatio muſti vel cereviſiæ, lap.69. adjectis inhibetur. Fermentationem Chemici vocant motum inteſtinum in vegetabilibus excitatum, cujus vi ita eorum craſis immutatur, ut ope deſtillationis dein ſuppeditent vel ſpiritum ſulphureum inflammabilem volatilem, vel liquorem acidum minus volatilem non inflammabilem. Requirit vero omnis fermentatio, ut quieſcant primo corpora illa in fermentationem abripienda, ut vas illud, quo continentur, non ſit penitus repletum, ut aëri liber pateat acceſſus, ut adſit fermentum ipſum fermentationem excitans promovensque, ut accedat calor definitorum graduum &c. Applicet hæc omnia quicunque volet ſanguini noſtro, ac vaſis illis, quibus includitur, & mox animadvertet, abſurdum eſſe ſtatuere in eodem fermentationem, aut neſcio quid fermentationis analogum. Poteram, ſingula fermentationis requiſita ſeorſim conſiderando, liquido evincere, prorſus inepte illam trahi ad corpus humanum, ejusque fluida, ſed animi gratia pauca ſaltem monebo circa calorem in fermentatione requiſitum. In febre ardente ſine dubio ſummus eſt ſanguinis orgaſmus, ſummus eapropter calor, qui ſi pyranthropometro Fahrenheitiano menſuretur, ad 90.92.94. gradus non raro accedere obſervatur, ultra 100. non augendus ſine certa morte. Demus nunc tantiſper, hunc corporis calorem deberi fermentationi; at vero obſervante Bœrhaavio calor in fermentatione, ſi aſcendat ad gradum ſaltem caloris ſani hominis, diſſipatur cauſa fermentans & vappeſcit liquor, neque enim calor a fermentatione major gignitur 75. gradibus. (*f*) Patet ergo repugnare indoli fermentationis hypotheſin, calorem præternaturalem a fermentatione derivantem, illa quippe in febre ardente ſub gradu caloris 90. graduum non amplius eſt poſſibilis, ubi tamen per hypotheſin ſupponenda eſſet maxima. At vero vix opus eſſe cenſeo, ut hiſce rebus immorer,

ſatis

(*f*) BOERH. Chym. Tom. II. p. 254.

ſatis quippe demonſtratum eſt a viris in medicis chemicisque verſatiſſimis, in animalibus eorumque humoribus prorſus locum non invenire fermentationem, ſed pertinere eam ad vegetabilia ſola. (*g*) Valde interea optarem ego, ut ejectis bonis avibus ex foro medico fermentis illis, quæ tot turbis in arte anſam dedere, proſcriptisque humorum fermentationibus, a Chemicis olim perperam in medicinam introductis, nulla noſtra ætate ſupereſſent fermentorum rudera, fermentationisque ſimulacra. Neſcio vero an illi conflictus particularum diverſæ indolis, in ſanguine gratis ſuppoſiti, pugnæque imaginariæ acidi & alcali in eodem, quibus hodie adhuc præſtantiſſimi quidam viri, erudiendæ in Academiis ſtudioſæ juventuti deſtinati indulgent, non antiquatam fermentationis theoriam accurate redoleant, huicque ſoli penitus innitantur. Multum illi communiter ſolent tribuere examini ſanguinis Hombergiano, quo eidem & acidum & alcali ineſſe evinci poſſe videtur. Graviſſimis vero illud difficultatibus premi, omnes æqui rerum arbitri libere puto profitebuntur, quarum hæc non ultimo loco notari meretur, quod alcali ſuum & acidum expreſſerit HOMBERGIUS calore vitalem ſalvaque vita ferendum longiſſime ſuperante, ut adeo pateat, in eo caloris gradu, quem vita animalis fert, nulla ratione vel acidum vel alcali detegi poſſe in noſtris humoribus. Plures non levioris ponderis difficultates taceo, (*h*) ſaltemque ad bigam Chemicorum ſummorum noſtri ſeculi BOERHAAVIUM (*i*) & HOFFMANNUM (*k*) provoco, quorum neuter, vel ullum ſive alcali ſive acidi ſalis veſtigium, in ſanguine humano ſollicita indagatione reperit. Quis ergo ſeſe facile pateretur decipi, falſis & evanidis de fermentatione ſaliumque alcalinorum & acidorum conflictu in ſanguine noſtro hypotheſibus? quis remedia, imaginario huic conflictui oppoſita, locum habere in morborum curatione decenti ſtatueret? Corruit igitur & terreorum refrigerantium hoc reſpectu adornandus uſus.

 At

(*g*) Sanguinem ad fermentationem per ſe eſſe ineptum probat BOHNIVS circ. anat. p. 54. nec ab aliis humoribus in fermentationem abripi p. 55. nec effectus fermentationis in ſangnine comparere, ibid. Conf. HOFFMANNVS diſſ. de putred. doctrina §. 4. Pitcarnius elem. lib. I. c. 4. §. 15. FREIND Emmen. c. 2. (*h*) e. g. quod ſal † dum Hombergianum ex ſanguine paratum, potius fuerit productum ex ſale marino. (*i*) in chemia. Tom. II. Part. II. Proceſſu XCII. ubi lectu digniſſima habentur. (*k*) in obſerv. chymic. lib. II. obſ. 21.

At nihilominus aliud adhuc aſylum ſupereſt, ad quod confugere poſſunt horum remediorum Patroni. Si ſanguis nullum in ſuo ſinu fovet acidum, nulla ejus concipi poteſt fermentatio, ſi calor ejus non a fermentatione antizymotica, terrea non erunt refrigerantia, id verum. Quid autem dicendum de motu ſanguinis inteſtino, de quo ad hodiernum diem multa adeo inter Medicos differuntur? Dubito equidem maximopere, an, ſurrogato fermentationi motu inteſtino ſanguinis, melius quid veriusve dictum fuerit. Vocaverat jam cl. WILLISIUS fermentationem motum inteſtinum particularum corpus conſtituentium; atque hoc ſenſu eam prædicari poſſe de ſanguine humano plerique neotericorum cum eodem ſtatuunt, ſaltem hodie multis phœnomenis in ſanguine obviis explicandis fervit motus inteſtinus, nec deſunt, qui terrea remedia vere refrigerium producere poſſe, ex hoc quam maxime fundamento confidenter ſatis aſſerunt. Inter hos cl. JUNCKERUS: (l) *In orgaſtico*, ait, *ſanguinis ſtatu, abſorbentia egregie ſe gerunt; Temperant autem nimiam hanc ſanguinis exagitationem non tam abſorbendo, quam potius interponendo: Quilibet enim motus inteſtinus ſubtiliſationem inducit, quando autem craſſiuſcula abſorbentium corpora interponuntur, effectus ille reſolutorius & turgefactorius impeditur.* Nolo aliorum ſententiis recenſendis tempus terere, qui cum JUNCKERO conveniunt, abſorbentiumque particulas, ſanguineis particulis ſpecifice graviores, harum conatui inſito ad motum ſeſe opponere, eundem retardare ita, ac remiſſiorem quietioremque reddere affirmant. Fallor autem vehementiſſime, aut hæc ætiologia idem adſtruere laborat, ac adſtrueret is, qui ingens aliquod incendium interſperſis forte levi manu aquæ quibusdam manipulis reſtinguendum ſperaret. Quid enim terrearum molecularum ſcrupulus ad particulas triginta & ultra librarum ſanguinis in motu citatiori inteſtino conſtitutas? Quanta hic injuria proportionum regulæ afficiuntur? Sed ne quidem tali argumentatione opus. Quando rectiſſimum eſt motum inteſtinum ſanguinis æque ac illius fermentationem eſſe inane figmentum, neque ullo argumentorum pondere demonſtrari poſſe; quicquid etiam de eodem clariſſimi viri diſſe-

(l) in conſp. p. 138.

differant; adeoque ſponte ruere illa omnia, quæ eidem communiter ſuperſtruuntur. Mirabuntur ſcio Lectores mei audax atque paradoxum aſſertum, ſed legant obſecro, quæ de nullitate motus inteſtini ſanguinis ſcripſit cl. FREINDIUS (m) *ſive ad Chymicorum mentem*, inquit, *exponatur fermentatio, actio ſcilicet mutua acidi & alcali, ſive latius ſumta partium motum inteſtinum denotet, neutro modo ſanguini competere poteſt. Non priori, quia in ſanguine deeſt acidum, non poſteriori, quia fluidi cujusvis partes, quæ ſub iisdem planis horizontalibus jacent, æqualiter premuntur, adeoque ad quietem ſe componunt, niſi novo aliquo impetu in motum cieantur. Ita ſi daretur aliquis in ſanguine motus inteſtinus, brevi deficeret, niſi liquido, quod a corde immittitur, excitaretur denuo, & reviviſceret: Quodſi a liquido, quod a corde influit, motus inteſtinus oriatur, ſatis conſtat, alium in ſanguine motum dari non poſſe præter eum, qui continuo progreditur, & circulatur.* Audio equidem defenſores motus inteſtini objicere, repugnare hæc cogitata Freindii æternis legibus motuum a Creatore ſtabilitis, ſecundum quas, omnia in hoc univerſo corpora, omnesque, ex quibus conſtruuntur, moleculæ, inſita vi in ſe mutuo nituntur, ita ut nulla in toto univerſo detur quies. Stat ſua his principiis laus, ſtat ſua illis veritas, neque exſpectabit puto a me aliquis, ut ea impugnem. Nollem vero leges tales extendere ad motum ſanguinis, quando alias in eodem obſervare licet illis multo ſuperiores, ut ex ipſis modo allegatis FREINDII verbis facile quoque poteſt colligi. Eſto, nimirum partes omnes, ex quibus ſive fluidum aliud cujuscunque generis, ſive ſanguis noſter, de quo hic ſermo eſt, componitur, niſu ſuo inſito moveri; Jam concipiamus ſanguinem in corpore noſtro contineri vaſis, vaſisque ſemper plenis, ac coërcitum ita æqualiter undique premi. Igitur nec particula una ad aliam, neque ullæ, vel ad vaſis ipſius latera, vel ad centrum ejus poterunt magis accedere, quia in omnibus punctis datur contiguitas, & æqualis ubique preſſio; omnibus vero ſibi contiguis & æqualiter preſſis, nullus earum concipi poteſt motus, niſi vas ipſum moveatur, id eſt modo relaxetur, modo coarctetur, ſi vero moveantur particulæ fluidi, vale com-

(m) Emmenolog. p. 16.

prehenſi, ob motum vaſis, patet motum earum non fore inteſtinum, ſed aliunde tum fore deducendum. Favet hiſce meditationibus mirum quantum, ſolidiſſimisque ſuis argumentis eas roborat, vir in medicina & Matheſi verſatiſſimus cel. PITCARNIUS. En! confidenter hæc eloquitur: *Affirmo ego, nullum eſſe ſanguini motum particularum inteſtinum diſtinctum ab eo motu, quem accipit a contractione cordis: Hoc eſt ſanguinis non circulantis nullum eſſe motum inteſtinum, & univerſaliter nullum eſſe inteſtinum particularum ullius fluidi in vaſe non moto comprehenſi motum. Verum ſi contineatur fluidum in vaſe moto, erunt partes fluidi participes motus totius, ſed hic motus non eſt ille inteſtinus de quo hic loquimur, id autem ſi oſtenderimus, evaneſcent quamplurimæ explicationes phœnomenorum a recentioribus Medicis adhibitæ, quæ huic fluidorum inteſtino motui tanquam firmiſſimo fulcro videntur ſuperimpoſitæ.* (*n*) Atque hanc negationem exiſtentiæ motus inteſtini, non minus in fluidis homogeneis quam heterogeneis vaſis comprehenſis, valere, petita ex antiqua Archimedis doctrina elegantiſſima demonſtratione ſequentibus paragraphis PITCARNJUS oſtendit, quam totam huc tranſcribere ſupervacaneum duco, cum evolvi a Lectoribus, mecum non facientibus, facile queat, omnibus æquo animo ipſam ponderantibus certo ſuffectura. Poteram in his acquieſcere, cum, nil amplius requiri ad confutandum motum ſanguinis inteſtinum, ſat certus autumem, eam vero ex lectione illorum, quæ contra eundem motum diſputat Illuſtr. BOERHAAVIUS voluptatem mihi natam olim perſenſi, ut vix mihi temperare valeam, quin conſideratione digniſſima verba integra apponam: (*o*) *Obſervavi toties,* ait, *ſanguinem ſanorum, ſalientem de vena tuſa, eundem exſilientem de arteriis vulnere ſolutis, aut apertis in narium hæmorrhagia, in ſcreatu cruoris de rupta pulmonum arteria; tum de tot inciſis, jugulatisve canibus, bobus, ovibus, aliisve; Obſervavi eundem cruorem impetu violento ruentem de ſectis venis hominum laborantium febre ardentiſſima, phrenitide, pleuritide & variis. Nunquam inveni in hoc cruore, de induſtria explorato, ipſo illo articulo temporis, quo jamjam incidit in excipulum de corpore animalis vivo, vel leviſſimum ſignum ullius prorſus ebullitionis, effervescentiæ, fermen-*

(*n*) Element. Med. libr. I. c. 4. §. 18. (*o*) Bœrhaav. Chem. Tom. II. p. 303.

fermentationis, motus inteſtini, aut rarefactionis; licet quam rapidiſſime agitaretur paulo ante in vaſis corporis viventis. Quæ quum ita ſedulus curarem examinare ante plures jam annos, tandem mutavi ſententiam prorſus a Chemicorum lectione olim mihi natam, Sylvianam præcipue: certus quippe ſcivi, ſenſus haud detegere principia alcalia & acida in cruore ita, ut inde queant naſci viſibiles eorum commiſtorum effectus, ebullitiones, effervescentiæ, fermentationes, motus inteſtini aut rarefactiones. Dixi ergo neque ſunt in corpore; quia ſaltem ipſo momento exſilitionis apparerent. Si ais, ſunt tamen, ſed tam blanda & ſedata, ut non appareant: nihil habeo, quod urgeam, niſi ut rogem, quanam hoc fide evincas? Dubitare licet an firma? Utique id liquidum; quod ſi oppoſita ibidem hæc ſalina Chemicorum, adeo inertia dantur, eadem adeo tamen invalida haberi, ut nequeant ullum effectum ſenſibilem producere: Hinc ergo etiam tutum haud eſſe, ex iis ſuppoſitis ullum effectum ſenſibilem explicare. Si hæc non moveant Medicos, ut inteſtinum ſanguinis motum abeſſe ab ætiologiis morborum & remediorum jubeant, neſcio quid eos movere queat amplius, ut tandem aliquando ad meliorem frugem redeant, erubeſcantque ingenui, ſe tot inutiles hactenus terreſtres pulveres refrigerandi fine porrexiſſe.

§. 7.

Nihil vero aliud lectioni practicorum intentus reperi, quod otioſo prætextui inſervire poſſet, cur tandem terrei pulveres, calori ſanguinis præternaturali oppugnando, deſtinentur, præter tria illa momenta, de quibus antecedenti paragrapho verba feci, frigus nempe terrarum ad ſenſum, fermentationes & effervescentias ſanguinis, tandemque motum illius inteſtinum. Illa vero omnia fictitia eſſe, nullamque mereri animadverſionem, clariſſime, opinor, evici. Sunt ergo pulveres illi temperantes, præcipitantesque quatenus terreſtres, inanes ipſi, inanibusque terminis ſimul inſigniuntur. Quærere nimirum ſi liceat Practicos quid eſt temperare? quid eſt præcipitare? aut illi reſpondebunt plane nihil, aut garrire debebunt de fermentationibus ſanguinis aut motu inteſtino. Sed garrient gratis, ſi enim nulla in ſanguine datur fermentatio, nulla etiam præcipitatio locum habet, eſtque eapropter *pulvis præcipitans* inanis Concluſio.

in arte terminus, maleque noſtra ætate retinetur. Horreo ego vagos ac ambiguos ejusmodi conceptus, odi allegorias medicinales, vocesque ſonoras licet, ſed vacuas, nullisque ideis diſtinctis, veris, legibusque motuum, functionumve corporis noſtri reſpondentibus excitandis pares. His nebulis tenebrisque opinionum qui ſe involvi patitur, næ! ille parum boni præſtabit in calore præternaturali, ad juſtum moderamen redigendo, nullisque genuinis indicationibus formandis erit capax. Quomodocunque nimirum egerint medicamina vere refrigerantia, aut ſanguinem denſum attenuant, aut vim elaſticam cordis & arteriarum nimiam minuunt, aut cauſas celeritatem motus circulatorii cientes tollunt; præter has operationes nulla ſupereſt alia, ut principia in ſuperioribus ſtabilita abunde docent. His uſi, errabimus nunquam, ſed feliciter dexterrimeque judicabimus, an remedium pro refrigerante & antorgaſtico venditatum tale habendum ſit, quando pro tali haberi debeat, ac quousque. Neque minus ſimul perſpiciemus facile, quam mire, ſed quam fruſtra quoque ſeſe interdum torqueant in explicando modo refrigerii, a remedio otioſo expectandi, Viri cœtera præſtantiſſimi, quam turpiter quandoque hallucinentur. Scripſit alicubi, quod pace ipſius refero, celeb. JUNCKERUS: (*p*) *Non negari poteſt corallia rubra ob craſin terream multum valere in abſorbendo, ac tonum languentem non nihil reſtaurando, unde apta & ſalubria ſunt ægris orgaſmo ſanguinis correptis.* Prædicatur hic de coralliis, quod abſorbeant & tonum inſtaurent, eapropter orgaſmum temperent, ergo in alterutro horum vis antorgaſtica quærenda putatur. Sed hercle! in neutro latet; abſorbere enim ſoli competit acido, calor autem & orgaſmus perperam ab acido per ſupra demonſtrata derivatur, ergo vis abſorbens ad temperandum orgaſmum nil facit. Toni deinceps inſtauratio intenderet orgaſmum, non infringeret. Si vero de coralliis probari poſſet, quod tonum relaxarent, tum certa eſſent & omni elogio digna refrigerantia, nunquam aliter. Claudo tandem haſce de remediis calori præternaturali moderando ſervientibus lucubrationes, ſed coronidem ipſis impono verbis BOERHAAVIANIS, (*q*) quæ in ejus commentario in Aphoriſmos leguntur, pul-

(*p*) Therap. gen. Tab. XV. p. 426. (*q*) aph. 692.

pulchreque huc facere mihi viſa ſunt. *Chemici*, ait, *ad calorem reſtinguendum commendant pulveres diaphoreticos, bezoardicos, corallia rubra, raſuram dentis apri, C. C. pulverem Comitiſſæ Kent, lap. bezoar. lapides cancr. bezoardicum minerale. Sed plurimi hac methodo mortui ſunt, non quidem quia pulveres ejusmodi ſunt mali, ſed quia nil faciunt ad morbum.* Attendant velim pulverulenti Medici ad hoc aſſertum viri practicotati, methodumque inanem medendi æſtui ſanguinis tandem aliquando dediſcant.

CAPUT XIV.

Abſurdum eſſe uſum terreorum in hæmorrhagiarum medela docet.

§. 1.

Aggredior novum iterum argumentum, antecedenti haud futurum ſterilius, ſed æque copioſam differendi materiem ſuppeditaturum, de hæmorrhagiarum medicatione per remedia terreſtria. Hæc certe in illo morborum genere adeo indicanda cenſet vulgaris praxis, ut omittere ea, religio ipſi videatur; tam pertinaciter inhæret, tamque cæca fide ſubſcribit methodo ubique receptæ, ac ſi ita loqui licet, epidemicæ. *Bolum armenam* jam laudaſſe ad ſputa ſanguinis GALENUM, nemini Medicorum ignotum. Neque ab ejus placito remotior etiam poſteritas receſſit. Teſtis ſit CAMERARII *de bolo armena & terra Lemnia* tractatus, in quo utraque remedia, inter alias ægritudines ad hæmorrhagias quoque perſanandas, valde commendantur. Eadem enomia de bolo & terris ſigillatis pro ſiſtendis hæmorrhagiis loquuntur in operibus ETTMULLERIANIS (*r*) atque ibidem in ſpecie de terris ſileſiacis prædicatur, quod frequentis & proficui uſus ſint in ſanguinis effluviis cohibendis. (*ſ*) Valde miror in eadem verſari ſententia aliquoties a me laudatum FISCHERUM. (*t*) Licet enim is agnoſcat, cautione opus eſſe in ter- Terrea in hæmorrhagiis ſanandis laudantur a Practicis.

(*r*) Tom. II. p. 615. (*ſ*) p. 711. (*t*) §. 68. Tractatus de terra medicinali Tokayenſi.

rarum medicinalium exhibitione, ægris hæmorrhagiis variis laborantibus, tamen ſe illud quoque celare non poſſe contendit, quod eædem terræ interne exhibitæ in hæmorrhagiis illis, quæ citiſſimam cohibitionem fluxus poſtulant, plus præſtent, quam alia adſtringentia & ligaturæ. Quæ autem bolo terrisque ſigillatis in diverſis locis erutis tribuuntur in cohibendis hæmorrhagiis vires, illæ etiam *lapidi hæmatiti* vulgo aſſignantur. Mirum in modum hunc extollit TRALLIANUS, ſeque eodem ad ſcrupulos quatuor exhibito, multos hæmopticos curaſſe refert. (*u*) Hujus neſcio an veſtigia legerit SCHROEDRUS, ſaltem eundem lapidem is egregie convenire ſputo ſanguinis aſſeverat, (*x*) atque ex eo ſine dubio LANGIUS (*y*) hæmatitem conducere omnibus hæmorrhagiis narium, ſputo & vomitui ſanguinis, mictui cruento, hæmorrhoidumque ac menſium fluxui, aſſerit. Porro de *ſanguine Draconis*, ut vocant, RIVERIUS (*z*) auctor eſt, quod omnem venarum apertionem internam mire conglutinet; Sique evolvere lubet clavem pharmacevticam Frid. HOFFMANNI, in eadem paſſim laudes offendemus terreſtribus affixas, ſanguinem vaſis elabentem coërcendi fine exhibendis. Ita nempe *bolus armenas*, & *Toccavienſis* utilis dicitur in hæmoptoë & hæmorrhagia narium, (*a*) *marga* deinde ibi hæmoptoicis quoque commendatur; (*b*) de *lacte lunæ* poſtea aſſeritur, quod vim habeat refrigerandi, adſtringendi, ſanguinisque eruptiones ſiſtendi (*c*) atque *rubrica* terræ ſpecie, quod polleat adſtringendi & ſanguinis fluxum ſiſtendi facultate. (*d*) In nimio fluxu ſanguinis ſpeciatim poſt partum bolus armenas, corallia, margaritæ præparatæ C. C. ſine igne commendantur in praxi Michaëlis, atque neſcio ego quid tandem effecerit, ut *denti hippopot.* ſingularis virtus medendi nimio hæmorrhoidum fluxui tributa, in tot Practicorum operibus legatur. Fuit dens ille equi marini ſecretum Michaëlis in hæmorrhoidibus nimiis, ex quo, ut recenſet ETTMULLERUS, annulos fieri curabat pollici pedum applicandos, quibus hæmorrhoides felici ſucceſſu compeſcere ſolebat. (*e*) Neque tamen hoc ipſum enarrat ſaltem ETTMULLERUS, ſed ipſe calculum Michaëlis ſententiæ adji-

(*u*) libr. VII. c. I. (*x*) lib. III. c. 7. (*y*) in lect. de mat. med. oper. p. 314. (*z*) Operum in fol. p. 251. 258. (*a*) p. 134. (*b*) p. 135. (*c*) Tom. II. p. 145. (*d*) p. 135. (*e*) p. 137.

adjicit, quando dentem hippopot. præparat. ſpecificam medicinam contra quascunque hæmorrhagias eſſe eloquitur, ſimulque ad MINDERUM *in medicina militari*, & experientiam Michaëlis provocat, qui unica doſi ejusmodi pulveris fœminam liberaſſe dicitur deſperato fluxu hæmorrhoidum gravatam. (*f*) His aliisque autorum teſtimoniis forte permotus ſcripſit cl. JUNCKERUS: (*g*) *Hippopotami dens paucis granis adſtringit, adeoque ad varia ſanguinis profluvia & hæmorrhoides compeſcendas laudatur.* Sane ſi hæc omnia ita ſeſe habent, vix crederet aliquis dari facile in materia medicinali remedium, quod pari paſſu ambulet in hæmorrhagiis ſanandis cum hippopotami dente, ſed ad eosdem honores, ETTMULLERO judice, adſpirare quoque licet unicornu vero. Ita nempe de hoc ille ſentit: (*h*) *Dens hippopotami & unicornu verum certum eſt experimentum ad hæmorrhoides nimium fluentes.* Neque vero in his omnibus ſaltem, quæ evporiſta ſunt & viliori pretio veneunt, pro ægris hæmorrhagiis adfectis quæſivere remedia Medici, ſed & pretioſiora, gemmasque adeo iisdem finibus deſtinarunt, quas inter ſolum nunc allegare lubet *ſmaragdum*, quem ad uteri hæmorrhagias coërcendas commendatum videas in miſcellaneis naturæ curioſorum. (*i*) Tædet majorem terræ naturæ ſimplicium ad ſanguinis fluxiones ſiſtendas decantatorum coacervare farraginem, quanta vero ex his excrevit compoſitorum moles! quot pulveres hujus farinæ ad hodiernum diem corpora pharmacevtica, ac diſpenſatoria gravare obſervantur! Referam huc primo loco *trochiſcos de carabe* inter alia ſuccin. præp. C. C. uſtum & corallia continentes. Sane de his refert JUNCKER in *lexico ſuo*, quod ſanguinem undecunque emanantem ſupprimant, atque in diſpenſat. Viennenſ. illo condecorantur elogio, *quod in ſputo ſanguinis, hunc cohibendo, egregie opitulentur*, ut aliorum librorum pharmacevticorum laudes jam ſilentio prætercam. Extat dein adhuc in eodem diſpenſatorio Viennenſi, *pulvis ſtegnoticus Gutmanni* ex lapide ætite, hæmatite, carneolo, terra ſigillata, C. C. uſto, & coralliis rubris compoſitus, diciturque *ad hæmorrhagiam hepatis, narium, vulnerum & menſtrua ſuperflua non exigua*

 effi-

(*f*) oper. p. 665. (*g*) Therap. gen. Tab. XVI. p. 451. (*h*) Ettmull. Tom. II. cap. de dyſenteria. (*i*) Dec. II. Ann. 5. obſ. 84.

efficaciæ. Neque parcior eſt in laudibus eidem pulveri deferendis recentiſſima Pharmacopœa Auguſtana; *ad omnes enim fluxus ſanguineos narium, hepatis, vulnerum, menſtruorum ſingularis efficaciæ* exiſtere ibi dicitur. Notus poſtea opinor Practicis eſt, qui hodie paſſim adhuc adhibetur, *pulvis Heurnii*, præter ſemen hyoſciam. papaveris & camphoram, etiam hæmatitem & corallia recipiens, quem ipſe auctor maximo cum ſucceſſu in hæmorrhagiis uterinis ſeſe uſurpaſſe refert. Non minus in uſu clinicis Medicis eſt, *potio ad immoderatas hæmorrhagias Sylvii* hæmatite lapide, ſanguineque draconis fœta. Quid vero dicam de *electuario Lindani ad hæmorrhagiam uteri* ex coralliis rubris, ſuccino, bolo armena, ſanguine draconis, ſem. plantag. borrace, laudano opiato, croco martis & ſyr. de roſis ſiccis confecto. Animi gratia adſcribam verba, quibus auditoribus ſuis hoc remedium commendavit: *Dabo vobis*, inquit, *arcanum, quo melius dare non poſſum, ſi mihi 100. florenos dare velitis. Et hoc eſt, quo ego innumeros curavi, & nuper adhuc fœminam, quæ per triennium laboraverat. Me hoc nunquam fefellit, nec ſpero vos debere fallere. Nullo alio remedio opus habebitis, nec eſt quod de VS. purgatione, apozematibus & clyſteribus cogitetis. Abjicite axioma ſtultum ex animo veſtro, generalia eſſe præmittenda. Verum hoc notetis, continuare oportere ſi opus fuerit. Nobilius remedium in hoc caſu habere non poteſtis.* Incidit hac occaſione in memoriam illa hæmoptyſeos curatio a nonnemine inventa, & in hiſtoria morb. Vratisl. publici juris facta, (*k*) quæ inter alia remedia veſperi exhibendum præcipit pulverem ex bolo Armen. terra ſigillata, mumia vera, ſanguine draconis, ſpermate ceti, ſpeciebus diatrag. & ſpec. maſſ. pil. de cynogl. atque ex voto bis terve ſucceſſiſſe dicitur. Mirum valde, quod eidem pulveri nulla adjici Autor fecerit *corallia*, quum ſemper inter noſtrates extiterint, qui in effuſiori ſanguinis fluxu, ad ea tanquam ad ſacram anchoram recurrere ſoliti ſint, neque hodie deſunt, qui magna quævis inde ſibi pollicentur, iisdemque obicem ponere confertim exilienti cruori moliuntur, freti forte auctoritate LAZARI RIVERII (*l*) qui ſyrupum adeo coralliorum, ad cochlearia duo ſingulis diebus, omni ſanguinis fluxui convenientiſſimum

eſſe

(*k*) Ao. 1702. p. 64. (*l*) p. 257. in operibus in fol.

eſſe edixit. Fere exciderant animo *ſpecies de hyacintho*, nobis in omni hæmorrhagiarum genere uſitatiſſimæ, de quibus lochia nimia explicans graviter pronunciavit cl. JUNCKERUS, *quod in omni fluxu nimio mereantur laudes, cum præter virtutem tonicam & ſubadſtringentem quam habent, ſimul analepticum quid foveant.* (*m*) Vix certe noſtratibus illæ omittuntur, ſive ex naribus ſanguis copioſius erumpat, ſive ex utero profluat, ſive aliunde emanet, ita quidem, ut civitate quaſi donati ſint in his caſibus pulveres ex abſorbentibus, nitro, ſpeciebus de hyacintho, & maſſa pilul. de cynogl. ad STAHLIANORUM mentem compoſiti. Ubique igitur, ubi cum hæmorrhagiis res eſt, ſuus terreis remediis in praxi moderna locus.

§. 2.

Theoria & praxis hæmorrhagiarum breviſſima.

Illa autem omnia terreſtris ingenii medicamina, an vere hæmorrhagiis opitulentur, imo vero, an illas moderari, ut vulgo ſtatuitur, & coercere poſſint, curatius omnino nunc venit inquirendum, quod ipſum ut dextre ſuccedat, pauca quædam de hæmorrhagiarum in corpore humano evenientium ingenio erunt præmittenda. Veterum monumenta ſi eapropter conſulamus, modo ab iis accuſari vaſa, modo ſanguinem ipſum reum haberi, animadvertemus. *In vaſis* vel ipſorum anaſtomoſi ſeu apertioni oſculorum, vel eorum diapedeſi, ſeu dilatationi & rarefactioni, vel eorum diæreſi ſeu diviſioni, vel rixi ſeu rupturæ, vel diabroſi ſeu eroſioni culpa tribuitur. *In ſanguine* vel quantitas ejus taxatur, quæ tam anaſtomoſin quam rixin queat efficere, vel calor illius & tenuitas vituperatur, a quibus & anaſtomoſis & diapedeſis oriatur, vel tandem ejus acrimonia allegatur, quæ diabroſi occaſionem ſubminiſtret. Hæc autem veteris ævi hæmorrhagiarum theoria partim vera eſt, & legibus motuum in corpore obviis reſpondet, partim vero etiam obſcura eſt & erronea, ignorantiumque circuitus ſanguinei olere obſervantur. Saltem ea ſanguinis acrimonia, quæ vaſa erodat, eaque illius tenuitas, quæ per poros vaſorum facile transſudet, gratis ſupponitur, aut forte rariſſime peccare obſervatur; neque otioſis ejuſcemodi falſisque principiis indigemus, ſed omnis hæmorrhagiarum ætiologia, facile fluit ex una circuli ſanguinis

 per

(*m*) Conſp. p. 131.

per canales corporis ſuccedentis natura accuratius conſiderata. Illud credo ſatis hodie evictum eſt, ſanguinem, ex quacunque demum corporis parte elabatur, non ex venis effluere, ut nonnullis viſum eſt, ſed ex arteriis potiſſimum, neque ex arteriis ſanguineis immediate, ſed ex arteriis ſecundi generis præcipue, vel dilatatis vel ruptis. Proxima videlicet omnium hæmorrhagiarum cauſa rectiſſime in inæquali fluxu arterioſo, venoſoque collocatur; ſimul ac enim plus ſanguinis in arteriolas ultimas alicujus partis influit, quam per venas revehitur, ſtatim non tantum arteriolæ ultimæ ſanguineæ implebuntur nimis, ſed & in diductas expanſasque ſecundi generis arterias, ſerum ſecundum naturam vehentes, obice in venarum principiis poſito, cruor penetrabit, tumque per harum ſeroſarum arteriolarum, ſi hoc partis fabrica permiſerit, dilatata oſtiola erumpet, vel prorſus ſoluta illarum continuitate profundetur. Atque eadem prorſus ſcena ludi debet, ſive e naribus, ſive e pulmonibus, ſive ex ventriculo, ſive ex utero, ſive ex inteſtino recto ſanguis proſiliat, etſi nullus nego interdum & venoſa vaſa diſrupta ſanguinis profluvium ſimul ſuſcitare. Illud vero ſublatum fluxus arterioſi & venoſi æquilibrium, quod proxima cujuscunque hæmorrhagiæ cauſa habetur, ad quatuor potiſſimum cauſas procatarcticas, ſi bene attendimus referri poteſt, 1) ad laxitatem vaſorum illius partis, quæ hæmorrhagiæ ſedes, 2) ad oppoſitarum partium ſpaſmum, 3) ad vim vitæ nimiam, 4) ad viſcerum vicinorum, vel & aliquam partis ipſius, quæ morbum patitur, obſtructionem. Et primo quidem *vaſorum laxitas* in parte quadam, hæmorrhagiæ unicuique anſam ſubminiſtrare apta eſt, quando non ſaltem in venis influxum ſanguinis moratur, vel elanguescere facit, ſed & in arteriis copioſiorem liberioremve affluxum admittit, quo facto facile minutiſſimæ arteriolæ reſiſtere neſciæ violenter diſtenduntur, vel diſrumpuntur penitus, atque ita utraque ratione ſanguis earum per alveos egreditur. Atque ex hoc fonte non raro hæmorrhagias habituales, ac ex leviſſimis cauſis recrudeſcentes oriri videas. Non minus deinde *partium oppoſitarum ſpaſmus* multum hæmorrhagiarum excluſioni favet; in venis enim flumini ſanguinis remoram injicit, majoremque per

arte-

arterias ad partem ſanguinis propellit commeatum, quam qui ferri ab eorum extremis, lateralibusque tubulis ſine violentæ expanſionis rupturæve periculo valeat. Rurſum etiam *vis vitæ nimia* ſive exceſſus circuli, accedente definita diſpoſitione partis afficiendæ ſola, ſæpe effuſiſſimas hæmorrhagias ciet. Nam ſimul ac impetu majori citatiorique ſanguis per arterioſum ſyſtema projicitur, idem eſt, ac ſi quantitas movendorum fuiſſet aucta, quare in extremitatibus arterioſis tanta coacervatur ejus copia, ut non expedite ſatis tranſire in venularum oſtiola queat, hinc urgente a tergo perpetuo duplicata vel & multiplicata circuli vi, ita tandem expanduntur arteriolæ ultimæ, earumque laterales tubuli, ut amplius ſe reſtituere, ſanguinemque ipſum coercere nequeuntes, pleno rivo eum exilire permittant. Supereſt tandem *viſcerum vicinorum obſtructio*, nec difficile conceptu videtur, qui fiat, ut & illa hæmorrhagiis proritandis idonea habeatur. Fingamus quippe truncum quendam arterioſum ramos ſuos elargiri diverſis ſibi vero adjacentibus partibus; detur vero nunc aliquorum ramorum obſtructio, manente interim eadem per truncum ſanguinis advecti copia, nonne ob ipſam ramorum aliquorum obſtructionem majori niſu tum movebitur ſanguis per ramos apertos & liberos, quam moveretur ſi omnes eſſent liberi? Nonne ergo vis ſanguinis nimis in liberos agens extremitates eorundem diducet vel diffringet, limitesque ſuos naturales facile egredietur? Idem valet de partiali ipſius partis obſtructione, quæ ſedem hæmorrhagiæ conſtituit, niſi enim per omnes ejus arterioſos ductus æqualiter libereque diſtribui, prompteque venarum principia ipſis continua ingredi queat cruor, is advectus & impingens in obſtacula, duplicato impetu liberas ab obſtructione arterias ingredietur, eademque ratione, ſi eam loci conditio ferat hæmorrhagiam excludet, ac hactenus demonſtravimus. Hæc, quam rudi penicillo pingere ſaltem licuit, hæmorrhagiarum theoria, veriſſimis fundamentis niti, maximumque uſum in praxi præſtare, hucusque mihi viſa eſt, falluntur nempe vehementer, qui de vitio ſanguinis, acrimonia, tenuitate &c. peccantis, emendando, vaſisque conſtringendis cogitant, utut hæc methodus ſatis vulgaris ſit, atque ad eam omnia fere

reme-

remedia communiter referantur. Breviſſimis nunc videbimus re-ſpondentem exacte ſtabilitis principiis hæmorrhagiarum thera-piam, ſimpliciſſimam equidem, ſed talem, in qua ſane omnis rei cardo vertitur, reliquisque omnibus medicationibus palmam fa-cile præripientem; quicquid etiam magnifici de iisdem prædice-tur. Id quidem ex antecedentibus eluceſcit clariſſime, ſive laxi-tas partis, ſive ſpaſmus oppoſitarum partium, ſive vis vitæ nimia, ſive obſtructio viſcerum, hæmorrhagiæ cuidam occaſionem in corpore dederit, eam proxime accidere illam ob rationem, quia plus ſanguinis per arterias affluit, quam per venas revehitur; il-lumque nimium impetuoſumque affluxum ſolum ciere vaſculo-rum illorum, ex quibus ſanguis emanat, vel dilatationem violen-tam, vel rupturam plenariam, non minus ex dictis hactenus liqui-do opinor apparuit. Præcipua ergo indicatio hæmorrhagias cura-turo illa mea quidem ſententia enaſci debet, quæ minuere affluxum arterioſum ad partem affectam jubeat, quod aliter fieri haud po-terit, quam revellendo & circulum debilitando. Atque in his lon-ge maximum ſanitatis præſidium latitare, ſatis convictus credo, ea-que propter ſine VS. ſine laxantibus blandis, ſine nitroſis, ſine opiatis, aliisque remediis, quæ vere revellendo hic agunt, aggre-di hæmorrhagiæ cujuscunque ſanationem velle, fruſtraneum fore firmiter perſuaſum teneo. Bene novi, quam multa loquantur Pra-ctici de vaſorum ſanguinem plorantium adſtrictione & congluti-natione; ſervent vero illi ſibi ſua, quibus ad hos fines utuntur, reme-dia, quæ omnia vel nihil agere poſſe, vel neceſſario damnoſa exi-ſtere, audax eloquor. Ego illis ſecurus carebo. Id equidem cer-tum eſt, non ceſſaturam hæmorrhagiam antea quam vaſa diducta vel rupta coarctata iterum fuerint, omnis vero conſtrictio & coar-ctatio, quam maxime a revulſione & circulo in juſtum moderamen redacto, expectanda. Etenim ſi ceſſet in vaſa ſanguinem eructantia excurrens appulſus vehemens, illa, ſi ulla ſpes ſupereſt, vi ſui elateris ſeſe reſtituent, contrahentque, neque enim ulla alia methodo conſtrictio poſſibilis, niſi forte immediate ad locum affectum ap-plicare liceat adſtringentia, ſanguinemque ſiſtentia remedia. Sim-plex, fateor, apparet hæmorrhagias ſanandi methodus, nil aliud

præ-

præcipiens, quam ut ſanguis a parte affecta revellatur, omnisque circuitus ejus debilitetur; ſed hercle! nulla alia indicatio vere reſpondens ingenio horum morborum, mihi ratione & experientia edocto, hactenus innotuit. Solam enim ſi excipio ſpaſmorum vehementium pacationem in paroxyſmo, & extra eum, in chronicis potiſſimum ſanguinis profluviis, laxorum vaſorum corroborationem & obſtructorum viſcerum recluſionem, nil video quid agendum ſit aliud cum ratione Medico, quam revellere, & circuitum ſanguinis quam moderatiſſimum reddere. Utinam majora ejus arbitrio eſſent relicta, ſed nihil aliud fert hæmorrhagiarum medela, quod prolixius commonſtrarem, ſat luculenter, niſi extra oleas vagarer omnes, ſecundum ordinem horum morborum ſpecies examinando. Nequeo tamen mihi temperare, quin unam eorum ſeligam, eamque paulo curatius contempler, differam itaque lectorum pace nonnulla de hæmoptyſi, non injucunda forte nec inutilia futura.

§. 3.

Hæmoptyſis probe diſtinguenda ab hæmorrhoidibus oris, quarum mentionem facit Ill. noſter de Helwig, (*n*) varios fontes agnoſcit, ex quibus præter naturæ ordinem cruor erumpit, eorundemque intuitu majori minorive periculo ſtipatur. Interdum enim tantum circa ipſum aſperæ arteriæ caput ſenſus aliquis titillationis oritur, tuſſimque creat, cum qua parciſſima quantitate & guttatim ſaltem ſanguis excernitur. Alio tempore profundius ex ipſa trachea ſanguis ſtillat, irritandoque nervoſam ejus, qua inveſtitur, tunicam, tuſſim provocat, qua is ejicitur, verum iterum parca admodum copia, & ſine periculo. Sed in majori diſcrimine æger conſtituitur, quando adhuc profundius membrana illa, quæ bronchia cingit, ejusque effingit cellulas, mali ſedes eſt. At in ſtatu omnium maxime deplorabili ille verſatur, ubi ex ipſis pulmonum penetrabilibus, ipſaque adeo viſceris hujus ſubſtantia, cruor ſcaturit largiſſima copia, & pleno ſæpe rivo, tuſſi ſuperveniente, exſpuendus. Paucis dicam, præſente hæmoptyſi, modo ex arteriolis in laryngе reperiundis, modo ex illis, quæ per interiorem membranam

De hæmoptyſi quædam.

(*n*) Hiſt. morb. Vrat. An. 1700. p. 50.

ipſius aſperæ arteriæ ſerpunt, modo ex ramificationibus arteriæ bronchialis, modo ex ramis eheu! ipſius pulmonalis arteriæ ſanguis profunditur. Duplex autem ſaltem modus poſſibilis eſt, quo ſanguis omnes illas arterias, de quibus locutus ſum, egrediatur. Aut enim illarum extremitates, quæ in arterias ſecundi generis jam degenerant, adeo debent dilatari, ut ſanguinem transmittant, evomantque, aut in illis accidere debet ruptura, ſeu ſolutio continui. Notum autem eſt, ſolutionem continui in parte molli recentem, cruentamque Medicis audire vulnus, ſed exacte quadrat hæc vulneris definitio ipſi hæmoptyſi; Verum ergo eſt, hæmoptyſin eſſe vulnus pulmonis ſecundum Pitcarnium, ſi modo conſideretur, dari etiam interdum hæmoptyſin ſine vulnere, nimirum a dilatatione vaſorum ſola. Scilicet cl. Ruyschius in pulmonibus deſcribit apices vaſorum arterioſorum in cava veſicularum bronchialium hiantes, e quibus partim ſerum perſpirabile, partim etiam tenuis unctusque liquor lubricationi veſicularum deſtinatus, perpetuo exhalat. Atque ego hos apices ita a cauſa quacunque debilitatos, aut impetu circuli diductos, ut errore loci, loco ſeroſi humoris, ſanguis ſincerus in eos penetret, ipſiſſimum ſubjectum hæmoptoës ſæpe conſtituere, eamque ita a ſola dilatatione oriri, firmiter crediderim. Saltem non abſolute ad hunc morbum requiri vulnus, me credere cogunt paſſim extantes, Practicisque adhuc obvenientes obſervationes excretionum ſanguinis, per pulmones periodice affligentium, chronicarumque, ac quod mirum, nil mali præterea afferentium ægris. Ita enim apud Tulpium (*o*) pictor habetur, ultra 30. annos ſanguinem exſpuens, meritoque huc inter alia aliorum exempla referri debet hæmoptyſis illa menſtrua, nobilis cujusdam fœminæ indemnis, diuturna, per novem nimirum continuos annos ab illuſtri Hoffmanno annotata. (*p*) Etſi autem ex his veriſſimum redditur, a ſola vaſorum pulmonalium debilitate, laxitate, dilatatione, oriri poſſe hæmoptoën, ſemper tamen & maxime, quando dolor pectoris preſſorius gravansque, ac anxietas præcordialis morbum comitatur, metus eſt factæ rupturæ; nemoque facile, niſi forte ſanguis paucus ſaltem, mucusque ſtrias ſaltem ſangui-

(*o*) Libr. II. c. XI. (*p*) Med. Syſt. Tom. V. c. 46.

nis exhibens, exſpuatur, certo determinabit, ſolam peccare vaſorum dilatationem. Bene ergo omnis hæmoptyſis paulo gravior, a Medico tractatur ut vulnus pulmonis, præcipue cum dilatationi eadem conveniat ſufficiatque medendi methodus, quæ vulneri. Quodſi vero ſub hæmoptyſeos idea concipio vulnus pulmonis, ſtatim intelligo, illa omnia, quæ vulneri cuicunque accidunt, neceſſario etiam accidere debere vulneri pulmonis. Videlicet nati per ſuas cauſas vulneris pulmonalis labia a ſe invicem recedent, cruor impetuoſe effluet, cruſta ſanguinis cavo vulneris innaſcetur, labia dein incipient rubere, calere, tumere, inflammari, aderitque brevi temporis ſpatio vulneris ſuppuratio, vomica, phthiſis, a qua toties mors inevitabilis. Docent, opinor, triſtiſſima tot hæmoptoicorum funera, nimis verum eſſe, quod hæc omnia ita ſeſe habeant, talique ordine ſeſe excipiant, eoque magis mirandum eſt, in praxi triviali frigide adeo & oſcitanter agi cum ſanguinem exſpuentibus, morbumque ſuo fato toties permitti, aut plane damnoſa methodo funus ægri præcipitari. Neque enim diſſimulare volo, minus mihi arridere vulgatorum remediorum in hoc graviſſimo affectu uſum, neque noſſe valde paucos Practicos, quorum methodus vere morbi ingenio reſpondeat; plurimi, quod ſine hæſitatione eloquor, aut non multum proſunt, aut valde nocent, neutrum decet ingenium, doctumque Medicum.

§. 4.

Ego interim pro virium mearum modulo, directo obtutu adſpiciens ipſiſſimam mali faciem, in curatione attendendum eſſe ad ſequentia hactenus cogitavi, aliter omnia agi imprudenter, otioſe, periculoſe perſuaſus. *Therapia Hæmoptoes rationalis.*

I. Ut cauſa morbi ſingularis prudenter reſpiciatur, & ſi fieri poteſt, vel ſtatim in paroxyſmo, vel ſaltem mitigato eo removeatur.

II. Ut ſanguis ex dilatatis aut ruptis arteriolis, vel & arteriis pulmonicis effluere ceſſet; Ita tamen, ut ejus tranſitus per vaſa pulmonalia omnia maneat liber, aliter enim nil juvat ſanguinem ſtitiſſe, ſed æger periculo manet expoſitus, celerique ſæpius pede tendit ad mortem.

III. Quia magnus ſemper metus adeſt, ſi æger non ab immani ſan-

guinis jactura moritur, ne poſt hæmoptoën ſequatur phthiſis, ita ratiocinandum erit Medico: phthiſis ab ulcere pulmonis tecto in vomica, vel rupto; ulcus a ſuppuratione; ſuppuratio ab inflammatione vulneris. Igitur a vulneris inflammatione pthiſis. Sine inflammatione enim nec pus, nec alia triſtia conſectaria, quæ certo ponunt inflammationem prægreſſam. Adeoque in curatione hæmoptoës, omni modo præcavenda inflammatio vulneris pulmonici.

IV. Pulmonum functio motu perpetuo abſolvitur, & hæmoptoës inſeparabile ſymptoma eſt tuſſis violentum motum concuſſorium pulmonibus totique pectori inducens. Motu vero pulmonum tuſſiculoſo, vel alio quocunque, facillime diſponuntur vaſa pulmonalia læſa, ſive dilatata fuerint, ſive rupta, ut ſanguinem denuo eructent; quare in curatione hæmoptoës diligentiſſime proſpiciendum, ut ſedetur tuſſis, pulmonesque, quantum fert eorum functio, utcunque ſerventur quieti.

Non dubito lectores ingenuos doctosve, ac veri ſtudioſos, largituros libere, ſatis ardua eſſe quæ propoſui momenta, ſineque eorum rigidiſſima obſervatione omnem therapiam fore fruſtraneam, damnoſam, irrationalem, empiricam. Operæ pretium eſt, ut ad ſingula attendamus ſigillatim.

I. Quod attinet remotionem cauſæ ſingularis v. gr. plethoræ ingentis, ſuppreſſionis menſium, hæmorrhoidum, acrimoniæ ſanguinis, ſi forte illa peccat, polypi, tuberculorum pulmonalium tuſſis ferinæ prægreſſæ; laxitatis nativæ pulmonum, vaporum acrium cauſticorum, obſtructionis vicinorum viſcerum, &c. facile patet illi primam ſtatim animadverſionem deberi, ponderandum autem eſſe, ſi cognoſcatur follicite, an ita comparata, ut removeri poſſit, an removere eam in paroxyſmo expediat, an differenda videatur ejus remotio, quæ omnia hic fuſe tractare non patitur inſtituti ratio.

II. Providendum, ut ſanguis ex vaſis ruptis vel dilatatis effluere ceſſet, ergo tollenda cauſa dilatans vel rumpens. Quæ vero hæc? Sane nulla quam circulus inæqualis ſanguinis per pulmones, niſusque arterioſi ſanguinis nimius vaſis dilatatis, vel ruptis incum-

cumbens. Igitur ut vaſa dilatata & rupta dilatari ulterius rumpique ceſſent, ſimulque libertatem adipiſcantur ſeſe contrahendi & coarctandi vi proprii ſui elateris, opus eſt, ut impetus ſanguinis arterioſi excurrens verſus pulmones debilitetur, & ad alia loca, quibus innoxius eſt, revellatur. Hoc impetrato, ſi a ſola dilatatione eſt hæmoptyſis, aut ſi ruptura non ingens, certiſſime ſanabitur. Paucis ergo ſpectabimus remedia his finibus vere ſervientia. Agmen omnino ducit

1. VS. Dantur, quod pulchre novi, inter Medicos, qui aut dubitant, an locum in paroxyſmo illa habeat, aut plane eam interdicunt, & noxiam declarant, aut fere adiaphorum habent, aut ſaltem non validis adeo argumentis urgent. Mira hæc res eſt, quæ toties me vel legentem, vel audientem talia in ſtuporem conjecit. Omnes hi volunt finem, negligunt interea remedia. Si ſanguis ea copia, eoque impetu vadere ad pulmones perrexerit, qui dilatationem & rupturam primo produxit, quis mente concipiet effuſionem ſanguinis ceſſaturam? Nonne eadem manente cauſa idem manebit, durabitque effectus? Quid vero mihi dabis ad minuendum impetum arterioſum, circulum omnem quietiorem reddendum, copiam ſanguinis minuendam, ejusque nixum a pulmonibus revellendum præſentius VS.? Adeo vero illius tempeſtiva adminiſtratione opus eſt, ut quo diutius differatur, eo reddatur morbus pertinacior, periculoſior, qui forte celerrima phlebotome poterat ſuperari. Vah! quis crederet quæri poſſe inter Medentes an utilis & neceſſaria ſit VS? Taceo ego, ſed loquuntur & clamant ſtabilita antea principia: Omnium remediorum indicatiſſimum eſſe in hæmoptyſi remedium phlebotomen, in nulla re magis peccare Medicum quam in ejus omiſſione, poſtularique non modo, ut ſit larga, ſed ut repetatur bis, ter, quaterque intra breve temporis intervallum, ſi neceſſitas exigat. Non movet me, ut ab hoc generoſo remedio abſtineam, Practicorum quorundam, quorum nomina cæteroquin veneror, autoritas, quosque adducere prolixum nimis & forte odioſum fore reputo. Neque animadverſionem mihi mereri viden-

dentur lepidæ narratiunculæ hac difficultate laborare VS. in paroxyſmo hæmoptoës adminiſtrationem, quod natura VS. remedium ipſi exoptatum denuo efflagitet & facile hæmoptyſin iterum ſuſcitet, ſub ſpe ſecuturæ VS. (*q*) Sane cætera omnia, quæ ſerio etiam magis objiciuntur a nonnullis, præjudicatas ſaltem opiniones redolent, leviſſimoque negotio diluuntur. Superant facile, opinor, adverſariorum argumenta Medicorum ſubacta experientia conſpicuorum, qui calculum VS. adjiciunt ſuffragia, BENEDICTI, SYDENHAMI, BOERHAAVII, quorum auctoritates, ſi iis pugnandum ſolis eſt, confidenter vel centum contrariis ſententiis opponere licet. *Frequentior ſane viribusque partitis celebranda in curanda hæmoptyſi, merito laudanda eſt phlebotomia*, ſcribit BENEDICTUS *in theatro tabidorum. In hæmoptoe*, inquit SYDENHAMUS, (*r*) *Phlebotomia crebro inſtituta, enema quotidie injectum &c. opus pro voto abſolvunt.* Morbus hic *curatur VS. larga tertio quoque die ad quartam usque vicem repetita*, ait Illuſtr. BOERHAAVIUS. (*s*) Vix credo teſtimoniis pluribus magisque ponderoſis pro aſſerendo ſuo VS. in therapia hæmoptoës honore eſſe opus, quare in iis ſecurus acquieſco. (*t*) Phlebotomen autem jure ſequitur

2. *Nitrum.* Et hoc quidem nemo Medentum, ex quo ejus uſus crebrior in medicinam introductus eſt, in hæmoptyſi curanda collaudare fuit oblitus. Seriam attentionem merentur verba STAHLIANA ſequentia: (*u*) *Salva veritate aſſeverare poſſum, quod numeroſis hæmoptyicis drachma ſemis ſcrup. duobus ad drachm. unam nitri per vices opportunas exhibiti, ita efficaciter ſubvenerim, ut coercito quicunque ſuberat ſanguinis orgaſmo, non modo citiſſime, ſed etiam conſtantiſſime ceſſaverit eruptio atque fluxus.* Nitro vero merito jungendum eſt

3. *Opium*,

(*q*) conf. JUNCKERUS in Conſp. Tabula de Hæmoptyſi. (*r*) Oper. p. 362. (*s*) Aphor. 1200. (*t*) PITCARNIUS elem. Med. p. 168. 169. rectiſſime ſcribit, VS. in hæmorrhagiis celebranda, quæcunque ſit cauſa morbi, ob revulſionis neceſſitatem & utilitatem. Nec verum eſt, quamvis multi id dicant, non prodeſſe VS., ubi ſanguis acrior aut fluxior eſt cauſa hæmorrhagiæ, nam tum VS. in loco diſtante & oppoſito efficit, ut per aliquod tempus ſanguis minore copia & velocitate fluat ad locum, per quem fit hæmorrhagia. (*u*) In obſervat. chym. phyſ. Med. curioſis p. 464.

3. *Opium*, cujus uſu, quod Practicis notum eſt, omnes excretiones, ſolo ſudore excepto, potentiſſime ſiſtuntur. Id vero eximium remedii genus multum ſæpe commodi afferens hæmopticis, ſi ullum aliud motuum impetus feliciter coercet, undas ſanguineas rapidius provolutas inhibet, fluxusque blandiſſimum moderamen ciet, quibus omnibus præſtandis tantopere invigilare tenetur Medicus prudens. Nollem autem omittere libenter

4. *Blandiora laxantia* atque clyſmos emollientes. (w) Sane his multum favere præter alios illuſtr. HOFFMANNVM ex illius *medicina ſyſtematica* conſtat, memoratuque digniſſima eſt reperiunda Tom. IV. Part. II. capite de hæmoptyſi obſervatio tertia, theologum ſiſtens hæmoptoën ſæpius affligentem perpeſſum, ſed oborto ex diætæ errore copioſiori alvi fluxu feliciſſime & conſtantiſſime ſanatum. Atque hic caſus vel ſolus egregie comprobat, quam proſit alvus laxior in curatione hæmoptoës, quam feliciter ſanguinis affluentis vim a pulmonum viſcere revellat. Taceo pediluvia tepida, artuumve ſuperiorum immiſſione in aquam tepidam, ligaturasque artubus injiciendas, quæ omnia vim circuli ad alia loca, quibus is innoxius eſt, deducunt, fluxumque ſanguinis ad pulmones vergentem remorantur. Pergimus ulterius.

III. Curatio hæmoptoës ſeria omni modo cavere jubebat inflammationem vulneris pulmonici. At licet hoc momentum ſit valde arduum, omniumque maxime requiſitum in hujus affectus therapia, neſcio tamen an a Practicis adeo animadvertatur, ſaltem illud urgeri, ut decebat, in artis operibus vix recordor, plurimi certe de eodem tacent penitus. Nullus vero interea Medentum vanum id eſſe demonſtraverit facile, quare ego iterum audax ad curationem hæmoptoës poſtulo VS. eandemque repetitam, quum nondum cognitum ſit remedium ea magis antiphlogiſticum. Si enim curatio hæmoptoës id requirit, ut præcaveatur inflammatio, nulla ratione carere poterit artifex VS. Qui debilita-

(w) Si hæmorrhagia dat inducias, purgantia blanda laudat Pitcarn. Elem. med. p. 168. 169.

litatem nimiam ægri jam debilis a ſanguinis detractione metuunt, in eo magnum latere curationis arcanum cogitent, ut æger debilitetur. Utinam quam debiliſſimus reddi poſſet affluxus ſanguinis ad pulmones, quam pulchre clauderentur vaſa ſaucia, quam egregie caveretur inflammatio! Auſcultemus ſaltem medicæ artis principi BOERHAAVIO. (*x*) *Si quis dicat*, inquit, *homines ita mire debilitari, reſpondeo, cur hoc non facerem, cum ſciam aliter eos morituros, ſed hac methodo ſola multos curavi.* Perpendant hoc velim curatius Practici, cogitentque quantum in medela hæmopticorum interſit, ſapuiſſe in futurum, ingruenti e longinquo phthiſeos periculo poſuiſſe obicem, nilque eorum neglexiſſe, quæ tempeſtive adhibita juvare poſſunt, ſero nimis applicata incaſſum adhibentur. Hic certe, ſi unquam, opportunitate practica opus. At vero cum phthiſis omnis poſt hæmoptoën eveniens, ſupponat vulneris pulmonici inflammationem: inflammatio autem nullo alio remedio certius inhibeatur VS. facile ſequitur ad declinandam ab ægro hæmoptico phthiſin, ſi declinari ulla ratione poteſt, nil arte humana excogitari poſſe convenientius præter miſſionem ſanguinis. De nitro, diluentibus aliisque ad hunc finem facientibus antiphlogiſticis jam nil dicam Sequitur tandem

IV. Neceſſaria conſideratio tuſſis ſymptomaticæ conſopiendæ, quietisque omni modo pulmonibus præſtandæ. Eximie huc faciunt, quæ alicubi commentatus eſt celeb. BOHNIUS: (*y*) *Hæmoptoë*, ait, *ſicut interdum cum tuſſi vehementiori fit, ita in ejusmodi caſu primum ſine dubio indicans hæc conſtituit, quod cruorem ex vaſis pulmonalibus quaſi exprimat, ac rupturæ horum cauſa evidens & aliquando ſolitaria exiſtat. Adeoque ante omnia eo allaborandum, ut ad quietem componatur pectus, ſeu ab hoc tuſſis laceratoriæ concuſſiones avertantur, antequam rupturæ vaſis ſanguinem fundentis ſucceſſive mederi liceat, imo frequentius, modo tuſſis ſedata eſt, ſi ſponte ceſſat exſpuitio cruenta.* Iterum ergo hic apparet, indicatiſſima eſſe in hæmoptoë ſananda opiata remedia, vixque eſſe posſibile ut ſine iis feliciter morbus ſuperetur. Exquiſitiſſimus ſenſus eſt

(*x*) in Pr. aph. 1200. (*y*) de officio Medici Part. I. c. 10. p. 230.

eſt nervulorum, pulmonales membranas cellulasque perreptantium, ita ut, leviſſima irritatione titillati, facile ſpaſticis convulſivisque motubus ciendis idonei habeantur, tuſſimque ita procreent penitus felici morbi ſanationi contrariantem. Nil vero ad domandam eam, irritationis ſenſum tollendum, acrimoniamque ſtimulantem, ſi adeſt, involvendam aptius, demulcentibus, emulſivis, incraſſantibus pharmacis, quæ tamen omnia longe inferiora ſunt opio, ſæpeque inſufficientia nimis, ad hos fines obtinendos, deprehenduntur. Hoc inter ea, quæ quietem pulmonibus conciliant, primarium, modo æger juſtum ſimul obſervet regimen, atque a motu muſculari omni in genere, exercitiisque in ſpecie pulmonicis, riſu, ſermocinatione, ſternutatione &c. ſedulo ſibi caveat.

§. 5.

Fallor certe vehementiſſime, aut illis momentis ſolis, quæ ſeorſim contemplatus ſum hactenus, omnis fauſta hæmoptoes therapia nititur, neque opus eſt, ut aliis indicationibus otioſis interdum, alienis interdum, noxiisque haud raro, inhæreat Medicus, etſi eas in plurimis Practicorum voluminibus ſtabiliri ingerique, admodum obſervare eſt. Sunt, qui hæmoptoën morbum eſſe pectoris contendunt, adeoque eidem pectoralia remedia deberi, prona conſequentia ita dictitante, arbitrantur. Alii acrimoniam quandam ſanguinis mente tenent, eidemque corrigendæ invigilandum eſſe ſuadent. Multi ſanguinis orgaſmum reſpiciunt, ac temperantibus refrigerantibusque opus eſſe clamant. Rurſum non pauci ſunt, qui ſanguinem nimis fluidum incraſſandum eſſe ducunt, quo minus per exilia vaſorum oſtiola libere queat effluere. Plurimi, læſionem vaſorum pulmonalium ante oculos habentes, nil opinantur eſſe convenientius, quam ut diſrupta vel dilatata vaſcula conſtringantur, tunc enim prohiberi debere ſanguinis exitum præternaturalem argumentantur, quare ſummo jure ad adſtringentia & vulneraria confugiendum eſſe, prætendunt. Nonnulli laxitatem vaſorum pulmonalium præcipue peccare autumantes, tonica blandiora, præ adſtringentibus crudis, commendare haud verentur. Tandem inveniuntur quoque, qui, grumos ſanguinis ab effuſione ſuperſtites, maxi-

Inania Practicorum molimina in curatione hæmoptoës.

mum metum futuræ phthiſeos incutere aſſerunt, eapropter grumos hos reſolventia, fluoremque ſpiſſeſcenti cruori reddentia indicari in curatione hæmoptoës urgent. Sat amplus igitur in praxi triviali remediorum hæmoptyſi dicatorum apparatus, quo tamen, ſi vera eloqui licet, quamcunque demum etiam ſpeciem præ ſe ferat, oleum & operam perdunt medicinam facientes, ac magna quævis ſibi inde promittentes, non niſi in negotioſo otio verſantur, ſpectatoresque ſaltem exiſtunt morbi eventus. Foret conſideratio omnium horum remediorum, quæ citavi, a ſcopo meo aliena, niſi terreſtria pharmaca ſub hoc fuco ſæpiſſime latitarent, illisque reſpectubus a Medicis porrigerentur. Cogor ergo inſtituti mei ratione, ut de ſingulis pauca diſputem, vanitatemque eorundem ſigillatim ex ipſo ingenio morbi, quod haud perfunctorie in antecedentibus pingere anniſus ſum, clariſſime commonſtrem. Primo quidem illam argumentationem, quæ a morbo pectoris, in cura hæmoptoës, ad pectoralia remedia concludit, ſat infelicem, miſeramque habendam eſſe cenſeo, valdeque vereor, ut ille Medicus ſuas partes rite tueatur, qui eam in medendo viam fuerit ingreſſus. An enim notitia morbi pectoralis, ſufficit ad formationem indicationum? an ſufficit ordinaſſe hæmoptoico remedium qualecunque, modo a Practicis ſtatuatur pectorale? anne toto cœlo a ſe differunt pectoris affectus, totoque cœlo inter ſe differentia flagitant remedia? Nego præfracte decocta officinarum pectoralia, elixir pectorale WEDELII, regium, Michaëlis &c. Pulverem pectoralem WEDELII, ſpecies diaireos, Caſcarillam quadrare hæmoptyſi, licet pectoralia habeantur remedia, atque ſæpiuſcule in hæmoptoë curanda uſurpentur. Quid vero mihi cum his omnibus eſt, cui terrea ſola conſideranda ſunt? Sed & hæc audiunt, ſat multis materiæ medicinalis ſcriptoribus, pectoralia, (z) quod facile evolventibus eorum monumenta innoteſcet. Quando autem pectoralium promiſcuorum uſum abominor in curanda hæmoptyſi, terrea etiam, ſive vere pectoralia ſint, ſive minus, quod jam non inquiſiturus ſum, neutiquam tolero, niſi ſimul fautores eorum indicent, cui præcipue indicationi deſtinentur, pluraque opponere remediorum ſine diſcrimine pro pectorali-

per terrea ceu pectoralia

rali-

(z) Vid. materia medica Teichmeyeriana.

ralibus habitorum ope hæmoptyſin curaturis ſupervacaneum eſſe arbitror. Tranſeo ad *correctionem acrimoniæ ſanguinis.* Non autem hic fuſe diſputaturus ſum, an vere detur talis ſanguinis acredo, quæ aut ſtimulando, aut erodendo vaſa, aut alia quacunque ratione hæmoptyſin inducat. Detur enim tantiſper acrimonia ſanguinis in hæmoptoë, quid inde? Acrimonia, hæc aut poſtulabit ea remedia demulcentia, quæ omni in genere acrimoniæ cicurandæ inſerviunt, aut illa, quæ ſpeciatim acrimoniæ definitæ cujusdam indolis, talique ſoli, opponi cum ratione queunt. Ad univerſalia quamcunque acrimoniam corrigentia remedia, nemo facile terreſtria pertinere probaverit. Sique ſpeciatim, acrimoniæ cujuscunque in corpore humano ſupponendæ, ingenium ſcrutemur, nulli alii competent terrea pharmaca, præterquam acidæ. Si ergo probari poteſt, hæmoptoën poſſe produci ab acrimonia ſanguinis acida, tum largior, uſum terreſtrium eumque convenientem agnoſco, nunquam aliter. Atque hoc ipſum facere moliuntur pathologiæ acido-ſalſæ conditores, nonnullique Neotericorum, qui præter rem acido ſanguinis adhuc indulgent, quaſi reliquias aliquas, & rudera quædam antiquæ theoriæ acidæ, in medicina hodierna, proſperæ memoriæ ergo conſervaturi. Scripſit cl. ETTMULLERUS, *in hæmorrhagiis habitualibus, a ſanguine turgeſcente ex acido volatili, in vinipotatoribus, adeoque & in iis, qui vulgo ex ſanguine bilioſo, & hepate nimis calido, hæmorrhagias pati dicuntur, terrea proſunt.* (*a*) (Porro) *Ex animali regno in hæmorrhagiis, conveniunt in genere animalium partes duræ, in ſpecie, ebur ſine igne, unicornu verum, dens hippopot. &c. quæ omnia, abſorbent vitioſa acida, & incraſſant ſanguinem.* (*b*) Et alibi *bolus armenas utilis eſt in ſputo cruento, phthiſi, & ſimilibus ab acidiore lympha natis affectibus.* (*c*) Sequitur inter alios ETTMULLERUM LANGIUS, qui conſcripta peculiari quadam diſſertatione de hæmorrhagiis, acrimoniam ſanguinis acidam accuſat, eaque propter in curatione terrea abſorbentia commendat. Quid opus eſt, ut alios, eidem perverſæ, de acido univerſali morborum cauſa, hypotheſi inhærentes, ac proinde & hæmorrhagias ab acido deducentes, & remedia earum in antacidis remediis quærentes, fuſe memorem.

Per terrea ceu acrimoniam ſanguinis corrigentia.

(*a*) Oper. p. 613. (*b*) Oper. p. 615. (*c*) Oper. p. 712.

Sufficit, & hic iterum innoteſcere, de quo alibi ſæpius jam conqueſtus ſum, uſum otioſum terreſtrium pharmacorum, in ſedandis hæmorrhagiis, magnam partem deberi pathologiæ acidæ. At vero, cum acidum ſanguinis, ut ſupra fuſius indicavi, ſit inane figmentum, fallentur turpiter, qui fruſtra in eodem hæmorrhagiarum ætiologias collocant, atque cum umbris & larvis machinentur prælia, fruſtraque omnia agant, qui ſanguinis profluvia antacidis curare aggrediuntur, neceſſum eſt. Si autem vere adeſt ſanguinis acrimonia, proderunt diluentia, demulcentia, gelatinoſa, lacticinia &c. non terrea. Ordo poſceret, ut nunc pauca exponerem, *de ſanguinis orgaſmo* in hæmorrhagiarum medicatione terreis abſorbentibus componendo. At vero integro capite jam evici, fruſtra orgaſmo opponi abſorbentia, quare ſponte ſequitur, terrea, in hæmorrhagiis etiam pro ſanguinis æſtu reſtinguendo, adhiberi ſolita, incaſſum adhiberi, neque unquam aliquid boni præſtari iis poſſe. Sine ambagibus ergo ad alia parabo tranſitum, atque aliqua edifferam *de ſanguine incraſſando*, inquiramque ſimul paulo curatius, an hæc indicatio rationi, genioque morbi competat, nec ne. Videtur illa non nova eſſe, ſed antiquiorem theoriam olere, qua ſanguis tenuis nimis in cauſarum hæmorrhagias cientium numero inculpabatur, utpote ex vaſorum oſtiolis facile tum elabens, ſponte remanſurus in alveis, quibus coërcetur, ſi ſaltem craſſior pauliſper denſiorve futurus erat. Naſcitur vero ex his ſuppoſitis ſine dubio ſtatim indicatio, quæ ſanguinem incraſſandum præcipit; ad hunc diem vero terrea incraſſantia habentur a Medicis, namque inter recentiſſimos, cl. JUNCKERUS: (*d*) *dantur remedia*, ait, *quæ, humores incraſſando, effectum edunt, qualia ſunt terrea, bolaris & gypſeo-calcareæ indolis, quæ humores nimis fluidos inſpiſſando eos ad affluxum, & effluxum ineptiores reddunt.* Ergo prona conſequentia ſequitur, terrea, incraſſando ſanguinem, mederi debere hæmorrhagiis. Eſt in hac ſententia ipſe celeb. FREINDIUS, namque *in* ſua *emmenologia*, docte omnino & eleganter conſcripta, (licet eam non omnibus numeris abſolutam eſſe, demonſtrare conetur cl. HERELIUS) (*e*) paſſim de coagulo, lentoreque ſanguini inducendo loquitur, quo effluere ulterius prohibeatur, inque experi-

per terrea ceu antorgaſtica.

per terrea ceu incraſſantia.

(*d*) Therap. gen. Tab. XVI. p. 432. (*e*) diſſ. de Emmenologia Freindiana

perimentis calci operis, annexis de remediorum, quæ commendaverat, viribus, omni modo probare nititur, multa coagulum inducendo operari, hacque ratione ſanguinis profluvia ſanare. Idem vult cl. PITCARNIUS, *ſi hæmorrhagia eſt perpetua*, inquiens, *ea ſunt uſurpanda, quæ vaſa conſtringunt, & præſertim craſſitiem, & lentorem ſanguini conciliant.* (*f*) Famoſi ea de cauſa a longo inde tempore fuere trochiſci de carabe, ex meris terreis adſtringentibus, glutinantibus, incraſſantibus compoſiti, neque olim ſaltem deprædicati ſunt in hæmoptoë a Medentibus, verum adhuc in recentiſſimo Viennenſium diſpenſatorio, in ſputo ſanguinis, hunc cohibendo, opitulari dicuntur. Largior autem nunc, terrea incraſſare ſanguinem, quomodo hoc ipſum perficient? Non, hercle! ratione alia, quam ſuggerendo ipſi particulas terreſtres, quibus inops nimis eſſe ſupponendus eſt, aquoſioresque moleculas, quibus ejus craſis abundat, abſumendo atque imbibendo. Ergo certa quædam requiretur proportio, inter remedium incraſſans & quantitatem ſanguinis incraſſandi. Jam vero nemo facile in ea opinione verſabitur in univerſa illa ſanguinis copia, quæ in corpore ægri hæmorrhagia adfecti deprehenditur, aliquam ſaltem portionem tenuitate peccare, reliqua mole interea ab hoc vitio immuni, ſed hoc vitium omni maſſæ competere debere, largiri tenebitur quilibet. Porro, quivis incraſſantium Patronus cogitare debebit, ſanguinem, qui præter naturam, ex pulmonibus vel alio loco prorumpit, non fixum hæſiſſe antea in vaſis pulmonalibus, ſed, lege perpetui circuli, excerni poſſe ex pulmonibus cruorem, qui paucis momentis antea fuerat in capite, corde, hepate, paucis, omnem in toto vaſorum ſyſtemate oberrantem. Adeoque, ſi incraſſatione ſanguinis, hæmoptyſis, vel alia hæmorrhagia quæcunque curanda eſt, opus erit, ut incraſſetur univerſa ſanguinis maſſa, quæ in corpore circulat, tum enim, ſive hæc, ſive illa ejus portio, applicetur pulmonibus, ejus eruptio prohiberi poteſt, non aliter. Sed, bone Deus! quot abſurda ex hiſce ſupponendis conſequuntur! Nimirum, tum ex hypotheſi, non ad ſcrupulos præbenda erunt terrea incraſſantia, quid enim proderit, ſanguinis aliquot drachmas denſiores reddidiſſe, quibus etiam incraſſandis, ſcrup. j. vix ſufficiet; ſed exhibendi

(*f*) Element. Med. p. 168. 169.

erunt pulveres terreſtres, ad uncias & libras, hisque exhibitis, vix ac ne vix quidem obtinebitur, ut, ob ſanguinem craſſiorem redditum, ejus eruptio conſopiatur. Sit vero vel tali vel majori vel minori terreorum incraſſantium copia, ſanguini lentor craſſitiesque ejusmodi inducta, quæ amplius elabi eum ex vaſis pulmonicis prohibeat, quid tum accidit vaſis cerebrinis exilisſimis, namque ad hæc & illa, eadem circuli lege, deferetur cruor per hypotheſin inſpiſſatus? Nonne obruetur brevi tempore totus pulmo ſanguine denſo & ſpiſſo, omniaque ipſius vaſa, ita obturabuntur? Nonne ſanguis, ita comparatus, cerebrinas arteriolas infarciet, nervos gravabit, milleque mala tum excludet? Paucis omnia comprehenſurus ſum. Ineptum reputo, ejusmodi vel mente concipere, denſitatem ſanguinis, quam loquor, terreis vel aliis incraſſantibus inductam, i. e. quæ vaſa læſa obſtruat, & ita, ſanguini ulterius effluxuro, ponat obicem; (talis namque concipiendus eſt) ſed ſi foret poſſibile, ut induceretur, antea vel peripnevmonicum ſuffocatumque, vel apoplecticum, mori debere, hæmoptyſi affectum ægrum, crederem, quam ſanguinis eruptio incraſſantibus foret levata. Doleo, his tricis Lecturorum prudentum animos offendendos fuiſſe, ſed, præterire hanc de ſanguine in hæmorrhagiarum medela incrasſando, materiem, nequivi, cum nimis de eadem verba facere ſoleant Practici etiam moderni. Nolo tamen, hæc, quæ de otioſa & ridicula incraſſantium adhibitione in hæmoptyſi commentatus ſum, ita intelligi, ac ſi omnem eorum uſum, in hujus affectus therapia, rejiciendum eſſe ducerem plane. Licet enim ea, reſpectu ſanguinis, neutiquam locum habeant, tamen uſum aliquem præſtant, tuſſis intuitu, quæ pro urgentiſſimo ſymptomate habenda eſt, ut ex ſupra allatis innotuit. Hanc igitur quando tenuis irritansque acrimonia fovet, egregie ſe gerent demulcentia, incraſſantia, gelatinoſa, emulſiva, oleoſa ſingula, hocque reſpectu nullus nego, ſperma ceti recens, ſpecies diatragacanth. looh ſanum & expertum, oleum amygdalarum dulc. & alia, quæ a Practicis toties laudantur, in hæmoptoë utique prodeſſe poſſe, at nunquam, ſanguinem incraſſandi fine data, talia proderunt. An vero eadem virtus tribuenda terreis? etiam ſi ſolam tuſſim velimus reſpicere, quis hoc dixerit? Quis hoc

hoc probaverit unquam? Nulla certe iis demulcens virtus, nulla acrimoniam temperans, acida ſola excepta. Ejicienda ergo terrea e catalogo remediorum, tuſſim hæmoptoicam fallentium, neque etiam veris talibus fidendum nimis, non enim negligendum facile, ſi unquam, hic indicatiſſimum opium, quod omnia demulcentia & incraſſantia ſuperat longiſſime. Sed nimis forte occupor in hiſce, flagitat tandem, quod iisdem excutiendis jam abſumſi tempus, ut incraſſantibus *adſtringentia* mox ſubjungam, præcipue cum plurima horum experimentis FREINDIANIS (*g*) teſtantibus, ita comparata ſint, ut non ſaltem in ſolida agant, fibrasque ſtringant & contrahant, ſed & ſimul humores coagulent incraſſentque, de qua re modo actum eſt. Nulla vero antiquior cura, & ante & poſt inventum ſanguinis circulum, atque ad noſtrum ſeculum usque, Medentibus extitit in ſanatione hæmoptoës; nullaque omni tempore occupatio iis viſa fuit morbo convenientior, quam de claudendis rivis, ex quibus erumpit cruor, vaſisque eapropter conſtringendis cogitare. *Hemoptoës curatio* ſcribit RIVERIUS (*h*) *perficitur, revellendo ſanguinem a pulmone, malam illius qualitatem corrigendo, & venam apertam obturando, adſtringendo & conglutinando.* Idem urſit, ſed multo adhuc diſtinctius, de obturatione, adſtrictione & conglutinatione locutus ante RIVERIUM eſt SENNERTUS (*i*) eo capite, quo de vaſorum pulmonis apertione egit. Poſtquam enim in genere primo præcepit, apertum vas eſſe claudendum, deinde, ſi apertio facta ſit per anaſtomoſin, obturantia & adſtringentia, ſi per diapedeſin, denſantia & incraſſantia, ſi per rixin, agglutinantia, ſi per eroſionem, ſarcotica eligenda ſuadet. Atque ejuscemodi præcepta, ad hunc diem fideliter Medentes ſecuti ſunt, neque enim ullum deprehendere licet ſcriptorem Practicum, qui adſtringentia non collaudaverit in hæmoptyſi, vixque ullus inter modernos Medicos clinicos invenietur, qui in ſanguinis profluviis, pauloque gravioribus præcipue, plena fiducia & tanquam ad ſacram anchoram ad adſtringentia haud confugere ſoleat, nullaque alia remediorum genera indicari magis ab urgente malo, variis forte fruſtra jam uſurpatis cenſeat. Amat ille

per terrea ceu adſtringentia

(*g*) Emmen. p. 216. 217. (*h*) p. 257. in Operibus in fol. (*i*) Med. Pract. Lib. II. p. 179.

ille corallia, hic lapidem Manati, alius ſpecies de hyacintho, alius bolum armenam magni æſtimat. Titius ſanguinem draconis, Mævius lap. hæmatitem Sempronius crocum martis antimoniatum Stahlii, ſpecificum ſuum conſtituit. Omnes denique conſentiunt in uſu adſtringentium. Taceo laudes, quas ſeorſim vel huic vel alii ſimplici adſcriptas, paſſim legere licet, taceo compoſitorum remediorum pro hoc fine deprædicatam farraginem. Notum eſt, quanto verborum ſtrepitu, pilularum ſuarum ex alumine & ſanguine draconis compoſitarum, uſum, in omnibus cujuscunque demum generis hæmorrhagiis cohibendis, ſingulari tractatu conſcripto, ebuccinaverit HELVETIUS, (k) & quid attinet plura commemorare, de materia omnibus notiſſima? In eundem communem conſenſum, me, non minus abreptum olim, diu detinuit populare præjudicium, ſatis vero, poſtquam id feliciter abjeci, convictus ſum omnia, quæ de adſtringentibus dicuntur, in hæmorrhagiarum curatione, a Viris etiam cæteroquin doctiſſimis, ne quidem unius aſſis pretium æquare, fallique omnes & ſingulos turpiter, qui tantillum juvaminis inde expectant. Scilicet, ſerio traditiones eas ruminando, quæ de his remediorum generibus circumferuntur communiter, repugnare illas penitus humorum circuitui naturali, requiſitisque, ad adſtringentis operationem prorſus neceſſariis, ſtatim intellexi. Nullam, ego ſana ratione utens, adſtrictionem, vaſis alicujus dilatati vel rupti, ope remedii adſtringentis obtinendam, in corpore humano poſſibilem concipio, ſine ſuppoſito contactu immediato remedii & vaſis. Neque comprehendo, relictum eſſe poteſtati Medentis, ut pro lubitu ſuo deſtinare poſſit remedium certæ cuidam parti corporis, ſed ſi ſemel remedium vere adſtrictoria facultate polleat, eam exercebit in vaſe quocunque, cui immediate fuerit applicatum, & in iis quam maxime & quam citiſſime, quibus ſtatim, poſtquam ingeſtum eſt, neceſſario applicari debet. Quodſi nunc adſtringens remedium deſtinetur pulmonibus, non poterit agere in pulmonum vaſa, niſi decurrerit eas vias, quæ e ventriculo inteſtinisque, ad pulmones liquida deducunt, id eſt, neceſſario penetrare debe-

(k) Traité des Pertes de ſang, de quelque eſpece qu'elles ſoient avec leurs remede ſpecifique nouvellement decouvert. A Paris 1697.

debebit per vaſa lactea; aliter nec perveniet ad pulmones, nec immediato contactu in eos aget, adeoque pulmonum vaſa etiam non adſtringet. Quia vero adſtringens remedium in fibra quacunque, cui applicatur, adſtrictorium effectum præſtat, adſtringet etiam fibras, oſcula alveolosque lacteorum effingentes, quare ſibi ipſi occludet vias, quas decurrere debet omne illud, quod ex ventriculo deduci poteſt ad pulmones, eritque propterea impoſſibile, ut in hos ullam virtutem adſtrictoriam exerat. Rectiſſime nimirum huc trahi poſſunt, quæ alicubi ſcripſit illuſtr. Boerhaavius: *certo experimento conſtare, auſtera* (ſub quibus antea omnia adſtringentia cujuscunque generis comprehenderat) *in primas vias nimis, in inferiores difficulter agere.* (*l*) At ponam, adſtringens remedium penetrare poſſe ad ipſos pulmones quomodocunque, etſi id nego atque pernego, quis vero ibi conſidet genius, qui illud iis ipſis vaſis, quæ dilatata vel rupta ſunt, applicaverit? Quis ibi cavebit periculum, quod ab adſtrictione illorum vaſculorum pulmonalium metuendum eſt, quæ rupturæ vel dilatationis ſunt expertia, atque per quorum alveolos omni modo tantoque magis itus reditusve humorum liber conſervandus eſt? Paucis tandem omnia complectar: Si vere egerit in pulmones ingeſtum adſtringens pharmacum, aget in omnia ejus vaſa ſine exceptione & in omnia liquida per vaſa hæc circulantia, tum vero eodem jure, quo ſperari poteſt, ut conſopiatur adſtrictione hæmoptyſis, metuendum ab altera parte erit, ne æger anxius anhelus atque forte ſuffocationi proximus reddatur. Sed hercle! nec ſperandum prius, nec metuendum poſterius; certum quippe eſt, vel maxima mole deglutita adſtringentia pulmones non attingere. Cur ergo utimur Practici toties adſtringentibus in medelis hæmorrhagiarum? Sane neſcimus ipſi, quid intendamus eorum uſu, aut turpiter fallere nos ipſos cogimur fabellis, fidem vix apud tyrones artis, dicerem lubentius apud pueros impetrare aptis. Mira res eſt, Medicos literatos, largientes ultro, non concipi ſana ratione tranſitum adſtringentis ad locum affectum, quo uſum nihilominus excuſent, non erubuiſſe obtrudere incautis figmenta & ſomnia, quæ longiſſime abeſſe debebant ab

(*l*) Inſt. p. 1109.

arte ſeria. Videamus in hujus rei documentum, quomodo de operandi ratione adſtringentium philoſophetur cl. JUNCKERUS: *Quotidiana experientia teſtatur*, inquit, *remedia hujusmodi primo omnium in primas vias delata, & dehinc chyli ope per totum corpus diſtributa, non in quovis corporis loco, licet circulationis lege quemvis attingant, ſed plerumque & præcipue in parte læſa vel relaxata conſtrictoriam ſuam exerere virtutem. Itaque merito concludimus, tam diſtributionem quam effectum ejuscemodi remedii adſcribendum eſſe principio rationali, tale quid percipienti, ac ad neceſſarium locum conſulto dirigenti.* Pergit deinde: *Imo ne quidem ſemper neceſſarium eſt, ut adſtringentia oblata ad illum locum vehantur, in quo adſtrictio fieri debet, ſed natura, in aliquo loco cum evacuatorio actu operoſa & occupata, effectum adſtrictionis per remedium oblatum ſentiens excitatur, ut eundem in eum locum transferat, & adminiſtret.* (*m*) Atque ne latum unguem ab hac theoria recedit celeb. ALBERTI, iisdem fere phraſibus ſervatis, idem prorſus aſſerens. *Effectus adſtringentium*, ait, *naturæ directorio ſubjacet, ut minime ſemper neceſſe ſit, quo adſtringentia remedia ad illum locum pertingant, in quo adſtrictio fieri debet. Quis enim adeo credulus fuerit, quaſi in exceſſivo menſium fluxu, hæmoptyſi, narium hæmorrhagia oblata remedia ad uterum, ad pulmones, ad nares pertingant. Interim, cum in hiſce locis actu evacuatorio occupata ſit natura, ita evenit, ut eadem effectum adſtrictionis, ad quem per oblatum adſtringens remedium concitata fuit, ad ejusmodi locum transferat & applicet.* (*n*) Ego equidem, ſi alicui hæc doctrina arrideat, eam ipſi haud invideo, mihi illam ſterilem ſatis & miſeram videri, nullus diffiteor. Taceo, influxum animæ in corpus organicum ſibi junctum imaginarium eſſe, atque repugnare dotibus ipſius animæ, facultatem adornandi pro lubitu in ſuo corpore motus. Sed ne quidem illum hic impugnabo fuſius; ſit animæ rationali illa poteſtas relicta, ubi remedium ingeſtum fuerit, ut hoc ipſo ſecundum hypotheſin ſaltem incitata, effectum quem intendebat Medicus, ad locum congruum transferat. At vero datum terreſtre pharmacum per com-

munem

(*m*) Tab. XVI. p. 432. therap. gen. (*n*) In diſquiſit. de medicamentorum modo operandi ſpecim. III. p. 129.

munem conſenſum eſt polychreſtum, namque modo abſorbet acidum, modo orgaſmum temperat, modo diaphoreſin movet, modo diureſin proritat, modo cordis viribus opitulatur, modo adſtringit &c. Quis autem ille eſt, qui certiorem reddet naturam, quem potiſſimum eorum effectuum, ad quos omnes præſtandos habile habetur remedium, Medicus eo exhibito intendat? namque aliter fieri poterat, ut naturæ molimina, in determinanda operatione porrecti pharmaci, intentionibus Medici penitus contrarientur. Si vero ſponte ſua quid præſtandum ſit cognoſcit natura, haud erit opus credo, ut ad adſtringendum pharmaco incitetur. Sed forte in errore verſatur anima, Medici auxilio ad meliorem frugem reducenda. Imo vero rem acu tetigi, ita enim Patroni ejus in medicina philoſophantur. Effecit natura hæmoptyſin ſapienti conſilio ad imminuendam plethoram, ſed erravit intuitu loci, Medici ope igitur ducenda ad ſaniorem mentem, dumque loci intuitu errat, corrigenda eſt. Dantur eapropter adſtringentia, eademque naturæ committuntur ad pulmonales arteriolas læſas determinanda. Supponenda ergo natura eſt errans, & non errans. Errat quippe, pellendo ſanguinem ad pulmones, non errat, pellendo adſtringens remedium ad nullum alium locum præterquam ad pulmones. En igitur uno eodemque tempore Naturam ſapientem & deſipientem! Vix crediderim ego talia contuitus ſerio, hujuſcemodi ratiunculis ſibi ipſis invicem contradicentibus, adſtringentium deglutitorum energiam ad pulmones usque extenſam illuſtrari probarique, quæ utique in eos nulla eſt, neque ulla ratione poteſt concipi. Eſt tamen interea ad medelam opus, ut rupta vel dilatata vaſa in ſe redeant, coarctenturque, neque poſſibile ut antea ſileat ſanguinis fluxus. Quæ vero remedia alia hoc ipſum præſtare apta præter adſtringentia ſuperſunt? Supereſt utique apprime morbi ingenio reſpondens indicatio, de fluxu ſanguinis ad pulmones debilitando & revellendo, huicque indicationi vere ſervientia remedia, potentiſſima adſtringentia evadent, ſolaque certo in hæmoptyſi adſtringent. Si hujus rei veritatem in dubium vocetis, Lectores mei, permittite obſecro, ut vobis citem verba illuſtr. Boerhaavii, quæ totus ſolutus in hilaritatem legi, atque meo quidem aſſerto inveni amiciſſi-

ciſſima. *Certe*, inquit, poſtquam adſtringentia nil valere in hoc morbo affirmaverat, (attendite o boni! ſapientiſſimo effato) *hæmoptoë adſtringit ſe ipſam, ſi modo motus ſedetur.* (*o*) Apage eapropter cum remediis gratis exhibendis, exulentque ea a praxi medica eo magis, quo magis, dum nihil proſunt, ſaltem interea nociva poſſunt evadere, quod ii etiam negare haud ſuſtinent, qui eorum vires alia occaſione in cohibendis hæmorrhagiis deprædicaverant. Serio perpendi merentur, quæ de noxis adſtringentium in hæmorrhagiis cohibendis paſſim in operibus commentatus eſt eximius Hoffmannus. Multa inſuper huc ſpectant ex diſſ. Stahliana, *de adſtringentium uſu.* Tota tandem huic ſoli argumento dicata diſp. cl. Alberti, *de perverſo adſtringentium in hæmorrhagiis effectu*, evolvi hac occaſione poteſt. Neque facile puto aliquis de nociva indole adſtringentium in ægris hæmorrhagias tolerantibus dubitaverit, præcipue ſi largiori pauliſper doſi præbeantur. Nam ea quam maxime in primas vias actura, ibidemque ſtricturas partium proritatura, ſanguinemque eapropter magis adhuc verſus locum affectum determinatura, fore ſponte credo appareat neceſſe eſt. Ut nil dicam, cauſam ſæpe hæmorrhagiarum, ſpaſmodicos motus adſtringentibus datis, non componi, ſed augeri. Deinde ea ſemper adſtringentium indoles eſt, ut ingeſta tali doſi, quæ ultra primæ digeſtionis officinas agat, omnem circulum accelerent, vaſorumque actiones intendant, quod omnium optime chloroticæ virgines martialibus utentes demonſtrant. Præcipua autem Medentis indicatio, per ſupra demonſtrata, in eo verſatur, ut circulus remiſſior reddatur, debiliteturque quantum fieri poteſt, quare nullo modo quadrabunt hæmorrhagiis curandis terrea adſtringentia, quæ inter non pauca vere martialibus moleculis referta obſervantur, exemplo boli armenæ, lap. hæmat. terrarum ſigillatarum &c. Atque hoc ipſum largiuntur forte non pauci medicinam facientium, imo vero ſunt inter eos, qui fortiora & poſitive, ut loqui amant, adſtringentia, in cura hæmoptoes rejiciunt ac damnant, cautique videri volentes, blanda ſaltem ſubadſtringentia atque tonica collaudant, ea-

que

(*o*) In Caſibus medicinalibus calci Commentarii in aphoriſmos annexis cap. de Hæmoptyſi.

que præterea, refractis ſaltem doſibus, exhibenda monent. Illi autem, ut quid de hac methodo ſentiam gnaviter edicam, ancipites, ut opinor, hærent, an noceant adſtringentia, an proſint, igitur ſi nocitura forte fuerint pauliſper blandis ſub-adſtringentibus nocere amant, quam valida adſtringentia propinare, quæ gravius nocere poterant. Si cauſam ſubadſtringentium tonicorumque tueri ſatagentes, de tono, laxis vaſis pulmonalibus, illorum ope reſtituendo colloquuntur, non taxo bonam intentionem, haud opportunam interim inventionem vitupero. Sæpiſſime, quando hæmoptyſis ingruit, culpam laxo nimis pulmonum viſceri, tubulisque ejus minima vi diducendis rumpendisve, unice tribuendam eſſe, atque ex hoc ſolo fundamento hæreditariam, integrisque non raro familiis hæmoptoën repetendam eſſe, agnoſco lubens, neque diffiteor, omni modo tum cogitandum eſſe de pulmonali fibra roboranda. An vero ea locum habebit indicatio eo tempore, quando hæmorrhagiæ paroxyſmus viget? Vix hoc mihi videtur. Sane omnibus forte roborantibus, ſi indicarentur, in ipſo morbi impetu palmam præriperet etiam in hoc morbo peruvianus cortex, attendamus vero quam cautus hic ſit juſtiſſimus cæteroquin & æquiſſimus præſtantisſimi remedii præco cl. WERLHOVIUS: (p) *In hæmorrhagiis*, ait, *modum excedentibus placide moderandis, & ſine præpotente ultra tonum naturalem adſtrictione compeſcendis, poſt plethoram imminutam, & ſpasmorum impetum reſolutum, extra nimii orgaſmi tempus, mira præſtat hoc remedium.* Non ignoratur mihi, quid huic cortici tribuat in hæmoptoë MORTONUS; liquido vero conſtat ex ejus operibus, ipſum non tam hæmoptoës paroxyſmo, quam febri eam foventi excludentique, corticem deſtinatum velle. Studioſe *ita* latibula omnia removeo, ad quæ recurrere poterant a corticis peruviani uſu magno utique in hæmoptoicis curandis, feſtinanter nimis ad uſum ſubadſtringentium ſuorum, tonicorumque terreſtris ingenii concludi poſſe reputantium. Si roborandum eſt pulmonale parenchyma, tonusque ejus reſtituendus, fracta jam vi morbi VS., nitroſis, opiatis revellentibus &c. roborandum erit, habebuntque roborantia locum, ad præſervationem magis quam ad curationem

 mali

(p) In obſerv. de febr.

mali præſentis. Durante autem morbi impetu, valde metuendum eſt, ne, corroborantibus tonicisque exhibitis, ſimul augeatur illorum vaſorum tonus actiove, quorum ope ſanguis ad pulmonales arterias nunc læſas determinatur, cum in ea æque operetur ſubadſtringens remedium. Sane ego vix capio, quomodo paroxyſmi tempore convenire queat vulgatiſſima in praxi communi formula, ſpecies de hyacintho & Maſſ. Pil. de cynogloſſa in unum eundemque pulverem congerens; a priori nimirum remedio, ſi tonicum effectum id exerere ſupponamus, increſcat ſimul tonus & actio vaſorum, per quorum alveos ad pulmones devehitur cruor, neceſſum eſt, cum tamen poſterius unice ad actionem illam imminuendam debilitandamque porrigatur. Et quis tandem a granis duobus vel tribus ſpec. de hyacinth? quis a ſcrup. ſemis corralliorum? Quis ab aliis terreſtribus eadem doſi exhibitis, tonicam aliquam virtutem ad pulmonalia usque vaſa transeuntem, expectaret ſerio? Nihil credo habent fautores talium remediorum, quod mihi contra eorundem energiam diſputanti objiciant, præter experientiam, hanc autem admodum mancam, ambiguam, ac fallacem deprehendi in his omnibus, nemo a præjudiciis liber facile inficiabitur. Clamant experientiſſimi viri, dotes trochiſiorum de carabe, pulverum ex ſpec. de hyacinth. & maſſ. pil. de cynogl. compoſitarum, Pulveris Heurnii, potionis Sylvianæ, electuarii Lindani &c. ad compeſcendas hæmorrhagias, id ſatis novi; neque omnes vires his remediis denego, puto vero has quam maxime pendere ab admiſto opio; fallique eos mirum quantum, qui ſubadſtringentibus & tonicis ſimul in hiſce formulis uſurpatis laudes aliquas decernunt. Sed hæc de terreis remediis, adſtringendi & tonum reſtituendi fine exhiberi ſolitis, in hæmoptyſeos medelâ ſufficiant. Quæ de grumorum in pulmone poſt hæmoptoën ſuperſtitum reſolutione, terreorum remediorum beneficio impetranda, paſſim nugantur Practici, hic ſilentio prætereo, dabitur nimirum infra opportuna occaſio de hoc argumento differendi, quando de contuſionibus pulveribusque ad caſum verba facturus ſum. Atque ita vires terreſtrium, quæ ulla ratione facere ad hæmoptoës medelam poterant, nullas eſſe, & ad unam omnes imaginarias ſaltem haberi debere, luculenter opinor demonſtravi.

§. 6.

§. 6.

Hæc autem omnia, quæ de hæmoptyſi paulo ſpecialius ediſſerere neceſſum duxi, facili negotio ad omnes alias hæmorrhagiarum ſpecies trahi poſſe autumo. Neque opus eſt, ut ulterius commonſtrem, eadem ratione fruſtra exhiberi in hæmorrhagia uteri, in mictu cruento &c. terrea remedia, ac ipſa fruſtra in hæmoptyſi porrigi, modo probavi. Ubicunque nimirum ſanguis præter naturam profluxerit, nil aliud cum ratione agendum in paroxyſmo incumbit Medico, quam ut, circulum ad locum affectum excurrentem, revellat & debilitet, cauſasque ſanguinem eo determinantes removeat, quo vaſcula morbi ſubjectum conſtituentia libertatem adipiſcantur in ſe redeundi, propriique ſui elateris beneficio ſeſe contrahendi, omnibus reliquis, quæ vulgo ſtabiliuntur, poſthabitis, utpote quæ aut mali genio non reſpondent, aut impetrari nequeunt. (q) Quouſque vero trivialis hæmorrhagiis medendi methodus

De aliis hæmorrhagiis quædam.

(q) Studioſe hic iterum de adſtringentibus taceo, quæ in hæmorrhagiarum omnium medela aut nil valent aut nocent, niſi forte tanquam topica ipſi parti adfectæ ea applicare licet. Tum vero quando immediate agere poſſunt in vaſa cruorem plorantia, virtus eorum non proletaria ſæpius animadvertitur. Notum Practicis eſt, aluminoſis, ſaturninis, vitriolicis per turundas admotis, ſæpe ſiſti pulcherrime hæmorrhagias narium enormes, aliisque remediis variis non ſtatim auſcultantes. Vellem ego, ut per ſexus verecundiam liceret Medico confugere in hæmorrhagiis uterinis gravioribus, ſæpe recidivis, & in habituales degenerantibus, ad clyſteres uterinos, veteribus, ipſique Hippocrati adeo commendatos, itemque ad peſſos, quibus, irritis aliis omnibus, fœminæ uterinis ſanguinis profluviis fere conſumptæ, felices ſine ſanitatis detrimento ſanatæ ſunt a cl. ALBRECHTO in M. N. C. Dec. II. A. IX. obſ. 79. Sane in perpetuis illis cruoris ex utero ſtillicidiis ingentem laborem Medicis ſubinde faceſſentibus, & omnia adeo vel præſtantiſſima remedia ſæpe eludentibus, ſi ſanguis perpetuo effuſus in uteri cavum nondum mora acris factus, ſubſtantiam ejus arroſerit, exulcerationemque creaverit, atque ſine morſicante ſenſu, ſineque odore graveolente ex genitalibus excernatur, præmiſſo & interpoſito juſto revellentium uſu, per VS. & catarctica, unica ſalus in injectionibus roborantibus & adſtringentibus. Cæterum ſi alio tempore, pleno rivo ex uterinis vaſis, inter ingruentia animi deliquia, proſiliat cruor, nec molæ nec fœtus irritamento provocatus, atque ob urgentiſſimum vitæ periculum profuſamque immenſam vitalis ſanguinis copiam, viresque penitus proſtratas, nec VS. nec opiatis amplius locus ſit, fotus ex aceto impigro labore admotos haud raro profuiſſe, obſervationes Practicæ loquuntur. Nec hic reticenda eſt, elegantiſſima methodus medendi fluxui hæmorrhoidum enormi, per ſpiritum vini rectificatum calefactum, pannisque laneis ano diligenter applicatis, quo remedio, quod certe inter ſtiptica ſummum deprehenditur, fœminam rebus terreſtribus quam primum valedicturam ſervavit cl. Gualtherus HARRIS, qui legi meretur in obſ. de morbis gravioribus obſ. X. Adduxi vero hæc omnia ut pateres

thodus, illis indicationibus, quas ſolas genuinas eſſe in ſuperioribus clarius adſtruxi, convenire dicenda, ipſi æquiores harum rerum arbitri dijudicent; mihi certe vel nihil, vel parum ad minimum facere ad rhombum plurima, quæ uſu introducta in artem clinicam fuere, remedia hactenus viſa ſunt. Candide & ſincere ſenſa animi mei liceat eloqui. Multa præclare ſcribuntur, aguntur que a Medicis clinicis, ſed vix ulla mihi innotuit methodus medicinam faciendi præternaturalibus ſanguinis profluviis, quæ omni ex parte mihi arrideat. Aut enim optima præſidia omittit, vel omnia ſaltem, quæ cum ratione agi & poſſunt & debent, non comprehendit & exhaurit; aut ſuperflua multa & otioſa, nilque proficientia, bonis & adæquatis remediis immiſcet; aut plane damnoſa & noxia pro utilibus perperam venditat. Si nitrum ſuis remediis, quibus curandas præcipit hæmorrhagias quaſcunque, loco adſtringentium remediorum, quæ penitus fruſtranea habeo, adjunxiſſet cl. SYDENHAMUS, palam eloquerer, omnium quotquot unquam cognovi medendi methodorum, SYDENHAMIANAM mihi videri optimam, tutiſſimam, certiſſimam, morbique genio maxime appropriatam. At vero qua ratione demum hæmorrhagias ſanat SYDENHAMUS? Simplex ea valde eſt fateor, & in omnibus ſibi ſimilis. Si enim narium hæmorrhagiam, hæmoptyſin, vomitionem cruentam, menſium fluxum immodicum, hæmorrhoides immodicas, hæmorrhagiam abortivam reſpicias, eadem in omnibus laudat remedia, VS. eamque pro re nata repetitam, potionem ſuam purgativam communem, ſyrupum de meconio, potiones refrigerantes, victum refrigerantem & incraſſantem. Atque certe hæc vere palmaria ſunt hæmorrhagiarum ſine exceptione omnium remedia, ſine quibus, niſi morbus ſuapte natura ſuperetur, nil efficiet Medicus, quibus vero ſolis rite adhibitis plus præſtiturus eſt, quam crederent haud experti. Omnia autem remedia SYDENHAMIANA, ſi conſiderentur attentius, nulla alia ratione operantur, quam revellendo, vimque ſanguinei circuitus ad debitam temperiem reducendo. In quo ſolo momento omnis rerum cardo vertitur. CAPUT

teret legentibus, quousque admittenda ſint adſtringentia in curatione hæmorrhagiarum, quousque prudenter queant vocari in uſum, nempe quando affectæ parti quam proxime ea applicare licet, aliter ea fruſtra ægris exhiberi, ratione & experientia edoctus credo.

Caput XV.

Terrea falſo & gratis referri inter anti-phlogiſtica remedia probat.

§. 1.

VEnio nunc ad inflammationes, ad quas oppugnandas maximopere facere terreos abſorbentesque pulveres, communis ſtatuit opinio. Illis certe, qui Sylvii ac Ettmulleri opera crebris manibus volvere conſuevere, ſatis puto erit cognitum perſpectumve, terreſtris ingenii pharmaca inter appoſitiſſima præſidia ab iisdem referri, quibus inflammatorius ignis coërceri queat atque reſtingui. Nemo autem niſi in moderna medendi methodo hoſpes, neſciusque omnium eorum, quæ in triviali praxi aguntur, dubitabit facile ad hunc diem eandem ſententiam habere Practicorum animos. Vix ullus ex ingenti illorum numero, qui recentiori ævo therapiam morborum quorumcunque cultiorem magisque rationalem reddere, editis elegantiſſimis manuductionibus, conati ſunt; vix ullus, inquam, pulverulentam illam nullius uſus farraginem omiſit, ſed ubique in inflammatoriis affectibus laudari videas pulveres, ut vocantur, diaphoreticos fixos ex lap. cancr. mand. luc. piſc. &c. quibus quod valde mirum eſt nitrum palmarium remedium, aut ſæpe plane non, aut ſaltem avariſſima manu ſolet adjici. Eminet ſane inter Principes ſeculi noſtri Medicos, cl. Heisterus, nullus certe otioſorum ſuperfluorumque medicaminum amator, populari interea indulgens medendi methodo, abſorbentes pulveres in inflammationum curatione allegat, commendatve. (*r*) Nil vero ex calcium effœtarum terrarumque fatuarum grege frequentius forte adhibetur, diſcutiendi, ut dicitur, atque diapnoën cuſtodiendi fine, eximio illo antimonio diaphoretico, ſaltem id in hepatitidis medela aliis diaphoreticis fixis præferendum, & ſub morbi initium largiori, poſtea vero parciori doſi exhibendum eſſe, monet cl. Junckerus. (*ſ*) Dubiæ interim, limitatæ admodum & ſubinde plane ſibi contradicentes, circa ejusmodi remediorum energiam, ſententiæ, nulli-

Terrea laudantur in curatione inflammationum.

(*r*) in Chirurgia. cap. de inflammatione. (*ſ*) in Conſp. Tab. p. 532.

nullitatem, effectus ſatis opinor arguunt, fauſtamque operationem inde obtinendam ad entia rationis referendam eſſe, teſtantur luculenter. Apponam hujus aſſerti illuſtre ſpecimen: Obſervationem addit practicam, eodem de hepatitide capite, modo laudatus autor, intuitu antimonii diaphoretici, quod antea commendaverat: *Antimonii diaphoretici*, ait, *efficaciam alii hic nimium extollunt, alii prorſus rejiciunt, media ſententia vera eſt, quod imprimis teſtantur ſenſibiliores.* (*t*) Ergo reſtringendus erit uſus hujus remedii ad ſenſibiliores ſaltem ægros inflammationibus laborantes, quod ipſum tamen in praxi obſervari, ut decebat, ex illius hypotheſi vix puto. Sed linquam antimonium diaphoreticum, afferamque documentum multo clarius, plane contradictoria interdum in practicis præceptis occurrere, ad eundem clariſſimum JUNCKERUM pertinens, ſcripſit is in *therapia ſua generali* ſequentia: (*u*) *Dens apri tenuiſſime comminutus ad abſorbentium ſubtiliorum claſſem pertinet, meritoque in uſum vocatur in febribus inflammatoriis.* Sed ecce *in conſpectu tabularum* hæc leguntur: *Sunt qui ad inflammationes præcipue internas commendant dentem apri præparatum & mandibulas lucii piſcis, ſed optandus potius quam expectandus ab iis ſpecialis effectus.* (*x*) Neſcio certe quomodo hæ unius autoris ſententiæ inter ſe invicem conſpirare dici queant, quum una alteri e diametro contrarietur. Multo minus concipio, quomodo cum eruditione tot aliorum celebrium virorum, cumque idea inflammationis, quam animo tenent, ſive dentis apri, ſive hippopot. ſive mandib. lucii, ſive aliorum ejusmodi pulverulentorum uſus conſentiat, cum ignorare illi non poſſint, eundem prorſus eſſe fruſtraneum. Quid ergo ad lectulos ægrotantium ſibi volunt tot capſulæ chartaceæ terram mortuam continentes? Quid tot vitra potionibus repleta pulverulentum ſedimentum in fundo deponentibus? Mallem ego ejusmodi rerum faciem cernere in ægrorum matulis, quam gulæ creare nauſeam, ventriculumque gratis terreſtri ſarcina onerare. Itane, ubi ignem intus concepit humana machina terra adpſerſa, is comprimendus eſt, ne diffuſus undique ſtragem edat, atque in immane incendium exardeſcat? Riſum, hercle! jocumque movent intelligentibus vani

(*t*) in Conſp. p. 536. (*u*) Tab. XV. p. 425. (*x*) Tab. XX. p. 179.

vani ejuſcemodi conatus; negligant terram, aquam afferant, affundantque largiter, quibus cum reſtinguendis incendiis res eſt. Hæc ab omni ævo huic fini deſtinata eſt, hanc incendiis corporis humani coërcendis eſſe convenientiſſimam, ſtatim docebit ipſiſſimum inflammationis ingenium, cujus conſiderationem breviſſimam, ad evertendam terreorum pharmacorum energiam, jam ante omnia ſuſcipere tenemur.

§. 2.

Theoria inflammationis.

Inflammationem ſanguineam, de qua hic præcipue agimus, Medici vocant ſanguinis rubri ſtagnationem in vaſis arterioſis primi vel ſecundi generis, cum impetu totius circuli aucto, atque in illum præcipue locum, ubi ſtagnatio hæret, excurrente. Principium ergo inflammationis ſtagnatio, quæ ſemper fit, vel quia ſanguis, ex quacunque demum cauſa redditus craſſior, vas arterioſum non tranſit, vel quia vas illud, ex quacunque cauſa externa incumbente, compreſſum tranſitum ſanguini negat, vel quia vaſis tunicæ conſtrictæ arctiorem ejus alveum efficiunt, vel quia ſanguis vi adigitur in vas laterale ſecundi generis peregrinum, humori ſanguine tenuiori ſaltem vehendo idoneum, unde is pergere neſcius ibi quieſcit, ſtagnatque. Puto hæc omnia Medicis, quibus theoria non ſordet, eſſe notiſſima, hosque lubenter largituros exiſtimaverim, impoſſibile eſſe, ut aliter naſcatur inflammatio in corpore animali vivo. Neque hoc ulli Medentum obſcurum eſt, natam inflammationem quamcunque vel reſolvi, vel ſuppurari, vel abire in ſcirrhum, vel terminari in gangrænam & ſphacelum. Porro quibuscunque Practicis ſcitur, in inflammationibus internis unice obtentam artis naturæque beneficio reſolutionem, ægrum in vado ponere, quum gangræna & ſphacelus eum certæ morti, ſuppuratio vero & ſcirrhus vitæ, ſæpe repetitis mortibus pejori, cito tamen etiam ſæpe ad fatalem ſuum terminum properanti, exponat. Ut autem reſolutio obtineatur, obſtructio debet eſſe non magna, impetus circuli debet juſtam ſervare temperiem, vaſa, in quibus ſtagnatio hæret, debent eſſe laxa, ſanguis omnis circulans debet eſſe attenuante liquido dives. Ita enim tenuior & mobilior reddita materies ſtagnans, vi circuli alluentis leniter impulſa, ſenſim loco mota, per vaſa laxiora libere ſpergendi libertatem

 obti-

obtinebit, morbusque omnis feliciter ſuperabitur. Quo vero obſtructio fuerit major, quo impetus circuli ſeu febris concomitans fuerit vehementior, quo vaſa quæ obſtructionem potiuntur fuerint rigidiora, quo ſanguis omnis fuerit denſior ac diluentibus humoribus egentior, quoque magis hæc omnia penſi habuerit Medicus, eo magis periculum eſt, ne vaſa obſtructa, impetui cedere amplius neſcia, rumpantur atteranturque, ac liquores effuſi vel leviter putreſcentes, vaſculisque detritis miſti pus conſtituant, aut plenam putredinem paſſi, gangrænam ſphacelumque excludant; niſi forte, ſi glandula præcipue morbi ſit ſubjectum, ſtagnans materies mora denſior reddita, impetuque circuli vaſis ulterius impacta, cum iisdem concreſcat ſcirrhumque conſtituat. Verum hoc inflammationis ingenium, quod nemo hodie ſine deſidiæ, turpisque negligentiæ nota ignorat, ſimulque ſumma illa neceſſitas, quæ practicum omni modo moliri reſolutionem jubet, cum ipſis illis requiſitis modo enarratis, quibus poſitis reſolutio ponitur, clariſſime opinor demonſtrat, nil magis incumbere inflammationem reſolutione curaturis, quam ut (1) obſtruens liquidum diluentium & ſaponaceorum copiam ſanguini aſſiduo inſinuando attenuent & ſolvant (2) vaſa, in quibus id continetur, quantum fieri poteſt, relaxent. (3) circulantium humorum impetum ita moderentur, ne vel torpeat, vel (quod ut plurimum fieri conſuevit) excedat. Atque has, quæ ita enumero, indicationes reales eſſe, fundarique in ipſo morbi ingenio, & ratio loquitur & experientia confirmat. Quare facile nunc erit dijudicatu, quæ remediorum genera prodeſſe queant in ſanatione inflammationum, quæ noceant, quæ gratis atque ſine fructu adhibeantur. Nolo VS. nitrum, potus aquoſos diluentes antiphlogiſticos, topica relaxantia, aliaque genuina & adæquata inflammationum antidota fuſe exponere, atque qua ratione illa medelæ ſerviant recenſere. Sed id poſcit inſtituti neceſſitas, ut vos adloquar fautores pulverum terreſtrium; oro per DEVM immortalem! per artis veſtræ honores, quorſum tandem tendit cœca illa ſibi in abſorbentibus placens libido? An omnem abſorpſit prudentiam communis error, lateque ubique regnans præjudicium? Quis hæc crederet ratione utens? An decet Medicum ſagacem dare re-

media inutilia ingerenda ægro, iisque, ſi non omnem, ſaltim ſæpe nimis magnam ſalutis partem credere, quæ pharmacis obtinenda eſt? An decet Medicum, ſerio ægrotantibus ludicra medendi methodo ſubvenire, atque ineptiſſimis pulvillis quaſi illudere? Audiat mere terreus pulvis præcipitans, diapnoicus bezoardicus, reſolvens, temperans, nec attenuabit, ſolvetque cruorem ſtagnantem, quis enim hoc ab eo expectaret? nec relaxabit vaſa, quæ molem obſtruentem continent, nec circuli celeritatem moderabitur, quare nec tantillum boni præſtabit, quum in his momentis ſolis omnis medelæ cardo verſetur, nilque aliud agendum Medico vel præſtantiſſimo ſuperſit.

§. 3.

Verum enim vero, cum, his omnibus momentis haud obſtantibus, quæ neſcio an conſiderentur ab omnibus, an conſiderata inſuper habeantur, nihilominus uſus tyrannus pulveres bezoardicos terreſtres in cura inflammatoriarum febrium urgeat, merito inquirendum ducimus, quo nomine tandem olim uſurpari in ejuſcemodi affectubus illi cœperint; ut eo accuratius, quo jure, quaque injuria adhibeantur, cognoſcamus. Quomodocunque autem praxin medicinalem retrorſum contueor, nil offendo aliud præter pathologiam acidam, de qua toties jam conqueri neceſſum habui. Primus fere in pathologiam invexit cl. SYLVIUS (y) infelix dogma, ſanguinis coagulationem deberi acido, adeo quidem, ut a ſanguine coagulato grumoſo, ſtagnante, certiſſime ad acidi præſentiam argumentari liceat. Non igitur mirandum eſt, ipſum inter remedia reſolventia ſanguinem coagulatum & grumeſcentem retuliſſe, lap. cancr. os de corde cervi, mandib. luc. piſc. &c. (z) Neque abhorret ab ejus principiis, quando inflammationem curandam dicit ſalibus volatilibus, qui coagulum reſolvant, ac quando ſimul in eum finem laudat, lap. cancr. mandib. luc. piſc. os de corde cervi, quia ſale volatili abundent: (a) Adſtipulatur SYLVIO OTTO TACHENIUS, quando in *animadverſ. ſuis in Hippocr. chymicum*, inflammationem tumorem vocat genitum a ſale acido, quod, coagulatione ſanguinis indu-

Terrea cur olim inflammationibus oppoſita.

(y) Operum. p. 627. §. 50 - 54. (z) vide in operibus p. 130. 173. §. 21. 209, 219. 284. (a) p. 282, 283. a §. 22. ad §. 31.

ĉta, ejus motum circularem intercipiat, ut inde rubor, pulſatio, tenſio, dolor oriatur. Quæ ergo ex hac theoria fluat medendi methodus, ſponte puto cuivis innoteſcit. Eadem via incedens ſe ipſum aliosque multos fefellit Ettmullerus. De inflammatione nimirum agens, *Sanguis*, ait, *plus minus extravaſatus ac in parte ſtagnans non ibidem quietus hæret, ſed dum ſpiritus ejus volatilis evaneſcit, coagulatur & acorem contrahit, qui acor cum ſale volatili oleoſo adjuncto efferveſcentiam concipit, ſub qua ſanguis impenſe incaleſcit, turgeſcit, ac in pus corrumpitur, acor enim præternaturalis corruptionis individuus ſemper eſt comes.* (*b*) Quis crederet, Chymicum Ettmullerum ita ſentire potuiſſe, ſed inſiſtens præconceptæ ſuæ hypotheſi in therapia inflammationis terrea, ceu alcali occulto imprægnata concreta, commendat ad abſorbendum acidum, nempe lap. cancr. mandib. luc. piſc. C. C. ſine igne & alia multa. (*c*) Quot igitur ex Sylvii & Ettmulleri ſchola prodiere Medici, illi certe omnes latius propagarunt communem errorem, ut, ad canones medicinales tandem relati, veritatem impugnare per multum tempus nemo facile auſus fuerit. Sæpe ego miratus ſum, pleniſſime eidem ſubſcripſiſſe Medicum cæteroquin eximium Marcellum Malpighium; in reſponſione quippe ad epiſtolam *Pauli Mini*, quæ in operibus ejus poſthumis legitur, (*d*) auctorem quendam recentiorem laudat, quod cognoverit, ophthalmiam a ſalibus acidis pendere, eaque propter ſine VS. ſine topicis, ſolo ſaltem abſorbentium & volatilium uſu, medelam optime inſtitui, docuerit. Jam vero hic fuſe non inquiram, quot mala ex inconditis ejuſcemodi falſiſſimisque principiis pathologicis in ægrorum ſalutem redundaverint, quando iisdem ubique locorum inhærentes Medici (neglecta ſæpe miſſione ſanguinis, quam omnes, genium inflammationis probe animo tenentes, ſummum remedium exiſtere profitebuntur, quamque ad animi etiam deliquium inſtitutam feliciſſimam experta eſt antiquitas medica (*e*) ad volatilia tanquam ad ſacram anchoram confugerunt, oleumque addentes camino infandum miſerorum ægrotantium numerum officioſe necarunt. Nolo quoque urgere multis, valde limitandum eſſe receptum ubique dogma, ſalia volatilia ad-

(*b*) Oper. pag. 535. (*c*) pag. 536. (*d*) pag. 141. (*e*) Vide Freind in hiſt. med. pag. 310.

admiſta ſanguini humano eum præſervare a coagulo, coagulatumque reſolvere iterum. Id verum eſſe largitur cl. STAHLIUS, (*f*) ſanguini affuſa volatilia ſalia, ſed, quod probe notandum eſt, largiori quantitate, eundem fluidiorem reddere, fluoremque illius conſervare, id ipſum vero ad morbos haud applicari poſſe, ſapienter inculcat. In corpore humano certe ingens talis alicujus ſalis volatilis copia humoribus admiſcenda non facile habebit locum, atque deinde, etiam parciſſima quantitate exhibitum, valde vaſorum actionem exſtimulat, circulum accelerat, ingentemque æſtum ita producit, quem tamen placandum eſſe omni modo in inflammatoriis febribus, toties Practici prudentiores monent. Omnia autem, inquam, talia, quæ huc referri poterant, lubens ſilentio involvo, atque ad terrea mea redeo, quæ nullo alio nomine commendari poſſunt in inflammationibus, quam quia ſunt pharmaca nemini ægrotantium nocitura, cum e contra volatilia inflammationibus adfectis mirum quantum obſint. Vix nempe credo aliquem exstiturum inter Medentes modernos, qui ſerio ab acido inflammationes derivare voluerit, quare impoſſibile eſt, ut ex hoc capite uſus abſorbentium terreſtrium in praxi excuſetur, toleretur que. Atque ut ille eo magis fruſtraneus ac ineptus cenſeatur, acidorum vegetabilium ſucci citri, ipſiusque aceti eximiæ vires, in ſanandis inflammationibus toties experimentis comprobatæ efficiunt. Quis ergo cauſam ejusmodi affectuum in acido locaret? quis fallacem hancce hypotheſin conciliaret cum uſu præſtantiſſimo oxymellis, jamdudum ab ipſo HIPPOCRATE magni æſtimati & ad noſtrum usque ævum ad ſolvendum coagulum phlogiſticum appoſitiſſimi?

§. 4.

Puderet credo hodie fautores vel ſummos terreorum remediorum, in praxi inflammationum allegare acidum, ejusque antidota terreſtria abſorbentia, ſed ſi eosdem vere hujus ætiologiæ pudet, quid tandem quæſo poterunt allegare aliud? Dicam breviſſimis. Plerique Medicorum, recepto ita ſtylo, colloquuntur in inflammationum ſanatione de lenibus diapnoicis, ignorantes forte, cur ita loquantur, atque dum tranſpirationem blande movendam eſſe

Sub quo prætextu hodie uſurpentur.

(*f*) mat. med. p. 376.

eſſe dicunt, indicari diapnoicos, bezoardicos terreſtres pulveres ſine hæſitatione clamitant. Nil hac vice his futilibus adſertionibus opponam, ſed quærere licebit, quid perſpiratio auctior & ſudoris promotio ad inflammationem? Si prudentiorum aliquis reſponderit, hac methodo inflammatorios affectus ſolvi: inſto ego ulterius quærendo, an liberior perſpirationis ſucceſſus, vel & ſudoris fluxus, una via eſt, per quam inflammatorii affectus corporis humani ſolvuntur? Nemo Medicorum hoc ipſum aſſerere audebit! Quem enim fugit, phrenitidem, fluxu hæmorrhoidum ac diarrhœa, peripnevmoniam ſputo, nephritidem urina copioſa ſæpius feliciter perſanari. Si hæc omnia ita vera habentur, ut ſane ſunt veriſſima, ſtatim concedere coacti eritis vos *Medici terreſtres*, ſi ſpes fuerit, his evacuationibus morbum ſolutum iri, ſi ſigna futurarum ejusmodi evacuationum adfuerint, ſi ipſæ evacuatione tales jam inſtent, aut ſuccedant; fruſtra & otioſe propinari terrea bezoardica, diaphoretica, diapnoica qualiacunque: aut demonſtrare tenebimini, & has evacuationes promovere poſſe terrea veſtra remedia, quod vix probaturos vos ſperaverim. Multum ergo jam uſui eorum opportuno decedit. Sed pergo ego ulterius. Scitis credo omnes, nullas evacuationes accidere cum bonis ægrorum rebus in inflammatoriis febribus, niſi ſtaſis fuerit diſcuſſa, ſeu quod idem eſt, niſi obſtruens materies ita fuerit præparata, ut fluat, & per congrua emunctoria evacuari queat. Aliter enim, liquidis tenuiſſimis inutiliter profuſis perit id, quod attenuando lentori ſtagnato debebat inſervire. Quodſi vero ipſe lentor inflammatorius, vi vitæ remediisque adhibitis, fuerit ita præparatus ac attenuatus, ut quieſcens antea ſtagnansque jam loco moveatur, ac per vaſa omnia ferri valeat iterum, tumque circuli lege omnibus colatoriis applicetur, criſi varia, modo exibit per vaſa cutanea, modo per vaſa renum, modo per glandulas inteſtinales &c. atque ita ſenſibili evacuatione morbus ſanabitur: Poterit vero artis naturæque beneficio ita ſolvi attenuarique viſcidum phlogiſticum, ut circulans iterum, non modo per vaſa ampliora pauliſper poſſit egredi, ſed & per tenuiſſima cutanea halitus ſpecie exire queat, inſenſibilique perſpiratione excerni, quem ſanationis modum in inflammationibus pulchre BOERHAAVIUS *reſolutionem*

ſine

ſine criſi vocare ſolet. Nimis itaque certum eſt, non modo feliciter, ſed & expedite ſatis excretione cutanea ſolvi poſſe inflammatorias febres, ac vere ſolvi ſolere, innumeris obſervationibus antiquioribus recentioribusque conſtat. Atque ſi conſiderare lubet, ea quæ eleganter, *diſſertatione de curatione febrium per evacuationes inſtituenda*, demonſtravit doctiſſimus Pitcarnius, quæ evacuatio eligi deberet, ſi quædam foret eligenda; quamque multo citius tollatur morbus evacuatione facta per poros cutis, quam alia quacunque ſecretione, cum major moles materiæ morbificæ calculo rite inſtituto, dato tempore duci poſſit per ſecretionem cuticularem, quam per aliam quamcunque. Si, inquam, ea conſiderentur accuratius, facile liquebit, convenientiſſime Medicum moliri excretionem periphericam in febribus inflammatoriis, ſi ſaltem prudenter eandem moliri aggrediatur. Anne vero hoc fine licebit exhibere pulveres bezoardicos & diapnoicos? Nego ego illud nihilominus atque pernego. Quid enim? Hæret puto inflammatoria materies in arteriolis ultimis partis inflammatæ impacta, easque obſtruit, ac lentore ſuo, quo peccat, pergere prohibetur in venas his arteriolis continuas. Ergo permanens talis nec aliorſum poterit deduci, nec verſus arteriolas cutis determinari, ſi vel mille pulveres bezoardici ægro exhibeantur. Attenuanda igitur erit antea & reddenda perſpirabilis, aliter inepte, de eadem per diaphoreſin eliminanda, Medicus cogitabit. Abſurdum vero omnino eſſet, attenuationem intendere terreis, quæ aquoſis diluentibus & ſaponaceis unice perfici poteſt; quodſi autem diluentibus ſatis attenuata fuerit, & attenuata eo usque, ut poſſit per corticem corporis exhalare, ſolum regimen requiritur, ut vere exhalet, terrea vero incaſſum dantur, quæ ne tum quidem tranſpirationem juvare poſſunt, quia huic fini neutiquam ſerviunt, ut ſupra peculiari capite clariſſime monſtravi. Satis ergo certum eſt, unicum cyathum aquæ ſimplicis millenis vicibus plus præſtare, quam præſtarent mille pulveres bezoardici & diapnoici. Quæ de æſtu inflammationem comitante atque terreis præcipitantibus moderando nugantur Practici, in ſuperioribus ſatis confutata ſunt, nec ampliorem animadverſionem promerentur.

§. 5.

Terrea antipleuritica.

Hæc de inflammationibus in genere, ſine reſpectu ad aliquam ſingularem, elocutus ſum, ſed ut appareat luculentiſſime, quantam tyrannidem exercuerit hactenus, quam longe lateque debachatus fuerit inter Medicos fatuorum terreſtrium uſus, portento ſimilia elogia recenſebo, quæ in ſpecie iisdem in pleuritide ſananda communi conſenſu fuere aſſignata. Rationem ſi ſtatim cognoſcere aveamus, ultro iterum occurrit inſons illud acidum, tam gravi culpa a tot præclaris Autoribus perperam oneratum. *Sit ſpina parti alicui infixa*, audax pronunciat HELMONTIUS, *ſuccedit in inſtanti dolor, a dolore mox pulſus, a pulſu cruoris affluxus, unde tumor, febris, apoſtema. Spina ergo poſt ſe movet cætera. Metaphorica ergo ſpina pleuritidis, & proprie loquendo, ipſa pleuritis eſt peregrina aciditas concepta in archæo, quam ſi fuget aut deponat in cruorem venæ cavæ, ea certe ad venam azygos, imo vel in ipſam propinquam coſtarum carnem expellitur.* (g) Pergit ulterius: *Eſſe acidum in pleuritide, ex eo patet, quod in pleuritide cruor elicitus grumeſcat, quæ grumeſcentia ſeu caſeatio eſt acoris effectus.* (h) Bone DEVS! quam lubrico talo nititur nihilominus hæc Helmontiana ratiocinatio, licet confidenter adeo propoſita, atque tot verborum phaleris exornata. Sed quæ tandem ad HELMONTII mentem pleuritidi debebitur medicatio? Spernendam eſſe præcipit maledictam VS. & hujusmodi præſidia eligenda, quæ aciditatem extinguant, ſicque ſpinam corrigant, doloremque pacent. (i) HELMONTIO libere ſuffragatur OTTO TACHENIUS, (k) ab acido eadem ratione pleuritidem derivans. Sed multo adhuc accuratius ejus veſtigia legit ETTMULLERUS, quando ita ſcribit: *Cauſa pleuritidis & peripnevmoniæ eſt ſanguinis coagulatio & ſtagnatio ab acido in eo peccante orta, acidum ſimul membranaceas partes vellicat, hinc ſanguis VS. emiſſus ſubinde eſt ſemi-grumoſus.* (l) *Relicta acida veſtigia in parte adfecta recidivas cauſantur.* (m) *Mandibulæ lucii piſcis temperant acidum, hinc egregie commendantur pro uſu antipleuritico.* (n) *Dentes ani-*

(g) In tractatu inſcripto pleura furens, operum p. 245. (h) ibid. p. 246. (i) l. c. p. 247. (k) in Hippocrate chym. p. 106. (l) p. 561. (m) ibid. (n) Colleg. pharm. in Schrœd. pag 694.

animalium, contra pleuritides optimum ſunt ſpecificum, ad drachmam unam in forma pulveris propinati, coagulatum enim ſanguinem reſolvunt, & acidum abſorbent. (o) Laudat deinde in pleuriticis pulverem dentis aprugni, cryſtallum mineralem, mandib. luc. piſc. lap. cancr. cl. WILLISIUS (p) eo *quod, ſalis acidi præpollentias deſtruendo, ſanguinis coagulationes tollant.* Haud ſecus mandibularum lucii piſcis, ad materiæ acidæ circa ipſam pleuram præſuppoſitæ inverſionem, vires notorias eſſe, dicit celeb. Dan. LUDOVICI (q) atque alibi, *pulverem ex ſanguine hirci, ſulphure & oſſibus lucii piſcis compoſitum, in pleuritide etiam ſine VS. expectorationem ſufficienter complere, & cum mixtura ſimplici cancrinos & corallinos pulveres curam concludere* ſcribit. (r) Et quid opus eſt, ut MICHAELEM cum ſuo magiſterio antipleuritico; (s) HERMANNUM, mandibulis luc. piſc. palmam præ oculis cancr. in pleuritide & peripnevmonia decernentem, (t) denteſque apri, ad drachmas duas ex olei lini unciis tribus, per vices, ad expectorationem promovendam, exhibentem, (u) LANGIUM, famoſum præſtare uſum mandib. lucii in pleuritide, aſſerentem; (x) DECKERUM ob infelix acidum iisdem remediis inhærentem, (y) JUNCKERUM, mandibulas lucii, ob detergentem qualitatem, nonnihil conferre in puncturis laterum, largientem, ſed tamen, an verum ſpecificum antipleuriticum conſtituant, adhuc ambigentem, (z) alioſque citem. Sufficit, eheu! tot Medicos præcellentes ſibi imponi fuiſſe paſſos, cœcaque fide præconceptis opinionibus ſubſcripſiſſe. Imo vero dolendum deplorandumque ſerio eſt, in diſpenſatoriis recentiſſimis, quæ lectiſſima remediorum genera ſingulari ſtudio congeſta comprehendere cenſentur, tot deprehendi pulveres antipleuriticos, ne nuce caſſa dignos reputandos. Habet *pharmacopœia Auguſtana An. 1734. edita pulverem pleuriticum* ex mandib. luc. piſc. dent. apr. lap. percar. talo lepor. lap. cancr. ocul. luc. piſc. ſem. card. Mar. & artemiſ. atque de eodem prædicat, *quod contra omnes laterum puncturas, in pleuritide tam ſpuria quam exquiſita, etiam in epidemica illa, qua doloris*

Mm 2 *vehe-*

(o) ibid. p. 646. (p) Pharm. rat. Part I. p. 158. (q) in pharm. p. 166. (r) ibid p. 147. 148. 149. (s) Prax. part. I. libr. III. c. 6. (t) Cynoſ. mat. med. part. II. p. 14. (u) ibid. p. 16. (x) in mat. med. p. 443. (y) Pr. Barbette p. 70. (z) Therap. gen. tab. IV. p. 146. & tab. V. pag. 209.

vehementia multi jugulantur, ad dolores mitigandos, inflammationem reſolvendam, ſudoresque eliciendos ſingulare ſit remedium. Eadem autem, quod probe notari velim, verba, jam legebantur in illa editione, quæ An. 1646. luci publicæ exponebatur. Igitur antiqua fabula, poſt integrum fere ſeculum elapſum, fideliter adhuc ſervata eſt, digna certe, quæ a nobis etiam ad poſteros transfundatur, quo habeant & illi, cur patrum ſuorum pigram ſimplicitatem derideant. Ejusdem autem furfuris *pulverem pleuriticum* invenio *in diſpenſatorio Viennenſi.* Prorſus talem *Pharmacopœia Argentoratenſis* exhibet, neque ille, qui in *Brandenburgico diſpenſatorio* hoc titulo inſignitur, ex aliis quam ex ineptis ejuscemodi terreſtris indolis quisquiliis confunditur. En ergo elegantem contra pleuriticos aculeos remediorum ſupellectilem! quam ſi aliquis parem vincendo graviſſimo affectui hodie crederet, næ ille non poſſet non ſuam prodere in rebus medicis inſcitiam atque ſocordiam. Illud equidem largior lubens, nil nocituros eſſe pulveres tales pleuriticos, nec duriorem illam cenſuram mereri, quæ jure meritoque debetur arcano illo antipleuritico, ſali volatili ſcilicet ex ſtercore equino parato, contra pleuritidem & alios etiam morbos ab acido vitioſo per hypotheſin commendato in miſcellan. Nat. Curioſ. (*a*) ab eo quippe ſollicite cavebunt ſibi omnes meliora docti, atque remedia morbo ipſo pejora multo curate omittere ſcientes. At vero quid tandem boni accidere poteſt ægro a pharmacis nec nocentibus nec juvantibus? Nemo unquam probaturus eſt ſerio, acidum peccare in pleuritide, quare omnis ille apparatus terreus, nulla alia Virtute pollens niſi ſola ant-acida, flocci faciendus eſt, & merito ſuo negligendus in praxi clinica. Annotaverat dudum artis parens HIPPOCRATES, (*b*) *qui acidum eructant, non facile fieri pleuriticos*, quod perpendere debuiſſent omnes, qui illi, præter rem, omnem morbi culpam deferre recentiori ævo non erubuerunt. Atque quicquid tandem poſt HELMONTIUM de acido pleuritico ratiocinetur ETTMULLERUS, id omne, ſerio expenſum, nil valet, quod docte animadvertit, qui hunc ſtrenue refutavit, doctiſſ. PITCARNIUS. (*c*) Nolo dum ab omni-

(*a*) Cent. III. & IV. obſ. 178. (*b*) Sect. VI. aph. 33. (*c*) In elementis cap. de pleuritide.

omnibus facile evolvi poſſunt, verba ipſius hic tranſcribere, ſed licebit ex M. N. C. excerpere, quæ contra inconditam hanc hypotheſin elegantiſſime diſputat cl. ANTON. VALLISNERIUS: (*d*) *Incaleſcimus*, ait, *atque inde aura ſuſcepta refrigeramur, pleuritis in promptu. Quid neceſſe eſt hic acidum invocare, cum nullum revera peccet, ſed coarctatio potius vaſorum intercoſtalium aut extimæ pulmonum membranæ a frigore inducta? An illico acidum genitum eſt propter frigus, & in læſa parte conſedit ut ſpina? Nugæ, ut opinor! Naſcitur offa, hoc eſt coagulum etiam inter ſpiritum vini & ſpiritum urinæ, ubi tamen nullum acidum intervenit. Sed recentium quorundam palato nihil ſapit, quod non ſit acidum, omniumque aures gaudent, mordaci rodere aceto.* Quid ergo vobis videtur lectores mei? Nonne omnia illa remedia antipleuritica, de quibus antea verba feci, pertinent *ad nugivendulos pulveres*, ut vocat, quosque in ſananda pleuritide inanes clamat, ac prudenter rejicit GEORGIUS BAGLIVUS? (*e*) Abſint inania hujuscemodi remedia a Medico docto, atque indicationes reſpondentes morbi genio, ut decet, formare apto. Fere animo exciderat, mandibulas lucii piſcis, dentemque apri in pleuritide a non paucis commendari ob ſignaturam, hos vero minorum gentium Deos, nec confutatione, nec reſponſione dignos cenſeo, ad gentes, omni cultura, omnique ſana ratione deſtitutos, ableganda ejuscemodi ſomnia videntur. Indicationes veræ in pleuritide, ut in omnibus inflammatoriis, revellere impetum nimium, quia is contrarius reſolutioni; attenuare lentorem, laxare vaſa, hæ ſufficiunt. Princeps ergo in morbo hoc ſontico, ut in omnibus inflammatoriis, remedium VS., nec inepte de eadem, plus ſimplici quoque vice repetenda, verba faciens SYDENHAMUS, per ipſum ſectæ venæ orificium, & pleuritidi parari fugam, & ſanitati reditum, pronunciavit. (*f*) Summi deinde uſus ſunt, lateri dolenti improbo labore applicita fomenta laxantia atque paregorica. Inter interna, poſt infuſa tepide haurienda, poſt oxymel ſimplex, decocta demulcentia, emulſiones, oleumque amygdalinum, nitrum & camphoram (*ff*) eximio cum fructu ſæpiuſcule hactenus

 felix

(*d*) Cent. V & VI obſ. 97 (*e*) Oper. p. 46. (*f*) Operum in 8. p. 339. (*ff*) In hoc perexiguo ſed præſtantiſſimo nihilominus remediorum antipleuriticorum apparatu

ſelix adhibui, rationis ductum, multorumque egregiorum virorum præcepta ſecutus. Neque aliis præſidiis, ad vincendum hunc affectum, indigere Medicum, neque dari facile alia his ſuperiora, magisque genio morbi accommodata, ſatis convictus credo. His inſtructus poterit negligere reliqua omnia, quæcunque demum collaudentur. His carens parum præſtabit, ac niſi vis vitæ leviorem forte morbum curet, actum erit de ſanitate & vita ægrotantis.

CAPVT XVI.

Ineptum terreorum anti-nephriticorum apparatum impugnat.

§. I.

Terrea pro antinephriticis vendidata.

NIl autem magis, incumbere mihi reputans, quod, circa inflammationum ſanationem fruſtra terreis creditam, commemorem,

ratu, non poſſum non quin ſeorſim camphoræ vires digniſſime collaudem. Scripſi olim de Virtute ejus refrigerante & antiphlogiſtica, tenuem tractatum ac poſtea nullam facile occaſionem omiſi, eximii remedii Vires in ægris meis experiundi. Notum eſt ubique, quantum camphoræ nitro nuptæ faveat in Pleuritide, qui, inter practicos labores feliciſſimus, extremæ ſenectutis limites attigit Illuſtr HOFFMANNUS, attentamque conſiderationem merentur verba cl. BAGLIVI Prax. Med. Lib I p 35 *Quando in Pleuritide viget indicatio diſſolvendi, camphora & ex eadem parata remedia pro ſecreto fere hanc indicationem abſolvunt.* Lectu dein digniſſimæ ſunt obſervationes WERLHOFIANÆ, *de pleuriticis emulſione camphorata curatis*, in Commerc. Norico anno 1734. hebd. 33. & 47. Seduloque a me annotata ſunt, quæ ſcripſit Vir Illuſtris JOHANNES SAMUEL Nobilis Dominus de BERGER, nimis bene de libello meo ſentiens, in epiſtola ad cl. WERLHOFIUM eidem Commercio Norico 1735. hebd. 4. inſerta. *Legi & probavi obſervationes tuas de camphora. Spero plures ea de re Medicos ad fiduciam uſumque egregii medicaminis excitatum iri. Ipſe illud, præcipue in pleuritide* aliisque internis inflammationibus, majori etiam doſi, quam quæ abs Te commendatur, ſæpiſſime feliciſſimeque uſurpo. In ſinu gaudeo, inter Vratislavienſes etiam Medicos olim ſaltem extitiſſe cl. KLAUNIGIUM, qui in ſuo *Noſocomio Charitatis*, peculiari obſervatione de pleuritide conſcripta, multis encomiis pulverem nitroſo-camphoratum afficit, talemque in febribus inflammatoriis, omni auro & panacæa præſtantiorem declarat. Ego ſane, qui nomen meum jungere Viris ſummis vix auſim, quod ſancte teſtor, ſæpius cum Voluptate hujus remedii uſum in Pleuritide feliciſſimum deprehendi, adeoque de ejus efficacia, repetitis fauſtis ſucceſſubus, convictus ſum, ut jam curaturus Pleuritidem, poſt VS. ſemel, bis, ter, adminiſtratam, topica lateri dolenti impoſita, infuſa tepida mellita ſcrebrius haurienda, clyſmata antiphlogiſtica, vix aliud remedium quam pulverem ex nitri granis xij - xv. cum camphoræ gr. j - ij - iji cum Emulſione ex oleo amygdalino ſingulis præbiis ſuperbibenda adhibere ſoleam, ſatis certus, niſi hæc morbum curent, illum pro inſanabili habendum eſſe.

rem, quam male illa antinephritica & lithontriptica vulgo audiant, commode jam potero declarare. Inſignis certe eſt multifariorum remediorum farrago, quæ, non tantum ab hominibus judicio egenis, ſed a viris præſtantiſſimis ad calculum atterendum & in pollinem reſolvendum, per multos annos ſuere commendata. Laudat GRULINGIUS ad hunc finem ſuccum portulacæ, DEODATUS moſchum terreſtrem, CRATO aquam nucleorum perſicorum cum vino paratam, HERCVLES SAXONIA therebinthinam cum ſemine milii ſolis, RVLANDVS aquam deſtillatam ex ſtercore columbino, SCHROEDERVS urinam hirci calidam &c. Et quis omnia egregia hujus farinæ medicamina ordine complecteretur! ad nos in præſenti ſola terrea remedia ſpectant. Equidem lupum non facile comedere lupum, vere ſatis convenienterque vetus aliquod proverbium loquitur, ſed eo nihilominus proceſſit plus quam plebeja Medentum numero plurium credulitas, ut, atterendis ſolvendisque coagulis terreſtribus, in corpore humano præter naturam genitis, terreſtria pharmaca apta & ſufficientia a longo tempore habuerint. Videas ohe! qui calculos ſuos infeliciſſimo partu & doloroſis conatibus editos, ſpe evanida pleni, fore, ut illi ſuperſtites in corpore reliquos deſtruant, deglutire iterum haud verentur; quaſi illi ſemel exire coacti aliis moram invidentes eosdem certo propulſuri ſint, egredientesque comitaturi fideliter. Equidem aliquis harum rerum ignarus, lepidas ejusmodi hiſtoriolas, ad eas traditiones, quæ vulgi hominum ſimplicitatem olent, atque ad hunc ſolum pertinent, referre primo intuitu poterat, ſed falleretur is vehementer, ita nimirum Medici haud pauci ſenſere, quos inter HOEFERVS in *Hercule medico* calculum humanum ad calculum atterendum laudavit, (g) atque JOH. SCHROEDERVS ſcribere haud erubuit: *Calculus humanus ſumme valet ad tartarum in omnibus corporis partibus, imo ad calculos etiam grandiores reſolvendos atque expellendos.* (h) Neque tamen terreſtribus calculoſisque concrementis in humano corpore infauſto fato coactis, ſaltem virtus antinephritica & lithontriptica tributa eſt a Medicis credulis & ſocordibus, ſed vix datur lapidoſum aliquid in rerum natura, quod eo nomine officinale

(g) libr. 3. c. 9. (h) libr. 3. c. 8.

nale redditum haud fuerit. Tantus ergo antinephriticorum & lithontripticorum excrevit apparatus, ut, ſi vel in omnibus hominis viſceribus quieſcentes, atque lenteſcentes humores in ſiccam lapidoſamque molem obriguerint, aptiſſima illi atterendæ ac ejiciendæ præſidia larga copia in pharmacopoliis aſſerventur. Extat *lapis* quaſi ſecundum excellentiam dictus *antinephriticus*, de quo modo allegatus notavit SCHROEDERVS, quod ſpeciatim ad nephriticos dolores, calculumque & arenulas expellendas inſervire dicatur. (*i*) Atque hoc, ut facile patet, ipſe nondum aſſerit convictus, ſed recenſet ſaltem; At vero quam confidenter eundem lapidem extollit Commentator HOFFMANNVS: *Lapis nephriticus*, ait, *admirandas vires, vel geſtatus vel intra corpus exhibitus, tum doloribus nephriticis præſentaneum auxilium afferendo, tum arenulas per oculos, veſicam, anum, ac totius corporis habitum pellendo, potenter exerit.* (*k*) Si cuidam forte ſceptico, Medico portentoſo, tales effectus videantur pugnare cum ſana ratione; ſi experientia caſtiſſima eos ignorat; quicquid ſit, lapis nephriticus nihilominus nephriticus eſt, ecce cauſam ejus ſequenti exceptione tuetur LANGIUS: *Quoniam plures ſunt lapidis bujus ſpecies, ſi forſan non prima ſtatim vice ab applicato hoc remedio ſolatium experiantur ægri, neutiquam penitus dubitari debet de ejus efficacia, quæ utique eſt incomparabilis.* (*l*) Eadem prorſus verba excerpſit cl. BOECLERUS in *mat. med. continuata*, ſimulque allegavit EMAN. KOENIG lepide certe dicentem: *Quod appenſus etiam lapis nephriticus calculum quandoque tam valide moveat, ut ſæpe eum deponere coacti fuerint geſtantes.* Affines nephritico lapidi vires poſſidere utplurimum creditur *lapis Judaicus*, de quo quod medeatur difficultati urinæ, calculosque veſicæ ac præcipue renum rumpat allegatus jam SCHROEDERUS annotavit. (*m*) Idem de eodem prædicat HOFFMANNUS in *clave*, ac non contemnendum eum eſſe remedium in urinæ difficultate & calculo, perhibet ETTMULLERUS. (*n*) Sunt adeo, qui eundem in marem & fœminam diſtinguunt, ac priorem renibus, poſteriorem vero veſicæ deſtinant. Sane autem vix hæc omnia capimus hodie, ſed

(*i*) libr. III, c. 4. (*k*) p. 153. (*l*) Oper. p. 330. (*m*) libr. III. c. 8. (*n*) Oper. p. 734.

ſed plane riſum movere debet recenſio LANGIANA & BOECLERIANA (o) lapidem Judaicum tritum, & cum aqua ſubactum ad glutinis conſiſtentiam, abraſis prius pilis regioni pubis applicari pro ſcopo lithontriptico. Taceo lubens fabulas, quæ de *lapide lyncis* leguntur in libris Practicorum. Mira quoque deinde res eſt, *lapidem ſpongiæ* utilem haberi a SALOMONE DALE, (*p*) ad frangendos calculos renum & veſicæ, quia SCHROEDERUS idem illud quoque antea edixerat. Collaudant porro, ubi de calculo vel tantillum audiunt omnes vetulæ adhuc *percarum lapides*, & ex officinis petunt. Dandum etiam aliquid earum ſimplicitati, imperitiæve in arte ſalutari, ſed nunquam condonandum HOFFMANNO, quod abs re ſcripſerit: (*q*) *Lapidem percarum in calculo tam Puerorum quam adultorum in aqua Petroſelini ſummæ eſſe efficaciæ.* Nondum vero finis remediorum antinephriticorum *cryſtallus montana*, quippe ſecundum modo allegatum HOFFMANNUM (*r*) SCHROEDERUMque (*s*) atterit, & ſecundum LANGIUM (*t*) rumpit calculos. *Lapides cancrorum*, de quorum virtute antinephritica vix amplius dubitatur inter Practicos, non minus calculum SCHROEDERO teſte atterunt. (*u*) *Teſtæ ovorum*, ex quibus per incubatum pulli modo excluſi ſunt, a quibusdam nomine præſervativi ſingularis calculoſis commendantur, referente ETTMULLERO. (*x*) *Lapis manati*, in diſſert. LANGIANA ſub STAHLII præſidio de eo habita, refertur inter antinephritica. (*y*) *Cochlearum opercula* a quibusdam inſtar ſummi arcani in calculo commendantur cum nitro tantillo, ut recenſet BOECLERUS. (*z*) Depoſcit ſibi hic locum aliquem fabulæ valde analoga recenſio in M. N. C. (*a*) reperiunda de jaſpide antinephritico, quod corpori appenſus circa regionem lumborum inter geſtandum refrigerationem dorſi & renum excitaverit, ægrumque per 8. annos liberum a nephritide præſtiterit. Quare MENZELIUS obſervationis auctor, multam refrigerandi virtutem ineſſe ejusmodi lapidibus, arbitratur, qua calorem præternaturalem renum tanquam præcipuum

(*o*) LANGE Oper. p 315. BOECLER. in cynoſ mat. med. Herm. continuata. part. III. p 878. (*p*) in mat. med p 82. (*q*) in clave p. 701. (*r*) libr. 3. c. 8. (*s*) libr. V. claſſ. 3. (*t*) in colleg in Swed. Oper p 688. (*u*) §. 13 (*x*) in clave p. 178. (*y*) Lect mat. med. oper p 310. (*z*) in continuatione II. mat. med. Hermann. part. II. p. 593. (*a*) Dec. II. Ann. 7. obſ. 2.

puum agens coagulandi tartarum vel calculoſam materiem in renibus retundere, & ſic cauſam nephritidis continuo abarcere valeat. Proponit tandem cl. ADOLPHI: Præſtantiſſimum & facile parabile contra calculum remedium. Ardes lector! Opinor ego, ſciſcitarisque curioſus, quale demum illud ſit? Accipias ergo propria ipſius auctoris verba: *Quamvis infinitus pene remediorum contra calculum ſit numerus, facile tamen multis aliis (ne quid audacius dicam) palmam præripere poteſt pulvis teſtarum cochlearum ſubtilis ſæpius a drachma ſemis ad drachmam unam in vehiculo commodo ſumtus, quoniam potentiſſime materiam & glaream, ex qua generantur calculi, diſſolvit, namque ex ejus uſu multum ſabuli per urinam excernitur.* (*b*) Neſcio certe an opus ſit, ut prolixiorem conſcribam antinephriticorum terreſtrium ſupellectilem, quando nimis prolixam jam ſuppeditavi. Horreo, quod ſincere eloquor, immanem compoſitionum antinephriticarum gregem ex ſolis ut plurimum inanibus terreſtribus invito Apolline compoſitarum. Horreo ineptiſſimorum pulverum hujus farinæ apparatum, quibus hercle! ſine exceptione omnibus egregie competeret inſcriptio: *Pulvis & umbra ſumus!* neque enim vel tantillum præſidii in eis deliteſcit. Famoſum fuit olim *ſpecificum antinephriticum Regis Poloniarum Vladislai* ab Andr. Cnœffelio ejus uſibus dicatum, quod magiſterium cryſtalli montanæ & aliud quoddam antinephriticum magiſterium recipiebat. (*c*) Superbit, quod lectoribus notum, *Pharmacopœia Auguſtana*, pulvere ſuo antinephritico multa inania terreſtria recipiente. Cuſtodit *recentiſſimum diſpenſatorium Brandenburgicum* pulverem antinephriticum ex lap. Jud. percar. lap. 69. matr. perl. ſuccin. alb. lap. bez. occidentali, oleo deſtillato petroſelini conflatum. Sed DEVM immortalem, quantum in his remediis inane! Forte autem melior his & aliis omnibus famoſus *pulvis antinephriticus Volckhammeri*, quia majori pretio venit, ex gemmis compoſitus, quibus panchreſtas inſidere in medendo vires, adeoque ſine dubio etiam antinephriticas, tot Medici hactenus credidere. Illud equidem ſatis expertus novi, ad hunc diem pulveris antinephritici Volckhammeriani copiam Norimberga Vratislaviam deferri, quum inter noſtra-

tes

(*b*) in M. N. C. cent. VII. & VIII. obſ 33. (*c*) Vid. Stahl. diſſ. de lithogeneſi p. 35.

tes ſemper adhuc inveniantur, qui ex pretio pharmacorum vires æſtimantes, aut experientiam anili ſimplicitate allegantes, magnum contra calculi dolores præſidium in eodem repoſtum arbitrantur. Molliter cubent oſſa venerandi olim Præſidis Societatis N. C. VOLCKHAMMERI, ſit ejus memoria extenſa ad ultimam poſteritatem! Sit manibus ipſius felici ſilentio, placidaque quiete fruentibus ſuis honos! ſed parcant præfracte denegati laudes & encomia inani pulveri, cujus inventionem ipſi, ſcio, nunc movebunt, cujus uſus, quod audax ominor, haud feret ætatem. Atque hic forte jaceret ſepultus diu, niſi darentur hinc inde Medici, qui decepti ab aliis ſemetipſos inſuper decipiunt, atque in proprio corpore animadvertiſſe fatuorum terreorum lapidoſorumque pulverum in atterendo & pellendo calculo energiam in ſuum hercle opprobrium profitentur. Extat N. C. Miſcellaneis a CRUGERO inſerta obſervatio (d) inſcriptionem gerens: *de calculi renum comminutione.* Perſuadere ibi nititur lecturis cl. auctor, calculum eſſe concretum ſalino terreſtre, atque ſi ſal illud, quod ligat terreſtres particulas, queat ſolvi, has a nexu a ſe invicem liberari debere ratiocinatur. Poſt varia dein remedia id ſolventia, ac ita calculum ex ipſius hypotheſi comminuentia in medium prolata, ſic de ſe ipſo loquitur: *Aſſumſi etiam pulverem ſequentem, quem Borrichius in actis medicis Bartholini proponit, & quo revera calculum contrivit. R. pulv. lap. lync. judaic. cryſtalli foſſilis præparat. oc. cancr. ana drach. unam, dividatur in 4. part. æqu. S. 4.* Stein-Pulver. *Et ego veritatem Borrichii deprehendi & arenulas conſpexi. Aliquando & in uſum traxi ſolos lap. cancr. cum fructu, iterum enim arenulæ ſubſiderunt.* Turpiter vero fallitur nugaciſſima concluſione CRUGERUS, lapidoſis ſuis pulveribus, ut recte ſignati ſunt, lapidibusque cancrorum has arenulas detritas fuiſſe, reputans, quas mille homines, ſine prægreſſa deglutitione ejusmodi lapidum, excernunt; & quotusquisque præterea ſibi imaginabitur, terrea remedia data ex ipſius ſententia ſolviſſe ſalinas calculi particulas, aut extricaſſe eas ex terreſtrium connubio. Eheu! quæ fata ſperanda medicinæ? quando illi ipſi, quorum auctoritatibus repurganda erat a ſordibus, erroribus plebejis circa calculum, ſuo

Nn 2 adjecto

(d) Dec. III. Ann. 7. & 8. obſ. 116.

adjecto calculo patrocinantur, eoſdemque paraturos ex finibus artis abitum revocant iterum ac ſtabiliunt.

§. 2.

Argumenta precaria cur terrea proſint nephriticis.

Quæ vero tandem, ſi ſerio expetantur urgenturque, rationes reddi poſſunt a fautoribus ridiculorum antinephriticorum terreſtrium, cur proſint, aut prodeſſe poſſint; atque ſub quo demum prætextu porrigere ægris nephriticis, calculoſisque lapidoſos ſuos pulveres ſolent Medici? Pudet de hac materia verba facere, ſed exigit inquiſitionem examinis methodus, quam huc uſque ſervavi, propoſiti ſemel cœpti tenax. Dantur, quod ſilentio præterire non debeo, viri quidam experientiſſimi, qui, inglorium habentes, quod ignorent ſedulo inquirere pharmacorum operandi rationes, rationem reddere recuſant, altoque ſupercilio ſuam ſaltem crepant experientiam, de cujus fide, de cujus certitudine, ſi aliquis nondum experientiſſimus, ſed experiens ambigat, anathema ſit. At vero Thomas ego incredulus ſcepticorumque prudentum in medicina fidelis aſſecla, id fulgur ex pelvi parvi faciens, ſi vel mille experientiis Practicorum docerer, lapidoſos pulveres attriviſſe calculos eosdemque in arenulas ſubegiſſe, ſana ratione contrarium ſuadente, illas omnes mancas, fallaces, futiles declarare haud vererer. Sed ab experientiæ inani allegatione ad rationes me conferam, quæ tamen aliæ haud deprehendentur, quam vel frivolæ & ineptæ, vel præconceptæ ſaltem hypotheſi ſuperſtructæ, atque rigoroſius examen haud ferentes. Pertinet huc ſtatim miſerrimum illud aſylum a ſignatura petitum, cujus præco præcipuus exiſtit Oswaldus Crollius. Audiamus vero quid de calculo hic homo nugari audeat: *Omnia*, inquit, *quæ calculum pellunt, magico modo morbum, cui medentur, ſignatura denotant; ut cryſtallus, ſilex, lapis calaminaris, lapis judaicus, lyncis, hominis &c.* Atque ego crediderim, integrum librum Oswaldi Crollii de ſignaturis, ipſa ſignatura denotare, quod autor ſit mendax, nequam, impudens, & quæ ſunt reliqua; ſunt alii, qui quando de antinephriticis res eſt, ad diureticam terreorum virtutem, extra dubium, ut putant, collocatam, provocant, atque ea hujus ope calculos propellere contendunt, quid vero de illa ſentiendum ſit, in ſuperioribus abunde docui. Invenies porro, qui ſpasmos nephri-

ticos

ticos terreis exhibitis componi putant, eoque nomine ejuſcemodi pulveres præſcribunt ipſi, tolerant & defendunt. Valde miror, ad hanc claſſem tranſiiſſe auctores Cl hiſtoriæ morborum Vratislavienſium, occaſione pulveris antinephritici VOLCKHAMMERI, cujus uſum ſtrenue commendant. *Pulverem*, ajunt, *famigeratiſſimi noſtri quondam Præſidis Volckhammeri, quidam noſtrum cum ſucceſſu dederunt, ob inſignem demulcendi ſpaſmos virtutem.* (*e*) Eandem prorſus fovet ſententiam celeb. JUNCKERUS, ita in conſpectu ſuo medicinæ locutus (*f*) *Pulvis Volckhammeri calculum quidem ipſum non tollit, quoniam autem ab omni narcoſi alienus, ob gemmarum ingredientia, antiſpaſticam habet efficaciam, ad placandas commotiones calculum comitantes egregium edit effectum.* (*ff*) Et alibi de eodem pulvere ita ſcribit: (*g*) *Non fruſtra gemmas pulveri ſuo contra calculum admiſcuit Volckhammerus, quippe utiles ad ſpaſticum dolorem calculoſis infeſtum leniendum.* En ergo utilem in nephritide pulverem VOLCKHAMMERI, ob vim antiſpaſmodicam ex hypotheſi! at bone DEVS quam lubrico talo nititur hæc energia! quam licet defendat, inſcius tamen ipſe ſimul negat, modo allegatus JUNCKERUS: ſcilicet immediate ante ipſiſſima verba ex ejus therapia modo adducta ita ſcripſerat: *Etſi modus agendi obſcurior ſit, tamen pleræque gemmæ, præcipue hyacinthus & ſmaragdus, teneras corporis ægri membranas nonnihil ſtringunt, adeoque vim ſubtilem tonicam exerunt, ut attenta perdocet obſervatio.* Quodſi ergo gemmarum energia medicinalis eſt tonica & nonnihil ſtringens, impoſſibile eſt, ut in pulvere VOLCKHAMMERIANO ſit antiſpaſmodica & anodyna. Tantis igitur oblocutionibus & contradictionibus ſubjecta obſervantur elogia, quæ non ex merito, ſed gratis affiguntur remediis terreis antinephriticis. Verum enim vero non antiſpaſmodica, ſed ipſa ſua, quæ manifeſta ſenſibus eſt adſtrictoria virtute corallia, lapidem lyncis, judaicum ſpongiæ, nephriticum, & ejusmodi terrea alia vim exhibere antinephriticam putat illuſtris de HEUCHER in diſſertatione doctiſſima, *de calculo per adſtringentia pellendo. Quantum*, inquiens, *hæc ad-*

 ſtrin-

(*e*) Ao 1699. p. 194. (*f*) Hæc ipſiſſima verba habet Stahl in d.ſſert. de nova pathologia calculi renum p 16. (*ff*) Junckerus Therap. Tab. IV p. 138. (*g*) pr. 373.

ſtringunt, tantum etiam unanimi omnium conſenſu calculum pellunt, id quod vel inde intelligas, quod ab ultimis inde artis noſtræ incunabulis ad hæc usque tempora vix pulvis aliquis nephriticus præceptus fuerit, quem vel illa omnia citata adſtringentia, vel quædam certe ex iis non fuerint ingreſſa. (*h*) En inſigne in opinionibus divortium! altera relaxatione, altera prorſus contraria operandi ratione, adſtrictione puta, terrea ſuam præſtare vim antinephriticam ſtatuente. Cuinam igitur ex diſſidentibus his ſententiis erit ſubſcribendum? quo fine porrigendi nephritide vexatis ægrotantibus pulveres terrei antinephritici? an ut relaxent tubulos renales & ureterum vias, an ut ſtringant. Si utraque energia quadrat medelæ nephritis calculoſæ, ſimul tamen utramque exiſtere poſſe in uno eodemque terreo remedio vix probabile videtur, optandum omnino, per rerum naturam eſſet poſſibile, ut exiſteret. De omnibus quidem illis terreis, quæ hucusque habita ſunt, pro antinephriticis nondum recordor ab ullo Medico aſſertum, quod relaxando adſtringendoque ſimul agant, ſed quod modo probatum dedi, alter hanc, alter illam potentiam illis attribuit. At vero de quo quidem vobis gratulor, de quo vos in ſinu gaudere jubeo, ægri calculoſi! bonis avibus inventus eſt *lapis* quidam *antinephriticus novus*, qui non tantum, quod portento ſimile eſt, una adſtringit, & relaxat, ſed & aliis quibuscunque indicationibus in calculi medela explendis apprime reſpondet, maxime ſi capiatur ab ægro, cujus natura haud deſipit. Ventilata nimirum fuit ante paucos annos Heidelbergæ, & recenſita legitur in *Comm. litt. Norib.* (*i*) *diſſertatio de lapide nephritico novo.* Invenitur hic in agro Herbornenſi & circa Heidelbergam, figuram nactus radicis Zinziberis, non confundendus cum oſteocolla; pulveriſatusque cum aceto alioque menſtruo acido effervеſcere, atque continere ſal aliquod alcalinum fixum, ſal volatile urinoſum admodum ſubtile, ferri particulas item oleum pellucidum ſubtile, oleo amygdalarum dulcium ſimillimum, ſcribitur. Virtutem medicam conſiſtere putat diſſertationis autor in acri corrigendo, viſcido reſolvendo & urinam movendo, tonumque fibrarum conſervando, particulis martialibus adſtringendo, oleoſis vero laxando. En in uno

(*h*) §. 16. (*i*) Anno 1734. hebd. 38.

uno remedio evporiſto integram ſeriem fauſtorum effectuum! quos nemo in eo facile quæſiviſſet, quos dum ſibimet ipſi e diametro contrariantur, coëxiſtere poſſe, vix poſſibile videri poterat doctis æquisque rerum harum judicibus. Atque hos non ita ſubito ſubſcripturos fore ejuſcemodi aſſertis ſubolfecit forte novi lapidis antinephritici encomiaſtes, quare aliqualem eorum dilucidationem explicationemque ſtatim ſubnectit ita ſonantem: *Multis quidem abſurdum videbitur, quod virtutes plane contrarias adſtringendi ſcilicet & relaxandi lapidi noſtro adſcribamus. Monendum autem hic eſt, quod utrumque principium adſtringens & relaxans in lapide noſtro agat mitisſime. Remedia vero mitiora ſemper agunt duce natura; Quantum igitur hoc vel illud naturæ poſſet eſſe contrarium, tantum ab hac facile ſuperatur. Quandum autem utile eſt, naturam egregie juvat.* Atque hæc de lapide novo antinephritico tam mirabilibus viribus inſtructo. Nil vero magis introduxit uſum pulverum terreorum & valere fecit in praxi ad ſanandam nephritidem, quam ingens illud, de quo quidem hodie nondum liberati ſunt Medici, ingens illud inquam præjudicium, lithogeneſin in corpore humano acido deberi. Omnem lapidem, inter alios, qui huic acidoviſcidæ pathologiæ indulgent, movit OTTO TACHENIUS, (*k*) ut calculi generationem ex acidi & alcali concurſu deduceret, atque diſerte elocutus eſt: *calculos in omnibus corporis vacuitatibus concreſcere, ubicunque acidum per errorem cum alcali concurrerit.* Multo vero fuſius hanc ſententiam explicare variisque coloribus ſplendidiorem reddere laboravit ETTMULLERUS, cujus aſſerta potiora huc adſcribere operæ opinor erit pretium. *Calculi*, inquit, (*l*) *ſunt concretum tertium ſalſum, ex ſale volatili urinæ cum acido ſtomachali oberrante coagulatum.* Porro: (*m*) *Duo ſunt coagulatores calculi acidum & alcali, quæ duo invicem coëundo ſe uniunt, & quicquid ſimultaneæ coagulationi aptum, arripiunt & coagulant in conſortium lapidis.* Rurſum: (*n*) *In calculo cauſæ efficientis locum acidum obtinet nunc ipſius urinæ, nunc vero ex primis viis elapſum copioſius ac urinam magis impregnans & ſubtiliorem reddens.* Quæ ergo alia medela elici poterat prona conſequentia ex ſuppoſitis prin-

(*k*) in Hippocr. chym. p. 93. ſqq. (*l*) Tom. II. p. 632. (*m*) ibid. p. 633. (*n*) p. 633.

principiis quam, ſequens? *Terrea lapidea fixa aut calcinata, quatenus acidum abſorbent, a calculo præſervant.* (o) *Vi nephritica hactenus etiam innotuerunt ipſi lapides tam minerales quam animales, lapis judaicus, lyncis, ſpongiæ, nephriticus, lap. cancr. mandib. lucii, lapides percarum, carpionum, teſtæ ovorum &c. Verum hæc ipſa raro per ſe ſolent convenire, ſed acidum calculi coagulatorem abſorbendo, acrimoniam ſeri urinarii in paroxyſmo temperant, ac mutatione ſui ſaporis in ſal tertium vim diureticam egregie acquirunt.* (p) Poſt Ettmullerum inter varios alios lymphæ acorem etiam in calculo accuſat Wedelius. (q) Porro in diſſertatione cl. Stahlii de *lithogeniſi* paſſim acoris vitium allegatur, adeo, ut ab eo etiam vaſorum dilaceratio & mictus inde pendens cruentus calculoſis familiaris deducatur. Denique, quantum ipſe Pechlinus huic theoriæ indulgeat, docent verba ſequentia: *Pulveres fixi atque abſorbentes tum conducunt quando acidum acrius fermento junctum renali ſecretionem fluidi moratur, impeditque, ne calculus diluvio ſeri ad veſicam deduci poſſit, hicque peculiaris eſt lapidum cancri efficacia plurimis effectu teſtata.* (r) Videte lectores mei hinc illæ lachrymæ! Videte fontem genuinum, ex quo, ut innumeri errores alii, ita & pulverum terreorum nephriticorum cohortes prodierunt. Noſtis vero optime, quanto zelo acidum pathologicum fruſtra toties ſuppoſitum impugnaverit, quanta felicitate ex arte proſcripſerit inſignis Hoffmannus. Neſcio interim, qui factum ſit, ut ſi recte ſenſa animi ipſius capio, ipſe nihilominus aliquantiſper acido faveat, quando de calculi generatione paſſim in operibus ſuis verba facit. Statim memoria obſervatur locus aliquis *in notis ad Poterium*, ubi occaſione electuarii antinephritici ab hoc propoſiti ex lap. lyncis, judaici, ſpongiæ, cryſtallo & conſ. beton. ita commentatus eſt: (s) *Lapides ſpecifica creduntur antinephritica, vim ſuam exerunt textura ſua alcalina, qua acidum primarum viarum, quod fundamentum concretionis calculoſæ eſt, abſorbent & imbibunt, quod deinde mixtura tali degenerat in ſal neutrum amaricans inſigne abſterſivum tubulos renales.* Et alibi ſequentia ſcripſit: (t) *Lithontri-*

(o) p. 633. (p) p. 644. (q) diſſert. de mechanica calculi pag. 15. (r) obſervat. libr. I. obſ. 16. (s) p. 74.

triptieorum efficacia potiſſimum conſiſtit in hoc, ut ſerum ſalſum per renales tubulos ac glandulas tranſcolent. Quodcunque itaque ſerum viſcidum fundit, & ſal acidum ceu primum coagulationis fundamentum deſtruit, poros renum obſtructos reſerat, illud diuretici titulum meretur. Inter hac familiam ducunt ſalia fixa & volatilia omnis generis, nitroſa & qua ſubtiliſſimo balſamico oleo gaudent. Omnibus autem praferenda cenſeo terrea alcalina uſta, qua acidum coagulativum iſtud principium non ſolum potenter deſtruunt, & partibus athereis in poris ipſorum undulantibus humorum ac ſanguinis fluxum promovent, ſudoremque movent. Magnam hinc laudem merentur corallia praparata, ſive uſta, concha uſta, item lap. cancri. Ita ſenſit cl. HOFFMANNVS meus ante multos annos, non tamen ingruente ſenio ſuam mutaſſe videtur ſententiam. Videlicet in *medicina* ipſius *ſyſtematica* ſummo artis bono edita, capite, quo de ingenti acidorum noxa tractat, ſequentia offendo: (*u*) *Acida copioſius ſumta, dum migrant in ſanguinem, non modo ipſi fluiditatem demunt, ſed & congrediendo cum particulis terreis & ſalinis copioſum tartareum ſal in humoribus producunt, a quo intra corpus retento, nec per renales tubulos evecto varia calculorum genera in renibus & veſica oriuntur.* Atque alio loco vir celeberrimus ita differit: (*w*) *Praſervandi quoque a calculo, via ac ratio ſuppetit per alcalina, qua acidum & glutinoſum, tanquam pracipuum calculoſa concretionis fundamentum, domant atque deſtruunt, & hinc eſt, quod cancrorum lapides, mater perlarum, teſta ovorum, concha & cochlea ſimpliciter parata, vel etiam uſta, lapis lyncis & judaicus, nec non pulvis famigeratiſſimus Volckhammeri, qui ex lapidibus pretioſis calcinatis concinnatus creditur, calculorum generationem egregie impediant, & ab atrociori dolorum incurſu corpus vindicent.* Non ergo, niſi omnia me fallunt, valde quoad calculi geneſin a TACHENII, ETTMVLLERIVE placitis recedit cl. HOFFMANNVS. Liceat vero adhuc illi ad latus ponere alium ævi recentioris Medicum, Divique LEOPOLDI IMPERATORIS glorioſiſſimæ memoriæ Archiatrum longe digniſſimum, celeb. FACKHIUM, cujus egregiæ obſervationes medicinales paſſim in N. C. Miſc. leguntur, in quarum aliqua An. 1717. con-

(*u*) Tom. II. p. 375. & 376. (*w*) Med. ſyſtem. Tom. V. p. 372. §. 3.

ſcripta, de calculo differens, multis acidum coagulans accuſat atque inter alia ita ſcribit: (x) *Hoc acidum coagulans magis minusque peccans, hypochondriaci, ſcorbutici, arthritici, aliisque morbis chronicis obnoxii abunde demonſtrant, qui, acidum hoc manifeſtum in ſuo ſinu foventes, calculoſa plerumque tyrannide affliguntur. Sicut enim acidum hoc arthriticum ſynoviam condenſans tophos in articulis & contracturas excitat &c. Eadem ratione ſua coagulandi potentia in renibus ſeorſim exiſtens particulas terreſtres & craſſas in calculoſam concretionem commutare valet.* Non igitur mirum eſt, ad hunc diem ſervatos fuiſſe pulveres lapidoſos antinephritico fine in arte medica, quando iisdem Viri ſummi atque in medendo principes patrocinari non erubuerunt. Atque hoc de illo prætextu dicta ſunto, qui, ex acido cauſa concretionis calculoſæ habito, uſui terreorum accedit. Plura dicenda ſupereſſent, ſi tempus ulterius impendere huic tractationi placeret, ſed nimis forte jam prolixus fui, quare tandem filum hujus argumenti lubens abrumpo.

§. 3.

Theoria Calculi vera.

Vidimus varia rationum ſimulacra, quibus magnam partem noſtro adhuc ſeculo imperitantibus, hactenus ſibi conſtitit uſus clinicus terreorum medicaminum, ad calculi tormenta vel præſcribenda vel amolienda. Omnes autem illas ætiologias precarias, ad evanidarum in arte hypotheſium catalogum referendas eſſe, nunc evincendum eſt, quando ipſorum remediorum inertiam vanitatemque liquido oſtendere molior. Quædam ergo omnino ediſſerere debeo de calculo ejusque generatione in humano corpore, cauſisque veris, quibus obſtetricantibus ille naſcitur. Hoc autem dum paro, iterum eheu! in abſtruſum opinionum labyrinthum detrudor. Vix enim dici poteſt, quod heteroclitæ, ſibique e diametro oppoſitæ ſententiæ circa materiem calculi ab antiquis temporibus ad hunc diem obtinuerint. Dixerat GALENVS, humorem quendam pituitoſum a præternaturali venarum calore coagulari, & ita excludi calculum. Atque illud dogma per ſeculum ſervatum defenſumque a ſcholis fuit ſtrenue, ne latum unguem recedentibus a placitis Galenicis; donec tandem pituitæ tartarum ſubſtitueret Para-

(x) Habetur cent. V. & VI. obſ. 77.

Paracelſus, quem tamen æque ac pituitam falſo pro cauſa calculi venditari, indignabundus HELMONTIUS commonſtrare anniſus eſt. (*y*) Neque ſane præter rem in ſcholas Galeniſtarum & Paracelſiſtarum is invehitur, quum utrique gratis ſuis ſententiis cerebrinis indulſerint, nullo argumentorum robore adſtruendis. Neſcio interim annon hi melius nihilominus ſeſe geſſerint, illis, qui recentiori quoque ævo, nuda ſaltem vocabula, ne quidem ideis diſtinctis excitandis paria, pro calculi materie obtrudere incautis, haud fuere veriti. Saltem ego, quid Spiritus Gorgonius ſeu lapidificus, quid ſuccus petrificus ſibi velit, parum intelligo; neque, quid deſignare debeant inanes & otioſi termini, inquiram, metuo enim, ne ſtomachum mihi moveant metaphoræ illæ medicinales, a quibus omnibus mirum quantum abhorreo. Nolo quoque opinionem cl. LISTERI prolixiori examini ſubjicere, qui praviores quasdam partes alimentis & potui præſertim, maxime aquis mineralibus, thermis & acidulis vel potulentis aliis, mineris quibusdam turgidis, admiſtas, pro cauſa calculi habet; talemque materiam metallicam copia & pondere diſtendere & ampliare renum ductus, tumque in tubulis excretoriis imbecillibus eam ſenſim accumulari, moram trahere, atque ita coire in calculos, ſibi perſuadet. Non vacat etiam, ut ingenioſam ſententiam cl. TEICHMEYERI, de polline minutiſſimo, qui detritus a Molendinorum lapidibus farinæ miſcetur, panem coquendum clam ingreditur, corporique humano tum furtivo velatus tegumine inſinuatur, calculi rudimenta deducentis, expendam. Mihi, ut nil diſſimulem, minus hæc omnia veritati videntur reſpondere, crediderim tamen, ex iis, quæ hodie certiſſima habentur in medicina, clariſſime poſſe explicari generationem calculi. Facturus ſum brevibus hujus rei periculum, atque ſequentibus propoſitionibus, ea quæ maxime notanda ſunt, circa argumentum in quo verſor, includam.

I. Calculi corpus chemice examinatum conſtat terra, oleo & ſale, quam proxime ad alcali accedente. Eſtque prorſus animalis proſapiæ.

(*y*) Vide tractatum inſcriptum: Alimenta tartari inſontia p. 152. & de lithiaſi cap 23.

Mirabile eſt, judicante ita illuſtr. BOERHAAVIO, (z) *quod ſales alcalini animalium ſubtiliſſimi, volatiles, arctiſſime uniti terræ, maſſam conficiant in aqua ebulliente haud quaquam ſolubilem. Atqui calculus in animalibus genitus his principiis & oleo conflatus tale corpus eſt; et quidem magno plurium malo ſemel ille in quacunque parte corporis genitus triſtiſſima fœtura ſe propagat. Habet nimirum poteſtatem abſorbendi, ſuæque adjungendi moli materiem ſibi ſimilem, de humoribus animalium maxime propinquis putredini, quales ſunt bilis & lotium, in quibus ſales fere alcalini.*

II. In urina quacunque, hominis cujuscunque ſaniſſimi etiam, diæta qualicunque utentis, atque a lithogeneſi quam maxime immunis, omni tempore materia latet formandis calculis idonea; æque ac in lotio eorum, qui vere calculo laborant, vel qui diætam ſervant, calculi geneſi, ut vulgo creditur, quam maxime velificantem.

Paradoxa videri poſſet ignaris hæc propoſitio, poterunt tamen de veritate ejus omnes convinci, inſpectione matularum vitrorumque urinæ aſſervandæ deſtinatorum, & per aliquod tempus a ſordibus haud repurgatorum. In his, ſi diutius paulo ſaniſſimorum hominum ſteterit lotium, novumque non eloto vaſi iterum immittatur, brevi cruſta calculoſa fundus obducetur, indies accedente novo urinæ commeatu incrementa captura. Eleganti ſermone, ut ſolet, hanc rem exponit inſignis BOERHAAVIUS: (a) *Horreſcens vidi*, inquit: *lagenam puriſſimam vitream replevi ſanorum recenti lotio, occluſam repoſui. Urinam eam putrefactam exemi ad deſtillationem, erat cruſta calculi interius undique obducta. Non ablutam replevi nova urina, repoſui, exemi. Hæc cum repetiviſſem aliquoties, tandem vidi incruſtatam interiorem lagenæ ſuperficiem penitus materie calculi.* Quam vani ergo ſunt, qui neſcio qualem ſupponunt matricem calculi, ex hoc vel illo genere eſculentorum aut potulentorum enaſcentem, ex hoc vel illo genere particularum acidarum, terreſtrium, tartarearum, glutinoſarum, in ſanguinis ſeroque oceano oberrantium; Quum tamen nemo hominum careat calculi materie, ſed eam omnes quotidie gerant in ſuo lotio, quacunque demum

(z) in Chym. Tom. I. p. m. 613. (a) in Chemia Tom. II. p. 283.

mum diæta utantur. Vix crediδiſſem antea,hanc veritatem ſimplicem certe, ſed magni nihilominus momenti, jam agnoviſſe & acriter inculcaſſe HELMONTIUM, qui mihi eapropter laudandus eſt. Sane legens ejus opera, talia inveni, quæ in ruborem conjicere debent Neotericorum plurimos, de calculoſa materie verba facientes, quæ non niſi in cerebellis ipſorum hoſpitatur. Attendite quæſo lectores mei, & miremini mecum HELMONTII ſapientiam in hiſce! *In lotio humano*, aperte ſcribit, *ſanorum etiam, ſemper eſt proxima materia inviſibilis & ſemen ad Duelech* (ita nempe Paracelſus calculum nominare conſueverat) *ſive eruperit Duelech in actum, quantiſper penes nos urina moratur, ſive poſtquam extra nos fluxerit.* (*b*) *Unusquisque homo potentialem in urina calculum habet, at ſolum is miſer eſt, cujus in urina latens petrificandi poteſtas in actum intra pellem ſuam explicatur.* (*c*) *Neque enim externe allati tartari interioris filii mucaginis in ſui nativitatem Duelech indiget; fictisque arefactionis coagulis, calamitoſius eſt longe, quod ipſum calculi Vulcanum nobiscum in lotio geramus.* (*d*) Quid dici Helmontius potuiſſet convenientius, veriusque de calculo?

III. Quiete ſola ex materie calculoſa in quocunque lotio reperiunda, concreſcit efformaturque calculus.

Calculus non oritur a coagulatione ſalis volatilis urinoſi cum ſale acido viſcoſo; ſed particulæ urinæ terreſtres & duræ calculo cauſam præbent, optime dixit PITCARNIUS. (*e*) Nulla certe materia coagulante ac cogente terreſtres particulas opus, ut naſcatur calculus, licet eam adeo anxie tot Medici quæſiverint, finxerintque ſæpius; ſed ſi ſaltem ad quietem vergant, libertatemque ſibi invicem adhæreſcendi adipiſcantur oberrantes in omni puncto lotii calculoſæ moleculæ, ſtatim in generis humani perniciem infelix fœtus excluditur. Videlicet ſi in vitro aſſervatum, ſtagnansque lotium limpidum antea, pellucidum, fluidiſſimum ſola ſuarum cohæſione particularum tandem generat corpus durum, denſum, ſolidum, opacum, quid eveniet, ubi idem illud lotium in ciſterna renali, in

 illo

(*b*) de lithiaſi cap. V. p. m. 29. (*c*) Oper. p. 429. in tract. alimenta ♀i inſontia. (*d*) de lithiaſi c. 4. Oper. part. III. p. 26. (*e*) in element. Medicinæ brevi conſpectu propoſitione 29.

illo urinali vivo, & matula microcoſmica ſtagnaverit atque quieverit? Nonne eadem prorſus neceſſitate generabitur tunc calculus in penetralibus corporis? Nil video quod impediat, quo minus ita lithogeneſis ſuccedat. At væ illi! cui ſemel ſtabile ſedet in renum ſiphunculo aliquo terreſtre lotii corpuſculum ſine mora ipſi adhæreſcet alterum, accedent ſenſim, arctiſſimumque connubium nectent plura, atque ita, non ſecus ac in dolio ex vino meraco ſuccreſcit tartarus, dirum monſtrum calculi generabitur. Immiſit inflicto Vulnere cl. ANT. NUCKIUS (*f*) in veſicam animalis vivi globulum ligneum, vulnusque conſolidavit. Exemit eum elapſo aliquo temporis ſpatio, totumque incruſtatum vidit calculoſa materie. Sed quid mirum? Quieverat inibi immiſſus globulus, morasque nectenti eadem ratione accreverat ſabuloſa lotii materies, ac bacillis certis liquoribus immiſſis adhæreſcit cryſtallorum forma ſacharum candum, vitriolum, viride æris cryſtallinum &c. modo illi in decenti reponantur quiete, ut recte animadvertit WEDELIUS. (*g*)

IV. Calculorum igitur generatio in corpore humano ſaltem ſupponit eam renum conditionem, quæ quietem concedat elementis calculoſis cum ſanguine advectis & in urina ſecreta reperiundis.

Certiſſimum omnino habetur, hoc monentum, licet non ex merito ubique æſtimatum, eſſe nihilominus in omni lithogeneſi præcipuum. Plurimum materiæ calcariæ fovent in ſinu ſuo vina Jenenſia, neque tamen incolas adeo laborare calculo per experientiam conſtat, quod egregie etiam annotavit cl. HOFFM. (*h*) Coquitur in tractu Lüneburgenſi cerevifia, vulgo Duchſtein, ex aquis materia tophacea ditiſſimis, quam, cum Lipſiæ ſtudiis darem operam, adeo non paucis Muſis *Zythophilis* in deliciis fuiſſe expertus ſum, ut impigris hauſtibus quotidie ingurgitata omnibus corporis viſceribus incruſtandis ſuffeciſſet; neminem tamen ex hoc cœtu gulæ laſcivientis delicta calculi doloribus luere debuiſſe comperi. Imo vero (verbis utor illuſtr. BOERHAAVII) (*i*) inveniuntur aquæ, quæ Gorgonis inſtar virtute petrifica donantur, ut in caverna petrifica

(*f*) adenogr. p. 78. ſeqq. (*g*) diſſ. de mechanica calculi p. 10. (*h*) diſſert. de obſerv. circa calculum §. 5. (*i*) in chemia Tom. I. p. 508.

ſica Burgundiaca, quæ milliari circiter diſtat de Quingeu, in qua aqua deſtillans petreſcit in ſtatuas quarumcunque figurarum, (*k*) *Vide diarium eruditorum 1688. p. 432.* Quod tamen mirabile imprimis quis cenſeat, ipſæ hæ aquæ petrificæ tamen calculos haud generant ſuis potatoribus. *Vid. Reg. Acad. ſcient. 91. 92.* Quam egregie eapropter ex his conſpicitur, ſi vel maxime onerentur humores noſtri liquidis, tartareis, lapidoſisque particulis refertiſſimis; ne tantillum inde juvaminis accedere calculorum generationi. Cum autem vera calculi materies lateat in urina, & in urina omnium hominum, omnes tamen homines non laborant calculo, nil reſtat, quod ejus geneſi favere queat, præter definitam aliquam diſpoſitionem renum, illius hominis, in cujus corpore lapidicina illa microcoſmica exoritur.

V. Renum diſpoſitio quieti urinæ, adeoque calculi generationi favens, conſiſtit in tubulorum Bellianorum vel laxitate nimia, quæ aut nativa eſt, aut adſcititia; vel in continuitatis eorundem ſolutione. Paucis dicam renum vel atonia, vel læſa ſubſtantia omne abſolvit punctum lithogeneſeos.

Scilicet ſive laxa & atonica fuerint vaſcula renalia, ſive in ſua continuitate ſoluta, erit ſtatim circulus ſeri urinarii per ſua vaſa præpeditus, iterque ipſius liberum interruptum. Quo magis vero illud in aliquibus forte tubulis vergit ad quietem, eo magis ponitur id, quod præcipuum eſſe in calculi generatione modo probavi. Non poſſum non quin meæ quam foveo ſententiæ amiciſſima verba cl. GMELINI ex litteris ipſius Petropoli Norimbergam ad celeb. TREWIUM transmiſſis, atque Commercio litter. Norimb. inſertis, Anno 1733. hebdom. 9. mihi cum voluptate lecta hic adſcribam: *Cauſſa calculi vel in atonia tubulorum Bellianorum quærenda, eaque aut nativa aut cauſſis non naturalibus inducta, vel in omni eo quod tubulos nimium dilatare poteſt. Non enim inducor, ut credam, terreſtres particulas, quam diu in vaſis ſanguineis motu cordis circumagitantur, vel ullum corpori noſtro incommodum afferre poſſe. Si vero in minora vaſa vel in*

(*k*) Incidit hic in mentem, quod Ovidius dicit de ciconibus:
Flumen habent cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod totis inducit marmora rebus.

in receptacula usque penetrant, motus ibi fluidorum languidus efficit, ut præcipites dentur. Materiem ſcilicet calculi in omnibus præſto eſſe hominibus nullus dubito, ſi vero vaſa ad id diſpoſita non ſunt, calculus nunquam generabitur. Atque certe ipſa hæreditaria diſpoſitio, adeo multum faciens ad calculorum geneſin, non niſi in laxa renum viſceris compage ponenda eſt. Putarem interim raro ſolam peccare renum laxitatem, ſæpius ſubeſſe læſionem ipſius ſubſtantiæ & quidem ulceroſam, a ſanguine copioſius advecto obſtruente vaſa renalia, eorumque tandem continuitatem ſolvente, profectam, quæ vel ex eo opinor conjicienda eſt, quod utplurimum calculi geneſin præcedat mictus cruentus aut inflammatoria renum diatheſis. Scripſit alicubi celeb. STAHLIUS: *verum calculum renum nunquam naſci, niſi ex illorum exulceratione quantumcunque etiam leviori.* (*l*) Favet quoque huic theoriæ cl. HOFFMANNUS, (*m*) a vehemente ſanguinis appulſu vaſa urinaria infarciente, diſtendente, rumpente, atque ita ulcuſcula generante, in quorum alveolis tum ſerum urinarium ſubſiſtens facile terreſtres ſuas moleculas deponat in ſabulum & calculos concreturas, omne hoc negotium deducens: quamvis & fieri poſſe agnoſcat, ut citra præviam ſubſtantiæ renalis læſionem in pelvi vel majoribus renum ſiphunculis ex urina ſtagnante inſignis etiam molis lapilli ſenſim excludantur. Satis quoque, opinor, loquitur frequens experientia, plethoram ſanguinisque evacuationes ſolemnes menſium, hæmorrhoidum, ſuppreſſas, phlebotomen conſuetam intermiſſam, vini potum copioſiorem, vecturam, equitationem, venerem, remedia calidiora in plethoricis, facillime rudimenta ponere futuro calculo. Hæc quippe omnia ſanguinem ad renum vaſa determinant, urgentque, hinc ſtagnatio, obſtructio, inflammatio, hacque non reſoluta ſuppuratio, continuitatis ſolutio, ulcus, urinæ in ejus cavitatem fuſæ mora, quies, ſicque calculus.

§. 4.

Argumentorum §. 2. exhibitorum confutatio.

Atque hæc de generatione calculi prolata ſunto, cujus argumenti deductio, ut modo exhibita eſt, quum plana ſit & facilis, atque veritate ſua ſeſe maxime commendet, filum rectiſſimum ſuppeditat,

(*l*) diſſert. de lithogeneſi p. 24. (*m*) Med. Syſt. Tom. V. p. 365. 366.

tat, quo duce feliciter jam nos extricare poterimus ex horrido illo opinionum labyrintho, in quem nos detruſerat §. hujus capitis. Ne verbulum quidem amplius adjicere animus eſt, de ſignatura, qua ſuam vim medicinalem lapides quosdam, aliaque terreſtria concrementa denotare nonnullis viſum eſt. Dolendum interim, tam inſignem, modernoque tempore mirum quantum adhuc vigentem pulverulentorum terreorum, ipſorumque lapidum cancrorum confidenter pro antinephriticis habitorum, & hoc fine centenis vicibus præſcriptorum, uſum, ſoli huic traditioni deberi, ſi rigidum examen inſtituatur. *Certe*, inquit, cl. SCHULTZIUS, (*n*) *lithontripticam lapidum cancrorum virtutem valde vereor inniti perſuaſioni iſti, quæ ex ſignatura rerum vires æſtimare & cognoſcere ſperat, quæ tamen tota res forte plura argumenta, quibus confutetur, habet, quam quibus confirmari posſit.* Non opus eſſe credo, ut veram comminutionem jam nati calculi, a terreſtribus remediis expectandam, inter fabellas medicinales reponendam eſſe, comprobem. Sicca ſcilicet & pulverulenta omnia lapides cancr. medulla lapidum ſtratorum & & pyritum &c. ſpecifica vi lithontriptica pollere, calculumque jam factum diſſolvere debere, neque rationi, nec experimentis reſpondere, ac prodigio proximum eſſe, cum cl. PECHLINO (*o*) atque *Autoribus Hiſt. Morb. Vr.* (*p*) ſatis certi credent Medici omnes ab ineptiis & ſuperſtitionibus artem deturpantibus alieni. Sane ſi jam in rerum natura datur remedium calculum vere atterens, de cujus exiſtentia adhuc valde dubitant Medici; aut ſi poſteritati eam reſervaverit felicitatem, miſertus tormentorum nephriticorum benigniſſimus DEVS, ut tale inveniat; id longe aliud fore, quam ſimpliciter terreſtre calculoſorum concrementorum, conſideratio palam opinor eloquitur. Tandem quoque me non detinebunt diureticæ & antiſpasmodicæ virtutes pulveribus antinephriticis terreis affixæ, quid enim de iis cenſendum ſit, in ſuperioribus ſatis excuſſi, ubi de hac materie ex inſtituto verba feci. At vero aliquam peculiarem animadverſionem meretur omnino ingenioſa doctisſimi HEUCHERI ſententia de antinephritica virtute terreorum, adſtringente potentia ſeſe exerente, quam in eleganti *diſſert. de calculo*

(*n*) diſſert. de cancrorum uſu medico §. 17. (*o*) p. 29. in obſerv. (*p*) Ao. 1699. p. 194.

per adſtringentia pellendo inter alia proponit. Cujus eximii viri mentem, ut rite capiamus, en propria ipſius verba apprime huc facientia: *Tunc noſtro quidem judicio, inquit, excluditur miſero ex corpore calculus, ſi illi quidem canales, quibus vel arenulæ vel lapilli vel calculi continentur, in id nituntur, ut contractione ſua de loco in locum calculum provolvant, eo fere modo, quo provolvi ope motus inteſtinorum periſtaltici feces quamvis duriſſimas, aut ex ovario excludi ovulum exprimique judicamus. Quamdiu itaque canalium horum fibris elaſticitas ſua conſtat, ipſique canales robore ſuo atque tono gaudent juſto, tamdiu vix ac ne vix quidem opus videtur eſſe remediis calculi propulſationem efficientibus. Tunc enim naturalis illa meatuum conditio, quam naturam vocant, pellendo calculo ad tranſitum idoneo ſatis accommodata exiſtimatur. At enim ſi quando labefactatum hocce canalium fuerit robur, hicque niſus, ibi tum de tempeſtivo auxilio, deque ope naturæ laboranti ferenda cogitandum.* (q) His ita expoſitis & fuſius illuſtratis, id in ſequentibus agit Illuſtr. Heucherus, ut varia autorum teſtimonia, varia adſtringentia calculum pellendi fine collaudantium, in medium producat, ſuamque ita ſententiam ulterius ſtabiliat. At paulo ante nempe diſſertationis §. 17 terrea quædam jam recenſuerat, quæ conſentientibus Medicis omnibus, calculum propellere dicuntur, corallia, lapidem lyncis &c eaque non niſi adſtringendo id munus perficere poſſe affirmaverat. De his itaque tanti Viri placitis nunc pauliſper diſpiciendum. Illud primo certum eſt, ſi in ægro quocunque adfuerint phœnomena, quæ calculum hærere in viis urinariis edocent, naſci ſtatim indicationem de eo expellendo. Jam vero hæc expulſio, ut rectiſſime Heucherus urget, non poteſt concipi, ſine cauſa pellente, hanc vero ipſam actionem canalium, quibus inhæret calculus, exiſtere monet, ac, niſi agant fibræ canalium, calculum ipſum non expulſum iri, ratiocinatur. Neque ego hæc aſſerta confutare audeo, quum certum ſit, mille calculos vi vitæ atque adeo hac actione canalium excludi, quæ ſine contractionibus ſtricturisque fibrarum neutiquam concipitur. At enim vero non minus illud etiam certum eſt, quando ſtricturæ illæ, contractionesque canalium fuerint nimiæ, eas ipſas maximum impe-

(q) diſſert. de calculo per adſtringentia pellendo §. 19.

impedimentum procreaturas excernendo calculo, ſolasque ſæpiſſime in culpa eſſe, quod calculus nec excernatur, nec excerni poſſit, quum vias illas coarctent occludantque, quas omnino patulas ſupponit libere egreſſurus calculus. Scilicet, quemadmodum urina æque plenarie retineri poteſt, ſi ſpaſmo vehementi laborent renes cum annexis partibus, ac retinetur, ubi illæ partes paralyſi afficiuntur; ita etiam duplex conditio viarum poſſibilis, quæ calculum retineat, ejusque progreſſum exitumque moretur, atonia nempe earum & ſpasmus. In caſu atoniæ remedia fore ea omnia, quæ faciunt, ut canalium fibræ laxæ nimis ſeſe contrahant, ſtringantque, ergo adſtringentia, lubens largior credoque; at ſpaſmo præſente talia profutura nego, illaque ſola indicari convictus ſum, quæ adſtringentibus mala hic certo exaſperaturis e diametro ſunt contraria, relaxantia nimirum. Quadrat huc id ſimile perquam eleganter, quod habet BOERHAAVIUS: Nimirum, *ſi aliquis teneat in manu globum ferreum cum aculeis, an aliquis eum expellet, hanc manum conſtringendo? Vix hoc credibile eſt. An vero expelletur globus, ſi manus illa relaxetur, & quaſi paralytica reddatur, ſane, ſi quid video, omnino!* At talis globus aculeatus eſt calculus omnis aſperior, qui attingere nequit ſenſibiles illos ureteres, quin ſtatim illorum nerveæ fibræ irritentur, irritatæ, quoad vita ſupereſt, ſeſe contrahant, contractæ vero diametrum canalis coarctent. Cumque hæ nervorum conditiones involvant ideam doloris, ratio ſatis liquet, cur vix unquam æger laboret ex calculo ſine doloribus, a levioribus per gradus ad graviores & ad infandos usque ſæpe adſcendentibus; cum rectiſſime, ita aſſerente LISTERO, in renum pelvi aut ureteribus nulla arenula majuſcula vel momento conſiſtere poſſit ſine vehementi dolore, non magis quam in aſpera arteria, vel minima panis mica ſine graviori tuſſi. Quis vero Medicorum nunc facile dixerit, eo tempore, quando dolorum præſentia certiſſimum teſtimonium præſentium ſtricturarum præbet, quas tum canales, per quos calculo decurrendum eſt, experiuntur, indicari adſtringentia? imo vero cum, teſte experientia, doloribus exquiſitis perdurantibus nunquam calculus excernatur, quis tum opinabitur, adſtringentia, inductis ſtricturis ſalutaribus morbidas ſtricturas ſuperaturis, adjutura fore egreſſum

 cal-

calculi. Sane nemo facile ita ſentiet, ſed quilibet rerum gnarus credet, illa ſola tum prudenter vocari poſſe in uſum, quæ quacunque ratione ſtricturas componunt & placant, viasque relaxant, humectantque. Docet autem frequens experientia, his dextre adhibitis ſæpiſſime ſponte excludi calculum, ſine ullis conſtrictionibus fibrarum per remedia inductis. Sique aliquis ex me quærat, quæ tamen tum adſit cauſa pellens, facile ſtatim reſponſum feret, varia præſto eſſe poſſe, quæ hujus vices ſuſtineant. Vix eo usque aberit omnis actio contractilis, ſi vel ſumma relaxantia fuerint adhibita, a canalibus, ut ſæviſſimo gradu ſuperſtes non nitatur aliquantiſper in impactum calculum. Fac vero ſupereſſe nullam, ſi modo ſtricturis compoſitis ſatis patulas reddidiſti vias, ut earum diameter molem calculi excedat, jube ſaltem, ut æger ambulet, curru vehatur, aut alia ratione blande corpus moveat, exhibe illi potum aqueum, huncque ad renes determina, quantum poſſibile, nonne putas motum corporis concuſſione, potumque ad vias, quibus inhæret calculus, appellentem ſuo flumine, ſua gravitate cauſæ pellentis munus valere exequi? nonne putas vomitum morbi ſymptoma ſæpiſſime illius vices ſuſtinere, ſi per conditiones & calculi & viarum liceat, ut is protrudatur & propellatur? Semper vero ſuſpecta adſtringentia quævis, ſemper metuendum, ne canales conſtringendo obſtaculum injiciant calculo, qui aliter forte ſponte erat egreſſurus. Ego quidem, ſi accuratiſſime determinare deberem, quando locum haberent ad pellendum calculum adſtringentia, tum ſaltem ea ex uſu futura exiſtimarem, quando nulli fere dolores adforent, atque quando probabile foret, canales fere ad paralyſin usque eſſe atonicos. Quo magis vero urgent dolores, eo magis ſemper noxia eſſe adſtringentia, conſtans affirmo. Quando autem rariſſime accidit, ut calculus hæreat impactus ſine doloribus ſatis exquiſitis, ultro opinor apparet, adſtringentium uſum in therapia calculi valde fore limitandum, & multo rarius admittendum quam relaxantium, præcipue cum de mole ipſius per ſigna, nil certi Medico vel ſagaciſſimo conſtet. Nam ſi illa ſit paulo grandior vel leviſſima adſtringentia erunt fugienda, & de ſola viarum relaxatione cogitandum, etiamſi canalium atonia adſtringentia indicaret. Sed cur hæc omnia disputo

puto tandem, ſit ita, non refragetur rationi uſus adſtringentium etiam frequens ad pellendum calculum, nonne autem ex horum remediorum familia illa erunt eligenda, de quibus præ reliquis probabile certumque eſt, quod facile citoque penetrent ad renes ureteresque laxos, nonne ita magis proderit elegiſſe remedium in liquida forma quam in ſicca, nonne decoctum fl. balauſtiorum, quod RIVERIUS calculum pellere ſcribit, nonne decoctum equiſeti HOFFMANNO ob adſtrictoriam energiam in calculo magnifactam, præſtabit coralliis, lapide lyncis, pulvere antinephritico terreo quocunque? Sane hæc ſicca omnia aut plane non pergere ad renes & ultra, neutiquamque attingere canales adſtringendos, quos non aliter niſi immediato contactu poſſunt adſtringere, ſed hærere in plicis ventriculi & inteſtinorum, aut, ſi lactea ingrediantur, diſpergi partim, partim ſtatim in ipſo itineris principio vaſis apprimi, vixque ad ſanguinem deferri, multo minus cum eo ad renes & ureteres, maxime ſi ad pauca grana præbeantur, adeoque nihil etiam emolumenti adferre poſſe, audacter puto aſſerere licebit. Novi viros quosdam clariſſimos eam ob cauſam abhorrere ab uſu terreſtrium lithontripticorum, quod illa ipſa novorum potius calculorum formationi materiem præbere credant, interque eos LISTERUM maximam operam dandam eſſe monere, ne quid metallicorum ex corallii lap. judaici, nitri veterum &c. ad imbecilles renes feratur, metum enim eſſe, ne coaleſcant in lapidem, cum ipſiſſimam lapidis materiam in ſe contineant. Nollem vero nimis inſontia terrea accuſare, quod noceant, ſufficiet eapropter ſaltem illa mereri neglectum perpetuum, quod nil juvent. Atque hæc ſunt, quæ, occaſione diſſertationis Heucherianæ lectiſſima eruditione conſcriptæ, ediſſerere debui, cui cogitata mea nullam vim inferre credo, neque dubito eandem prorſus ſententiam mecum fovere Auctorem præcellentiſſimum, cujus pace hæc omnia dicta cupio. Sequitur tandem, quod adhuc reſtat, acidum, cujus deſtructionem ſi non ad calculi jam nati medelam, ſaltem ad illius prophylaxin plurimum facere doctiſſimi quidam Medicorum aſſerunt; quia nempe ad ipſam calculi geneſin, elementorumque ipſius concretionem concurrere acidum ſupponunt. Probavi autem luculentiſſime in theſibus antecedentibus, in omni

urina latitare materiem calculi, quodſi ergo acidum concurrit ad formationem ipſius, id etiam latitet in urina, neceſſum eſt. Enim vero nullum unquam lotium ſive ſapore, ſive odore exploratum vel leviſſime acidum deprehenſum eſt, cum tamen hos judices ejus præſentia notis ſuis facillime detegenda vix effugiat. Nullum unquam lotium cum admiſto calcalino ſale quocunque effervefcere & ſtrepitus edere viſum fuit. Mira magis dicam, obſervationem BOERHAAVIANAM meam hic loci facturus: (*r*) Urina viri, copiam ingentem vini rhenani acidi ſatis, & cereviſiæ etiam aceſcentis cum ingenti copia aceti ad opſonia & fructuum horæorum comedentis, bibentisque, duodecim horis hoſpitata, in corpore nihil prorſus acidi ullo experimento dedit. Ecquis ergo in urina ulla admitteret acidum? Cum id vel maxima vi ingeſtum ſtatim vi circulantium humorum immutetur, ſuperetur que, ita, ut penitus exuat indolem ſuam naturalem. Quis in calculorum formatione acidum allegaret? cum in urina, ex qua tamen illi efformantur, ne minimum illius veſtigium animadvertatur, ipſaque vel ex ingeſtis potulentis aceſcentibus materiem ſuam acquirens, tamen alcalinæ corruptioni inveniatur quam proxima. Imo vero quis acidi hactenus fautor non ingenuo ſuffundetur pudore? quando experimento alio BOERHAAVIANO intellexerit, calculos quoque generari facillime ex urina putrefacta. (*s*) Removenda igitur ex arte ſincera omnia, quæ a præclariſſimis cœteroquin viris usque tradita ſunt de acido juvante generationem calculi, quam alcalica potius juvant, ut eleganter accuratiſſimus utique animadvertit BOERHAAVIUS. (*t*) Atque quo jure dici poſſet, acidum diſponere ad lithogeneſin, ingredique ramenta effingendi calculi, quando certiſſimum eſt, ſi ſolutio & attritio jam nati calculi eſſet poſſibilis, illam non ab alia re magis quam ab acidis ſperari poſſe. Id certe docet ſana Chemia, abſolute terreſtria corpora fere omnia, ex mineralibus animalibusque his vel illis acidis primo eroſa, in minutas adeo moleculas deinde aqua affuſa ſolvi poſſe, ut aqua ſæpe maneat pelluciddiſſima, atque in eadem hærentes nihilominus moleculæ terreſtres omnem viſum effugiant. Quis ita non crederet, in elementa ſua ſim-

(*r*) in Chym. Tom. II. p 265. (*s*) vid. Chym. Tom. II. p. 281. (*t*) l. c. Tom. II. p. 285.

ſimpliciſſima reſolutum diſcerptumque fuiſſe ab acido, cui immerſum erat concretum aliquid terreſtre? Factum etiam eapropter eſt, ut viri in arte præclari ruminantes ſerio illa omnia, quæ de lithontripticis tradita leguntur a Semi-Medicis, nugasque innumerabiles ab iis, quæ aliquam poſſibilitatis ac probabilitatis ſpeciem junctam habent caute ſegregantes, in eo fere conſenſerint, calculi ſemel geniti ſolutionem vix aliunde obtineri poſſe quam ab acido quodam, hoc vero dolendum eſſe, nimis illud ſæpe inſecurum haberi, quam quod ingeri in corpus, ferrique facile a viſcerum molli ſenſibilique compage valeat. *Quis duratum bene calculum, inque cruſtulatas ſuperficies ordine compactum*, inquit, cl. PECHLINUS (*u*) *alio quam corroſivo medicamine, eoque acido, aut mechanica ratione ſolvi poſſe credat? Præter acida quidem nullus hactenus repertus eſt liquor, qui texturam alcalini concreti diruere ex æquo poſſit.* Illa autem ſolutio calculi, etſi ab omnibus ſine diſcrimine acidis etiam corroſivis non æque expectanda eſt, ſiquidem obſervante HOFFMANNO, (*x*) nec ſpiritu vitrioli, nec ſpiritu ſalis præſtari potuit, tamen per ipſius experimentum a ſpiritu nitri acido, ſeu aqua forti integris calculis affuſa, cum intenſa effervescentia plenaria eorum ſolutio fuit ſecuta. Atque hic nitri ſpiritus famoſum jam olim fuit SYLVII lithontripticum, ipſeque, inter ea, quæ calculos queunt ſolvere, primum locum tribuit ſpiritui nitri, (*y*) cum in ipſo tam facile & tam manifeſte ii diſſolvantur & diffringantur, huncque potui ordinario cereviſiæ, vino, juſculis, ad levem aciditatem admiſceri, ac ſic diutius uſurpari jubet, effectumque egregium omnes miraturos clamat. Fuere deinde, qui easdem vires extendere ad ſpiritum nitri dulcem GLAUBERIANUM auſi ſunt. (*z*) Ipſeque Doctiſſimus PECHLINUS (*a*) juſtus vulgatorum trivialium lithontripticorum oſor, ſi reſolvi forte iis adhibitis calculus renum aut veſicæ viſus eſt, a comitante aquarum diluvio id factum eſſe, ſibi perſuadet, cui ſi acidiuſculi ſpiritus aut ſucci citri ſpicula quædam adhuc in illo corporis ambitu incolumia innataverint, facilius tum calculorum per puncta nexum divelli potuiſſe opinatur. En ergo ſolutionem cal-

(*u*) libr. I. obſ. 13. (*x*) Obſ chym. lib. II. obſ. 5 (*y*) Oper. p. 330. §. 91-92. (*z*) Confer Bœrh. Chym. Tom. II. p 345. (*a*) Lib. I. obſ. 13.

calculi acidis tributam a Viris in arte principibus, de quibus, ubi jam verba facio, non poſſum non unum inſtar omnium adhuc commemorare, doctiſſimum Schultzium, qui paucis abhinc annis, problema, an dentur remedia calculum in veſica etiam comminuentia, in partem affirmativam reſolvere, diſſertatione Halæ habita, conatus eſt. Sit remedium ab eo propoſitum ulteriori experientiæ commendatiſſimum, mihi hic annotaſſe ſufficit, Schultzium, non minus ac alios ab acido remedio ſperari maxime poſſe comminutionem calculi, operoſius adſtruere laboraſſe, oleo nimirum chalcanthi. Hæc omnia autem uno quaſi obtutu jam a nobis conſideranda, neſcio qui conciliari queant cum vulgari illa traditione, antacida abſorbentia atque terreſtria commemorata, adeo ad curam prophylaxinque calculi valere. Si enim acidum ad conſtruendum calculum neutiquam concurrit, veraque lithontriptica, ſi dantur, ex acidorum familia petenda ſunt, non capio certe, quomodo antacida abſorbentia calculi geneſin caveant, aut boni aliquid in curatione ejus præſtare queant. Pudeat eapropter Medicos lapidoſos & terreos pulveres ſerio venditare pro antinephriticis remediis. Pudeat illos gratis provocare ad experientiam, aut ſi provocare ad eam haud erubuerint, ſcripta ſibi putent velim, quæ habet Helmontius, quando, poſt taxata varia ſcholarum remedia, contra calculum ita loquitur: *Junxere dein lapides cancrorum, limacum, piſcium, conchyliorum quoque crematas teſtas, imo tritas in aurichalco gemmas duriſſimas. Tandem ignitum, extinctum, tritumque cryſtallum propinarunt ludicro invento atque eventu. Quodſi interim ſua ſponte calculus e rene præceps ruat, eheu! quanti tum fiunt exhibita ſaxifraga! mentiunturque audaculi, pulveres renibus non ſecus atque mancipiis imperare & lapides conterere quaſi ſub malleo.* (*b*) Sane crediderim ego, vel ad ſtuporem usque immerſum præjudiciis inanibus de pulveris antinephritici Volckhammeriani aliorumque ejuscemodi remediorum energia Medicum facile inde ſeſe extricare poſſe, ſi modo curatius ad omnia attendat, quæ accidunt ægro talia uſurpanti. Rejicit calculos deglutitos pro calculo pellendo juſtiſſime cl. Ludovici, (*c*) atque

(*b*) de lithiaſi c. 7. (*c*) pag. 226. in Pharmacia

atque lapidem nephriticum plus vice ſimplici ſe tentaviſſe ait, at fruſtra plerumque vel circumſtantiis effectus cauſam dubiam reddentibus. (*d*) Fallor autem maxime aut eadem ad unum omnium terreorum antinephriticorum ſors eſt, nil profuturorum certe, niſi vel vitæ vis juvamen ægro præſtet, vel alia ſimul uſurpata, ſimplexque etiam calidæ aquæ potus fatuæ mortuæque terræ energiam aliquam largiatur. Atque ne quidem pulverem antinephriticum ipſius LUDOVICI hic excipiendum duco, quem ex lap. cancr. & pauxillo pulveris anodyni autor componit. Fruſtranei certe ſunt, quicquid tandem dicatur, cancrorum lapides, æque ac lapis nephriticus, quem merito is rejecit, unique anodyno omnis virtus antinephritica, ſi obſervetur ab uſu, tribui debet. Ita miſere & alios & ſe ipſos interdum fallunt Medici, ii etiam, qui fauſto ſidere a communibus errantium deviis jam deflectunt ad regiam veritatis viam.

§. 5.

Ita & antinephriticorum terreſtrium examini ſatisfactum eſt, nolo interim hanc materiam penitus deſerere, priusquam genuinam & prudentem nephritidis prophylaxin, curationemque paucis adumbravero. Quando igitur ex antecedentibus apparuit, in omni urina latitantem materiem calculo generando idoneam, tum demum vere concreſcere in arenulas, calculosque, quando renum tubuli vitio laborant, circulusque & ſanguinis & lotii per eosdem non rite ſuccedit, facile ſequitur, rationalem calculi prophylaxin niti momentis ſequentibus. **Prophylaxis calculi rationalis.**

1. Ut omnes renales tubuli ſint ſatis aperti, humoresque per eosdem vehendi ſatis fluidi, blandique.
2. Ut villi vaſorum renalium ſint ſatis fortes, ſuoque debito pollentes elatere, quo fluida omnia decenter propellantur, eorundemque quies, adeo hic noxia, impediatur.
3. Ut vaſa renalia omnia totam viſceris ſubſtantiam conficientia ſint integra & ſalva, præcaveanturque cauſæ ſoluturæ eorum continuitatem maxime, vehemens nimis ſanguinis appulſus, ejusque ſtagnationes phlogiſticæ.

(*d*) pag. 240. ibid.

Quod *primum momentum* attinet, ſane vel ſolus aquæ ſimplicis potus ſummum meretur laudari remedium, ad arcendam lithogeneſin animalem. Raro hydropotam fieri arthriticum aut calculoſum, vetus clamat dicterium; graphiceque inculcat GUALTERUS HARRIS, (e) nullum ſub ſole dari remedium pulchrius, ad præcavendum calculum, quam hauſtum aquæ ſimplicis frigidæ mane & veſperi epotum. Neque reticendum eſt infuſum fol. Thee aut decocta ex radicibus blando mucilaginoſo principio pollentibus parata, interque ea famoſum adeo decoctum antenephriticum Foreſti, porro aliarum plantarum noſtratium ſacharo vel melle edulcoratarum infuſa; lac dilutum, lac ebutyratum, ſerum lactis, aquas Selteranas cum lacte miſtas, gaudere viribus prorſus egregiis, quibus ſuos potatores ab incurſu morbi calculoſi immunes liberosque præſtent.

Ad *ſecundum momentum*, quantum faciat aqua ſimplex frigida non ſaltem diluens, attenuans, eluens humores craſſos, ſed ſimul renalia vaſa, ſi laxata fuerint, roborans, vix dici poteſt, cui ſi ſubſtituere lubet aquas ſoterias blando martiali elemento refertas, deſideratiſſimam inde opem ſperare licebit. Quin & decocta herbarum ſubadſtringentium & vulnerariarum, ut vocant, hoc fine prudenter juſtoque tempore exhibita pulcherrime proderunt.

Ad *tertium ſcopum* impetrandum præter citatorum diluentium, itemque ſubacidorum ac nitroſorum uſum nil magis conducit VS. Eaque propter ſapienter cl. HOFFMANNUS: *Non ego*, inquit, *melius novi in plethoricis renum paſſionibus obnoxiis præſervativum quam VS. tempeſtive & cum judicio inſtitutam.* (f) Hæc ſola quam belle proſit fœminis, quibus menſium fluxus pro ætatis ratione ulterius prodire negat, interim nihilominus plethoricis, ad arcenda, quæ tum ordinarie fere ingruunt, nephritica pathemata, norunt attenti Practici. Porro quantum tempeſtive ano admotæ hirudines proſint, ad arcendam regurgitationem ſtagnantis, vaſisque renalibus incumbentis ſanguinis hæmorrhoidalis, præcavendamque ita lithogeneſin, uberrime dictorum Medicorum obſervationes docent, ipſeque jam edixit HIPPOCRATES Pater, fluxum hæmorrhoidum a calu-

(e) diſſ. med. Chym. no. IV. (f) Med. Syſt. Tom. V. p. 476.

calculo præſervare. Monendi autem præterea ſunt omnes, qui in ſuo corpore aliquam gerere diſpoſitionem ad calculum judicantur a Medico, ne ſua culpa ad renes determinent majorem ſanguinis copiam, quam quæ ferri ſine noxa valet ab eorum vaſis, ut nempe ſedulo ſibi caveant ab intermiſſione VS., potu ſpirituoſo, equitatione, vectura, venere nimia, aliisque, de quibus ſupra jam egimus. Atque hæc omnia, ut per ſe clarum eſt, pertinent ad cavendum nimium ſanguinis verſus renum appulſum, tantopere minutiſſimorum vaſculorum dilacerationes minitantem; ſed ſuperſunt adhuc ſtagnationes phlogiſticæ, quæ ſummam omnino attentionem promerentur. Videlicet plerique mortalium non forent obnoxii calculoſis cruciatubus, niſi ſemel antea perpeſſi fuiſſent nephritidem ſimpliciter inflammatoriam, niſi ſiniſtre tunc tractati fuiſſent, hæc ergo quoties Medico curanda obvenit, omni cura id debet agere, ut non officioſe noceat, ſed in futurum etiam ægro ſuo proſit, de hac re igitur, ut aliqua exponam, argumenti, quod tracto, ratio jubet. Diſtinguunt arti noſtræ addicti, multaque loquuntur de nephritide modo ſimplici, modo calculoſa, & non ſine fundamento, quando per nephritidem ſimplicem inflammationem renum, a cauſſa quacunque valente ſtaſin ſanguinis in ipſorum tubulis excludere, ſine præſentia impacti calculi alicujus enatam, indigitant, per calculoſam autem nephritidem inflammationem renum ureterumque a calculo irritante premente perfectam intelligunt. Nobis jam ſaltem res eſt cum nephritide ſimplici, quæ toties prima cauſſa eſt futurorum per omnem vitam pathematum calculoſorum. Ponamus ergo hominem plethoricum illibata adhuc gaudentem valetudine, gerentemque ſalvos & ab omni vitio immunes ſuos renes, tinctum largiori generoſioris meri copia, equitaſſe diutius, tumque lumbos ſuos frigori incautius expoſuiſſe, aut quacunque alia ratione effeciſſe, ut commotus ſanguis, atque ad renes determinatus ſtagnet in eorum tubulis, incarceratus, inflammationemque ibi excludat. Quid inde? Sane miſer hic homo, hactenus ſaniſſimus, ſummo nihilominus verſatur in periculo, ne ægrotet per omne quod ſupereſt vitæ ſpatium, ne vel Medicorum peritiſſimo, malum, quod ex morbo, levi ut videtur errore diætæ

contracto imminet, ſit immedicabile. Niſi ſcilicet ars adjuta virtute vitali intra trium dierum intervallum obtineat, ut ad grumum minutiſſimum usque ſanguis omnis renibus impactus fluere iterum incipiat, circulusque liber humorum plenarie reſtituatur, neque vel minutiſſimum vaſculum læſionem patiatur in ſua continuitate, valde metuendum eſt, ne prima elementa futuri calculi ponantur in ægri rene, illiusque genitura perpetua ibidem ſuccreſcat. Ergo nil prius agendum Medico, quam ut 1) ſtagnans ſanguis attenuetur, dividatur, ſolvatur quam citiſſime. 2) Ut vaſa inflammata laxentur, quo ſine rupturæ metu extenſioni melius cedant, patulaque magis reddita molem obſtruentem facilius transmittant. 3) Ut vis irruentis ſanguinis abſciſſura tandem tenerrima vaſcula debilitetur & revellatur. Præter has indicationes nulla prudenter explenda ſupereſt alia. Quæ autem obtinendis his finibus ſerviunt remedia, ſunt VS. potus tepidus, diluens, emolliens, emulſivus, antiphlogiſticus largiter hauſtus; nitrum, mel, opium prudenter datum, oleum amygdalinum, clyſmata, fomenta, linimenta, balnea, emollientia & laxantia, neque facile plura ſuperſunt Medico ſuperfluorum otioſorumque juſto contemtori. His ſolis quippe impetrabitur, ſi impetratu poſſibilis eſt, tam magnæ conſiderationis reſolutio nephritidis, unica via, qua immunis præſtari poteſt æger a lithogeneſi, aliter certo ſubſecutura. Ita ego quidem exhauſta crederem omnia, quæ ſervire poſſunt prophylaxi calculi, nec video quid aliud ſuperſit, quorſumque hic faciant pulveres terrei, plane non intelligo. Certum omnino eſt, ſi illud obtineat arte homo quivis hactenus immunis a calculo, ut renes ipſius ſint maneantque quoad omnes tubulos ſatis patuli, fortes ſatis, atque in ſua continuitate illæſi, per rerum naturam impoſſibile eſſe, ut generetur calculus, nec eſt ut de eo ulla naſcatur ſollicitudo. Pariter vero illud quoque certum eſt, ſi aliquod remedium nil faciat ad hos fines obtinendos, illud etiam ne tantillum boni præſtiturum fore ad præcavendam geneſin ipſius calculi. Quo jure ergo pulvis antinephriticus VOLCKHAMMERIANUS, quem ſupra ad therapiam morbi fruſtra commendari probavi, etiam ad prophylaxin, & quod mirandum, ſemel vel bis ſingulis hebdomadibus ad grana 4. 6. 8. laudari

poſſit

poſſit a Medicis doctiſſimis cœtera, ingenue ignoro. (*g*) Miror valde cl. PECHLINUM, qui ſtrenue adeo contra lithontriptica diſputat, licet is neget pulveres ſiccos, itemque lapides cancrorum, medullam lapidum ſtratorum & pyritum, calculum jam natum diſſolvere poſſe, profiteri tamen, ſe non invitum credere hæc talia immutare nonnihil fermentum renum calculoſum & prohibere ne lapis concreſcat. (*h*) Magis adhuc mirarer, illuſtr. HOFFMANNUM ad prophylactica remedia calculi retuliſſe lap. cancr. matrem perl. teſtas ovor. conchas &c. pulveremque famigeratiſſimum VOLCKHAMMERI, niſi virum eximium favere paulisper acido in hoc morbi genere probe ſcirem. Cur vero hic recedere cogar a placitis Præceptoris olim mei ad cineres colendi, in ſuperioribus commonſtravi. Omnia hæc pulverulenta, ſive pretioſa fuerint, ſive evporiſta, ſeverius examinata nil certe efficiunt ad impediendam lithogeneſin.

§. 6.

Hæc de prophylaxi calculi, ſequitur jam, quam breviſſimis conſiderabimus, illius therapia, quæ paroxyſmi tempore ſub dolorum præſentia ſibi potiſſimum locum ſuum vendicat. Quando igitur vel per nephritidem ſimplicem male terminatam, vel per præcedentem mictionem cruentam, vel per diſpoſitionem hæreditariam excluſa eſt ea rerum conditio, quæ calculo generando habetur idonea, hicque præſens commotusque e pelvis cavo ſuo irritamento, dolores inflammationemque, ſeu quod idem eſt nephritidem calculoſam pepererit, eadem fere vel modo allegatis ſimilia remedia uſurpanda venient. Nam *primo*, eo tum reſpiciendum erit, ut inflammationi obviam eatur. *Secundo*, viæ per quas tranſire debet calculus quam laxiſſimæ, & quaſi paralyticæ debebunt reddi; *Tertio* paratis probe viis, patulis iis redditis, blande is erit propellendus. *Priori* ergo *indicationi* ſervient poſt VS. potus multus diluens, antiphlogiſticus, mellitus, nitroſus, fomenta, clysmata, balnea; *Secundam* implebunt modo citata, maxime potus aquoſus tepidus, lubricans, oleoſus, &, quæ divina hic loci ſunt, remedia opiata. Ad *tertiam* quadrabunt diluentia largius hauſta, ut

Curatio calculi in Paroxyſmo.

(*g*) lib. 1. obſ. 13. (*h*) Med. Syſt. Tom. IV. Part. II. p. 372.

quaſi oborto diluvio renali iners calculi corpus eluatur, abripiaturque, in auxilium ſimul vocato corporis motu. Sane, ſi quid video, hæc palmaria ſunt calculoſæ nephritidis remedia, quid autem ad indicationes modo recenſitas faciet pulvis antinephriticus VOLCKHAMMERIANUS, cum omni terreorum farragine? nihil. Turpe eſt hiſce ineptiis illudere ægro, & fallere ſemetipſum. Si ullam talia laudem merentur, debebitur iis ex ſolo hoc capite, quod non noceant. Melius fateor agit innoxia exhibens quam diuretica, lithontriptica propellentia calidiora & acria propinans, a quibus nondum eheu! penitus abhorret vulgaris medendi methodus. Deberet interim animadverti curatius, calculum ſemel commotum ingredientemque ureteris arundinem, maxime ſi aſperior fuerit, irritando nerveas fibras, criſpationes ipſarum, coarctationemque viarum producere, ſibique ipſi ita præcludere progreſſum ad veſicam. Qui tunc decantatas illas tincturas antinephriticas acres, qui eſſentias ſpirituoſas, quia alia juniperina, ſuccinata, therebinthinata, balſamica reſinoſa quæcunque, lithontriptico vel propulſorio diureticove fine exhibet, næ! ille fallitur turpiſſime, quum hæc omnia non poſſint non majorem irritationem ſua acrimonia producere, ſtricturas & dolores intendere, inflammationem augere, calculi excretionem inhibere. Summum, quicquid demum haud experti objiciant, quod calculum pellit, remedium, opium eſt; Quamdiu enim dolores urgent, tam diu illi de ſtricturis viarum teſtantur, tam diu impoſſibile eſt, ut per canales occluſos calculus progrediatur, laxa vero illos, & ſpaſmos placa, erit iter egreſſuro illi ſtatim patulum liberumque, neque aliquid ejus deſcenſum ad veſicam morabitur. Optime hoc cognovit, qui mihi hac occaſione laudandus eſt, HELMONTIUS: *Quia*, inquit, *tranſeunte calculo ureter contractus præ dolore plerumque criſpatur, diuretica in paroxyſmo danda cum præcautione. Nimirum propinanda ſunt doloris & contracturæ inde natæ inhibitiva. Cujus ſolius puncti incuria vel inſcitia ſubinde contigit, calculos media ſtetiſſe via & miſerandis ejulatibus necaſſe.* (i) Cui inter alios ſuffragatus eſt SYLVIUS, (k) qui, ſi dolor urſerit vehemens, opiatis nunquam impeditam, ſed potius promotam

(i) de lithiaſi c. 5. Oper. p. 31. (k) p. 136. Operum.

motam vidit, cæterorum medicamentorum calculos expellentium vim & operationem, ut alios graviſſimæ autoritatis viros taceam.

CAPVT XVII.

Terreis antifebrilibus dicam ſcribit.

§. I.

PRogredior nunc ad febres, easdemque præcipue continuas, quibus vincendis ad hunc diem apta nata eſſe terreſtria reputantur pharmaca, modo diapnoicorum, modo bezoardicorum, modo temperantium nomine a Practicis exhiberi ſolita. Nulla certe ſecundum vulgarem medendi methodum febrientibus potio præſcribitur, nulla emulſio propinatur, quæ fœces terreſtres in fundo vitri haud deponeret, quod ſedulo concutiendum eſſe, antequam æger doſin ſtabilitam inde capiat, ut ſcilicet pretioſa illa ſaburra tempeſtive languentem ventriculum gravet, ſedulo medentes monent. Quin novi forte ad normam decocti albi Pharmacopœiæ Bateanæ non raro C. C. uſtum aquæ communi pro potu ordinario ſervienti largiter adjici, ut ſitiens torridusque æger limpido hauſtu melius ſine dubio recreandus, medicatum magis potum, ſi non ad ſuum, ſaltem ad receptæ praxeos palatum capiat. Plures hercle! reperias, qui pulveres pro febricitantibus nitroſos ſalinosque minus efficaces, minus perfectos habituri ſint, niſi ſimul ſecundum excellentiam dicta antifebrilia, id eſt diaphoretica & bezoardica fixa, dixerim lubentius abſorbentia & terreſtria fatua recipiant. Neque ſolus, credo, Petrus POTERIUS, ubi de febribus agit, de bezoardico minerali ſtatuit, quod in febribus non ſit ex infimis ſudorem movendo, perſpirabile corpus reddendo, ſitim extinguendo, ardores reprimendo, alvum lubricam reddendo & omnem humorum acrimoniam corrigendo. (*l*) Sed plures ejus fautores paſſim adhuc inveniri, inter omnes conſtat. Saltem in modernis diſpenſatoriis omnibus ſylva viſitur pulverum bezoardicorum, temperantiumque, qui omnes febrium continuarum ignibus reſtinguendis experientia

Terrea toto die febribus opponuntur a Practicis.

(*l*) p. 811.

tia etiam teſte pares prædicantur, pulcherrimisque elogiis inſtruuntur; licet decenter, ſigillatimque conſiderati, non niſi inanem confuſumque abſorbentium terreſtrium apparatum complectantur, nemoque prudens ullam compoſitionis ſeu confuſionis potius rationem, mente valeat aſſequi. In morbis non acutis ſaltem, ſed peracutis plane, pretioſum illum nullius pretii pulverem bezoardicum SENNERTI inſignem demonſtrare efficaciam, dictat diſpenſatorium Viennenſe. Et quid opus eſt, ut commemorem plura! Scatent fere omnes materiam medicam, viresque pharmacorum exponentes libri, recentiſſimo etiam ævo editi, traditionibus de terreorum, bezoardicorum, abſorbentium virtutibus antifebrilibus, ut nauſea fere ſurgat lectoribus, ſeverioresque eorum ſtudio fabulas & narratiunculas animi gratia compilatas eſſe credere poſſent. Si in Practicorum voluminibus illa capita, quæ de febribus acutis tractant, ſecundum ordinem percurrere juvat, bone DEVS! quot in iis extant pulverum formulæ, quæ omnes nitro forte ſolo, quod continent, excepto, nec unius aſſis pretium æquant. Quot viſuntur præſcriptæ potiones in aquarum deſtillatarum ſimplici fontana, ſæpe non meliorum vel longe inferiorum farragine enorme albicans terreum ſedimentum exhibentes, quod in ægrorum matulis, ſi tempore criſeos conſpiceretur, majorem omnino futuræ ſanitatis ſpem facere poterat. Urina ſcilicet ſecundum Hippocratem optima eſt, ſi candidum in ea ſedimentum fuerit per omne tempus, dum morbus judicatur. *(m)* Talis certe urina ſæpiſſime febres ſanat, talem vero referens potio medicamentoſa nunquam proderit ægrotantibus. Mirandum interim, tot in conſultationibus medicinalibus ad lectulos occurrere nihilominus amicas diſceptationes, num forte magis e re ſit præſcribere febre acuta decumbenti antimonium diaphoreticum, quam lap. cancr. aut conchas, num pulvis aliquis bezoardicus magis conveniat ac C. C. uſtum & dens hippopotami præparatus. Hui quam arduum opus! quam grave, ſeverioremque ſibi deliberationem depoſcens argumentum! Itane forte laureolam captare amant in hiſce quisquiliis ſibi placentes Medici, quod non uno, ſed multis variisque remediis inſtruantur, quibus ægris ſuis nec noceant,

(m) in prognoſt. p. 40. Edit. Fœſian. noviſſ.

noceant, nec proſint. Servent ſibi illi hanc gloriam, mihi quidem febrium ingenium, ut decet contuenti, non poſſunt non diſplicere inermes ejuscemodi conatus. Agite lectores mei! diſpiciamus pauciſſimis, quæ phyſicæ conditiones in corpore humano ſint obviæ, quando illud febre laborare dicitur, ut eo minus fallamur in electione antifebrilium remediorum.

§. 2.

Miræ quidem ab elapſis retro ſeculis theoriæ febrium inter Medicos agitatæ ſunt. GALENUS (n) febrem fieri perhibuit, quando caliditatis nativæ in igneam converſio fieret, atque cum aſſeclis ſuis bilem potiſſimum cauſam febrium poſuit. *Paracelſiſtæ* febrem morbum nitri ſulphuris accenſi nominarunt, atque eſſentiam ejus ardorem ſulphuris exiſtere ſtatuerunt. *Helmontianis*, febris ingenium explicaturis, res eſt cum furibundo & ira percito archæo. *Carteſiani* allegant conflictus & pugnas particularum. *Sylviani* blaterant de efferveſcentiis & fermentis, & quis omnia illa opinionum monſtra brevi indice complecteretur. Id interim ſatis certum eſt, cum in omni febre vitium adſit in motu ſanguinis, nondum cognito inter Medicos circuitu ſanguinis naturali, adeoque ante Harvei tempora non potuiſſe ſtabiliri theoriam febrium rationalem, legibusque motus ſanguinis reſpondentem; ſed indulgendum fuiſſe ætiologiis, quas ſuum cuivis cerebellum ſuppeditabat. At vero dolendum ſummopere, invento etiam & ubique cognito circulo, tot Medicos ad noſtram usque ætatem neglexiſſe nihilominus oſcitanter hoc filum, quo ſolo duce certi aliquid inveniri poterat, verum demum febrium ingenium in apricum ponens. Neque etiam fulgente ubique lumine Harveano defuere, qui, quando de eſſentia febrium verba facienda erant, modo morbos intemperiei, modo fermentationes, efferveſcentias, conflictus particularum acidarum & alcalicarum &c. gratis allegarunt. quibus fabellis omnibus recenſendis ſuperſedere facile potuiſſent eorum conditores, ſi quæ ſola ſufficit, motus notionem, progredientisque per orbem ſanguinis naturam accuratius pauliſper conſideraſſent. Atque quam felices & illi redirent ad meliorem frugem, qui febrem hodie Deam

Febrium theoria precaria.

(n) l. c. aph. 14.

conſtituunt, & ultro flectentes genua ſub duro ipſius jugo exultant; ſi probe, quid mali poſita febre ſæpe pulpoſis partium vitalium ſtaminibus, fluidisque animalibus ſua natura blandis phyſica neceſſitate in ſummum ſanitatis vitæque detrimentum accidere debeat, perſpicerent. Vera ſunt omnino, ſi juſtis circumſcribantur limitibus, quæ de febre omnium peſſima peſte celebris ille Doctor febrium SYDENHAMUS aſſervat, (o) quod ſit complicatio ſymptomatum, quibus natura utitur, ad inſpiratas cum aëre particulas nocivas excutiendas. Vera ſunt ex parte, quæ tradunt longe lateque diffuſi aſſeclæ STAHLII, febrem eſſe ſalutarem naturæ conatum ad amoliendum id, quod vitæ ſanitatique periculoſum eſſe poterat. Certiſſimum tandem eſt, quod ſapientiſſime ſcripſit Stahlianizans BOERHAAVIUS (p) febrem habendam eſſe feliciſſimum inſtrumentum, quo natura perficit mille morborum acutorum, & diuturnorum aliter incurabilium ſanationem perfectiſſimam. Sed falſum eſt tamen, quibuscunque demum etiam coloribus ſuam ſententiam exornare conetur cl. STAHLIUS, febrem per ſe nunquam eſſe lethiferam; (q) atque ſubtilis illa diſtinctio *mortis cum febre & mortis a febre* ita certe comparata eſt, ut febris ex ſua natura perniciosam ſæpe indolem neutiquam excuſet. Atque illud, opinor ſatis norunt, qui mechanicis principiis uſi de febrium ingenio philoſophantur, quibus ſolis ars medica debet ſolidam & theoriæ & praxeos febrium notitiam. Hanc viam felices elegere viri præſtantisſimi, LAURENTIUS BELLINI, ARCHIBALDUS PITCARNIUS, JOH. GODOFR. BERGER, FRIDERICUS HOFFMANNUS, ac HERRMANNUS BOERHAAVE, hisque forte ſolis debetur, quicquid ſolidi hodie de febribus ſcitur, quicquid modo intelligibili de iis explicatur. Vanos quippe, nullisque ideis excitandis pares terminos, quibus ſpiſſa volumina de febribus agentia repleta ſunt, obſcuram magis reddere doctrinam febrium, Lectoresque ſuos confundere magis quam erudire dudum credidi.

§. 3.

Theoria febrium vera.

Febrem definit cl. PITCARNIUS: (r) *velocitatem circulationis per æqualia temporis intervalla æqualiter auctam.* Et recte quidem, cum

(o) Oper p. 40. (p) Oratione de honore Medici ſervitute. (q) Vid. diſſert. de hac materia. (r) Elem. Med. lib. II, c. 1.

cum hæc definitio omni febri, ac per omne ejus tempus ab initio usque ad finem competere obſervetur. Sed circulatio exacte ſequitur contractionem cordis, quare velocior circulatio ſupponet velociorem intra datum tempus contractionem cordis; cauſa ergo proxima febris ſemper erit velocior cordis contractio, ſignumque eapropter certum pathognomicum febris, pulſus naturali velocior. Atque in hoc momento conſentiunt Medici fere ad unum omnes, licet aliter diverſiſſimas theorias febrium animo foveant. Conſtat autem ex phyſiologicis, ut omnium muſculorum actionem, quæ in contractione eorum ponitur, ita & contractionem cordis effici influxu liquidi nervoſi & ſanguinis arterioſi, ſimul ac enim vel hic vel ille vel uterque ſimul deficit, ſtatim perit actio, ut muſculi cujuscunque, ita & cordis. Poſtulat igitur contractio cordis 1) ut per nervos cardiacos in villos muſculoſos cordis libere fluat definita nervoſi fluidi quantitas. Finge enim hos nervos ligatos reſectos, vel illam plagam cerebelli, ex qua egrediuntur, compreſſam, & ſtatim omnis cordis motus peribit. 2) Ut in cordis arterias coronarias ſemper infundatur decens ſanguinis copia; ſed arteriæ coronariæ ſanguine plenæ ſupponunt ventriculum ſiniſtrum ſanguine plenum, & ſiniſter non repletur, niſi dexter repleatur, nec dexter repletur, niſi per cavam decens ſanguinis copia verſus cor revehatur, ergo cordis contractio poſcit, ut per cavam ſufficiens ſanguis refluat, quo adſit, quod infundi queat coronariis arteriis. Quodſi nunc febris præſentia celeriori contractione cordis ponitur, cordis vero contractio celerior, poſito 1) copioſiori & celeriori influxu liquidi nervoſi in nervos cardiacos. 2) Copioſiori & celeriori refluxu ſanguinis per cavam cor verſus ponitur, ſponte opinor apparet, his duobus momentis niti omne febrium ingenium, eaque omnia, quæ poſſunt efficere, ut augeatur influxus liquidi nervoſi per nervos cordis, & refluxus ſanguinis per venam cavam, habenda fore pro cauſis febrium. Sed hæ forte ſunt infinitæ, atque ſi vel eſſet poſſibile, ut ſingulæ recenſerentur, non pateretur tamen recenſionem inſtituti noſtri ratio. Certum interim eſt, omnia cujuscunque demum naturæ ſint, quæ augent influxum liquidi nervoſi in villos cordis, reduci poſſe ad irritationem ſeu ſtimulum, rurſumque

omnia, quæ augent refluxum ſanguinis verſus cor, excepta irritatione, de qua modo dixi, excepto motu muſculari, frictione &c. ſoli fere deberi reſiſtentiæ ad capillaria ſeu obſtructioni majori minorive extremarum arteriolarum primi, ſecundi generis. &c. Eaque propter tandem concludere licebit, cauſas proximas febrium ſine exceptione omnium eſſe ſtimulum & obſtructionem capillarium. Atque ad eam ſimplicitatem reduci poteſt vaſtiſſima illa febrium doctrina, quæ tot intricatis difficultatibus plena permanſit, tot inanibus, ineptis, nilque ad rhombum facientibus terminis Ariſtotelicis referta fuit, donec meliora & ſolidiora nos doceret inſignis Boerhaavius, quod iis optime notum, qui immortalia hujus viri ſcripta intelligunt, legunt, relegunt, meditantur, ruminant.

§. 4.

Therapia febrium rationalis.

Ex his vero modo ſtabilitis principiis ſtatim clarum redditur, indicationes in curandis febribus omnibus fore ſequentes.

1) Ut conſervetur vita, victu, potuque, febris genio, tempori, ægri indoli rite accommodato.

2) Ut ſtimulus ejiciatur vel obtundatur, quantum cognitum ejus ingenium permittit, irritatioque inde nata conſopiatur.

3) Ut lentor obſtruens capillaria ſolvatur, adeoque ibi nata reſiſtentia tollatur.

4) Ut ſymptomata mitigentur, maxime ſi ſint urgentia, pejora morbo, vitæque, ni ſtatim tollantur, ab iis immineat periculum; aliter quippe expugnato morbo ceſſant ſponte.

Poſtquam has indicationes naſci ex febris ingenio vidimus, diſpiciamus paucis, an iis explendis quadret uſus terreſtrium, quæ ſæpius opponi febribus ſolent a Medentibus. Ea quidem ad indicationem primam vitalem nil facere ſponte patet. Quid vero dicendum de ſtimulo, quem ſecunda indicatio obtundendum jubet? Finge vero ſtimulum illum, qui febrem irritando ciet, eſſe θεῖον illud Hippocraticum. Bone DEUS! quis ejus indolem veram, quæ inſuper vario tempore varia eſt, hactenus mente fuit aſſecutus! Quis auderet ſerio antidotum ejus crepare pulverulenta terreſtria bezoardica? Rurſum finge ſtimulum febrium eſſe affectum animi iracundum, quid ad eum inhibendum faceret mater perlarum, vel C. C.

præ-

præparat. Sit porro febris nata ex ſtimulo, quem abuſus vini generoſi, aquarum vitæ &c. liquidis vitalibus inſinuavit, quis quæſo eundem inertem reddere laboraret pulveribus terreis? Sit pus acre reſorptum a venis bibulis alicujus partis, totique maſſæ humorum admiſtum, ſuaque irritatione creet febrem, an putas abſorbentia hanc febrem mitigatura? Vix ego ita crediderim! Quod vero de his ſtimulorum generibus edixi, id ſane valet de reliquis omnibus, cumque illi inſuper adeo differentem nacti ſint indolem, quis prudens crederet, removendis obtundendisque ſtimulis febrilibus in genere omnibus, inſervitura terrea pharmaca, quascunque demum etiam dotes poſſidere illa communiter dicantur. Neque eſt, ut aliquis nimius forte animæ rationalis amator hanc mechanicam ſtimuli actionem in villos nerveos cordis, arteriarumque ad febris geneſin imaginariam clamet. Nimis ejus energiam demonſtrarunt Santorinus, Baglivus, Bellini, Thomson, Hoffmannus, Boerhaavius, aliique, quam ut rejici queat, aut inſuper haberi. Pueris notum eſt culinare experimentum, corda carpionum exſciſſa & quieta jam jacentia reviviſcere iterum, & ad aliquod momenta reciprocas ſuas contractiones repetere, quando ſale communi conſperguntur. An vero in his cordibus ſedet anima, quæ ſalis adſperſione incitatur, ut motus priſtinos reſuſcitet? Diſcant velim a pueris viri, multo magis in corpore vivo ſtimulum, vel ſalina, vel alia quacunque acrimonia pollentem, cordis villos ad contractiones crebriores ſollicitaturum, cumque in his ponatur febris indoles, febrim procreaturum, ſive velit anima, ſive nolit. Satis præterea certum eſt, relictum eſſe hominis cujuscunque arbitrio, ut pro lubitu ſibi febrem creet a mitiori ad acutiſſimam usque, ipſamque adeo peſtem adſcenſuram; neque unquam acre cujuscunque generis vel corpori externe applicari vel ingeri poſſe, quin ſtatim ſubſequatur febris, quam nemo prudenter oppugnabit, niſi ſtimulum acrem, a quo orta eſt, cognoverit, & pro cognito ejus ingenio vera ipſius antidota elegerit; niſi forte hæc cognito accuratior, ut in epidemiis ſæpe extra artis poteſtatem locata ſit, tum enim effectum ſtimuli ſaltem nempe celeritatem circuli reſpicere, huicque parare ſua remedia Medicus tenetur. Atque hæc de indica-

 dica-

dicatione ſecunda. Excipit eam tertia circa remotionem reſiſtentiæ in capillaribus natæ occupata, quæ noſtram animadverſionem nunc ſibi depoſcit. Scilicet quando ultimarum arteriarum definitam copiam obſtructam ſupponimus, eadem etiam primo manente contractione cordis, ſive vim contractionis, ſive celeritatem ejus reſpicias, non poterit tamen aliter fieri, quin ſanguis omnis arterioſus demto aliquo ſpatio celerius tranſeat in venas, adeoque celerius feratur ad cor, celeriorique ſuo refluxu contractiones cordis frequentiores reddat, eoque ipſo febrem cieat. Erit ergo tunc proxima cauſſa febris lentor hærens in capillaribus, hujusque febris remedia primaria, quæ lentorem hunc attenuant, ſolvunt, loco movent, canalesque omnes apertos reddunt & liberos. An vero iis remediis annumerandi terrei pulveres? Reſpondeat huic quæſito ſapientiſſimus BOERHAAVIUS, qui, locutus alicubi de veris lentoris remediis ſaponacea virtute imbutis, quæ Veteribus in hunc finem feliciſſime adhibebantur, ſequentia annectit: *Dolendum, quod inde receſſerimus, nam ſi lentor in ſanguine, quid pulvis diaphoreticus, quid pulvis Comitiſſæ de Kent, quid bezoar, quid lap. cancr. quid margaritæ efficient? Hæc ad viſciditatem nil faciunt.* (s) Atque nonne maxima febrium pars inflammationibus vel partialibus vel magis univerſalibus debetur? nonne dictat inflammationis ingenium, ut nulla antiquior cura ſit medico, quam ut lentor phlogiſticus obſtruens capillares arterias ſolvatur & attenuetur? nonne in hoc momento omnis fauſtus eventus ponitur? Ita eſt omnino! Quid eapropter abſurdius, quam ingerendas dare ægris febricitantibus, ob lentorem inflammatorium, pulveres terreſtres, ſed de hac re ſupra jam actum. Rurſum millenis vicibus natas videas febres a perſpiratione Sanctoriana præpedita, lentoreque hærente in arteriolis minutiſſimis cutaneis, qui cauſſam proximam morbi conſtituens tum præcipue ſui remotionem indicat. Quærere ergo liceat, an hic indicabuntur teſtacei pulveres? Sane ſi vulgatum Practicorum loquendi morem attendas, eumque ſolum, indicantur omnino, audiunt enim tales diaphoretici, vel minimum leniter diapnoici. Serio vero ſupra, cum de hac materia ex inſtituto

[illegible] ver-

(s) Bœrhaav. Pr. 614.

verba facerem, oſtendi, nil minus ab iis impetrari, quam perſpirationis meliorem ſucceſſum, quicquid etiam de iis communiter dicatur. Ego ſane crediderim firmiter, credentque mecum rerum gnari, ſive inflammatorium lentorem, ſive lentorem imperſpirabilem reſpicias, unicum ſub regimine juſto aquæ hauſtum plus valiturum, quam centum pulveres bezoardicos, diaphoreticos, diapnoicos, ex fatuis terreis concinnatos, quam centum potiones tali farragine otioſa oneratas. Neque etiam aqua fl. tiliæ, aut aliis ſtillatitiis ſæpe antiquitatem officinalem nimis redolentibus, ſapientibusque hic opus, aqua a lentore indicatur, nec prodeſt aqua tiliæ, acaciæ, ſambuci tanquam ab his floribus deſtillata, ſed ſimpliciter ut aqua. Aqua igitur, quo magis recens ex fonte hauſta, eo melior erit, eo minus offendet palatum, eo magis incitabit ægrum, ut in ſui ſalutem bibat ſtrenue. Omnem illum florum, herbarum, fructuumque apparatum, quem minimum ſatis obſcure ſæpe redolent aquæ ſtillatitiæ in officinis aſſervari ſolitæ, facile uſu ſuperat mel admiſtum aquæ ſimplici, aut ſi hoc Hippocraticum remedii genus vile nimis videatur, ad modernum uſum magis accommodari ſyrupi ex horæis confecti. Atque hæc ſufficientia ſunto quoad indicationem tertiam. Supereſt adhuc quarta circa lenimen ſymptomatum occupata. Vix autem opus crediderim, ut hujus conſiderationi diutius inhæream. Obſecro vos, lectores mei! ut directo obtutu contemplemini ideam frigoris febrilis; Porro conſiderate, precor, caloris indolem, ponite vobis ante oculos naturam doloris capitis, vigiliarum, deliriorum, convulſionum, ſitis anxietatum, ſingultus, vomitus, diarrhoeæ, ſyncopes, ſudoris, exanthematum &c. Non vacat ire per ſingula, ſed nimis ego perſuaſus ſum, ſi nil agere, vobis in more poſitum eſt, niſi id, quod ex phyſica notione febris emergentes indicationes jubent, perpetuo vobis inanis & ridiculus habebitur omnis ille pulverulentorum inſipidorum apparatus, quocunque demum nomine adhibeatur. Sique vos illa in animum revocare haud piget, quæ in antecedentibus paſſim tradita ſunt, fatebimini, opinor, ſtrenue jam confutatas fuiſſe narratiunculas ſat multas, quæ patrocinari poſſe uſui terreſtrium pro impugnandis febrium ſymptomatibus videbantur.

§. 5.

§. 5.

Refugia Practicorum terreis in febribus utentium.

Nullus ergo abſorbentibus, diaphoreticis & bezoardicis fixis, ut ſalutantur, locus eſt in curatione febrium; ſed fervet interea ad noſtram ætatem usque talium præſcriptio. Non deeſſe igitur debent modernis etiam Practicis quædam ratiunculæ, quæ eam excuſant, defenduntque. Omnes enim Medicos gratis, & eapropter ſaltem, quia communis medendi methodus ita fert, fatua remedia offerre ægris ſolere, neutiquam ſuſpicari volo. Illas autem narratiunculas eloquar, an ſileam, fere anceps hæreo, pudet quippe fabellarum mentionem facere, quæ abeſſe tandem a Viris peritis debebant, cum vero eas hinc inde regnare adhuc videam, æquum erit, ut aliqua de iisdem diſputem. Breviter autem in genere primo potiora rationum phantasmata indicabo. Fuere qui ideo febribus indicari abſorbentia terrea arbitrati ſunt, quia febres ab acido excluderentur; hisque inani præjudicio laborantibus præcipue debetur, quod ex terreis compoſiti pulveres in febribus uſurpari cœperint, cum uſum illorum nobis forte nihilominus felicior in his curandis antiquitas ignoraret prorſus. Sunt alii, qui de humorum fermentatione, aut motu minimum eorum inteſtino verba faciunt, quando febrientibus macros & inſipidos pulveres porrigunt, iisdemque præcipitationem quandam, aut particularum ſanguinis rapide motarum fixationem ocyus impetrari ſibi imaginantur. Multi diapnoën lenem febribus ſine exceptione omnibus, omnique tempore ſalutarem clamant, quam ideo diaphoreticis fixis promovendam eſſe contendunt. Nonnulli de bilis acrimonia, fervoreque in febribus peccante colloquuntur, huicque vitio rectiſſime opponi remedia terreſtria nugantur. Atque his fere fundamentis nititur omnis demum ætiologia operationis terreorum pulverum in febribus, ut facile conſtare poterit omnibus, qui inter Practicos clinicos verſantur, vel & ſcripta recentiſſimorum etiam autorum evolvere voluerint. Omnia autem hæc minus appoſite atque gratis ſaltem ita ſtatui, ſponte intelligentes animadvertunt, dabo tamen interea operam, ut fugaces illi ac evanidi argumentorum ficulneorum colores ſtatim diſpareant. Magna eſt, fateor, acidi pro febrium cauſſa venditati, in virorum præſtantiſſimorum operibus commemoratio.

ratio. Febres continuæ, ab intus detenta aciditate, primo rigent, dein æſtuant, ſcripſit HELMONTIUS. (*t*) Atque FRANCISCUS de le BOE SYLVIUS, ut acidi ubique fautor eſt, ita etiam febres a ſucci pancreatici aciditate oriri aliquando, iisque tum mederi terrea abſorbentia, aperte docuit. (*u*) His tandem principiis nixus cl. ETTMULLERUS, theoriam febrium texens, ubique acidum implicavit, omnemque culpam in illud rejecit. Febrem nimirum, quam actionem fermentationis maſſæ ſanguineæ dicit, ab acido derivat, atque in æſtu omni corporis intenſiori, adeoque in febribus omnibus peccare acidum, multis argumentis, fruſtra licet, probare nititur; Imo vero, urinæ rubicundum colorem acido dominanti deberi, aſſerere haud veretur. (*x*) Cumque præterea in ea verſetur ſententia, acidi ſaturationem in ſanguine conſtituere criſin, (*y*) non mirum eſt, quod in therapia febrium ubique abſorbentia & terreſtria valde laudet, ipſisque ſpecificorum antifebrilium elogium decernere nullus dubitet. Ita fallacibus ratiociniis non ſemetipſum ſaltem, ſed multos ſequacium fefellit ETTMULLERUS, qui omnes, pulverum præcipitantium uſum, ſua hypotheſi decepti, non potuere non ſaluberrimum febribusque curandis aptiſſimum agnoſcere. Inter eos, doleo, quod referre coger cl. GUALTH. HARRIS in egregio libello *de morbis acutis infantum*, data occaſione de febribus in genere diſſerentem, ibique cruditatem, quæ in febribus apparere ſolet, prædominantis acidi genuinum effectum, coctionem vero acidi multum infracti, atque naturæ vincentis ſignum eſſe perhibentem. (*z*) Non hic fuſe exponam, quot miſerrimi errores, ex incondita hæc hypotheſi, longe lateque dominante, profluxerint, quot ægri, qui ſervari felices potuiſſent, immaturo fato ſupremum ſuum diem obire debuerint, dum acida remedia adeo in febribus proficua rejiciebantur, atque theriacalia, ſaliaque volatilia accommoda eſſe febrium etiam acutiſſimarum, ſummoque calore ſtipatarum, pharmaca credebantur, adeo quidem, ut modo laudatus ETTMULLERUS, ſe crebrius obſervaſſe, putaverit, febres ardentes, per uſum ſpiritus ſalis armoniaci, ob acidum febrile ſaturatum,

(*t*) de febr. c. 9. (*u*) Pr. Med. lib. I. c. 29. § 80. 81. (*x*) Tom. II. p. 242. 243. 244. 247. (*y*) Differt. de uſu & abuſu præcipitantium Cap. II. ſ. 4. (*z*) p. 77. edit. Batav.

tum, in frigidas fuiſſe mutatas. (*a*) Ego, omnia talia ſilentio nunc preteriens, terrea mea ſaltem conſidero, quibus quidem, quod facile largior, nemo jure tribuet, quod aliquem febrientium necaverint. At vero, cum nulla unquam indicatio uſum eorum urgeat in febribus, æque tandem largituros opinor Medicos, terrea nil proficere, ac omnes hodie convicti largiuntur volatilia multum nocere. Solide pariter ac eleganter, ut ſolet, evincere conatus eſt cl. BERGERUS diſſertationum *de acido inſonte prima*, ortum febrium perperam ab acido deduci, cujus ratiocinia inſtar omnium legi velim, ab iis, qui forte huic hypotheſi adhuc inhærent. Bene novi, in infantibus lacte materno utentibus, ab eodem, in corruptionem acidam, in quam ſua natura vergit, delapſo, oriri febres peſſimas, quas nemo rectius curaturus eſt, quam HARRISIANA methodo, acidi nimirum 1) præparatione & deſtructione per abſorbentia, 2) evacuatione per benigna laxantia. Eam autem medendi rationem, ad adultiorum imo vero etiam vel ad puerulorum ablactatorum febres ſanandas, ſi vellet trahere aliquis, næ! ille valde ſe deciperet, inanemque & fruſtraneam operam foret ſuſcepturus. Sæpe interim cogitavi ego, anne forte olim Medicorum aliqui videntes, mirantesque exoptatum curationis ſucceſſum, quem in febribus infantum abſorbentia largius paulilper exhibita elargiuntur, nimis præcipites, operationisque ætiologiam non, ut decebat, caſte ſatis trutinantes, ea, pro antifebrilibus in genere & in omnibus ſubjectis valituris, venditaverint, præcipue cum id erroris genus inter Medentes familiare ſatis ſemper extiterit, & adhuc crebro obſervetur. Forſan etiam cl. GUALT. HARRIS, coctionem in febribus non feſtinanter adeo pro ſaturatione acidi, ut ſupra animadverti, habiturus fuiſſet, niſi, partim regnante ea tempeſtate pathologia acida, partim obſervata felicitate ſuæ medendi methodi in infantum febribus per remedia ſimplicia abſorbentia, in eam ſententiam fuiſſet abreptus. Saltem eandem mecum ſuſpicionem, ut video, fovet Illuſtr. BOERHAAVE. (*b*) *Patet facile*, inquiens, *quando abſorbentia & alcalina febres curent, nempe quando adeſt acidum, aliter non, apparet igitur, cur abſorbentia in febribus infantum adeo bona. Hinc* ... *dein*

(*a*) In tentaminibus aromaticis Part. II. §. 11. (*b*) in Comment. 605. no. 6.

dein vim febrifugam adſcripſere terreis Medici. Abſit vero, ut febrifugorum elogium tribuamus acidum abſorbentibus, cum rectius multo illud ipſis acidis vegetabilibus & fermentatis tribueretur. Ea eſt aceti in febribus acutiſſimis energia, ut rectiſſime illud jam HIPPOCRATES Pater ſummum febrifugum habuerit, oxymelque ptiſanis hordeaceis admiſtum merito commendaverit, libro incomparabili *de victu acutorum;* Ut poſcam ſuam juſtiſſime extollant Veteres fere omnes, ut inter recentiſſimos aceti laudes eleгantiſſime cecinerit æquiſſimus præco Illuſtr. BOERHAAVIUS. (*c*) Ea præſenti ævo cum ſummo decumbentium ſolamine abſumitur in æſtu febrili ſucci citri copia, ut, durante gravi illa ante duos annos epidemia, vix ſufficientem apparatum florentiſſima Vratislavia noſtra ſuppeditaret. Quis ergo abſorbenda prudenter daret abſorbentibus acida pharmaca, a quibus tot bona ſperantur expectanturque confidentius? Ab acidi falſa inculpatione in febribus, tranſeo ad iniquam fermentationis & motus inteſtini allegationem, quæ maximam partem acido ſuppoſito ſuam debet originem. Innumeros fere autores de febribus tractantes, fermentationes & efferveſcentias, motusque ſanguinis inteſtinos allegare, ac pro iis ſedandis terrea præcipitantia commendare, ſatis ubique conſtat. Putat cl. noſter SENNERTUS, efferveſcentiam febrilem ita componi præcipitantibus, ac cereviſiæ aceſcentis vitium creta injecta emendatur. (*d*) KERGERUS tractatu *de fermentatione,* (*e*) terrea varia, ut lap. cancr. C.C. ſine igne, ebur ſine igne, corallia, mandibulas lucii piſcis, pro fermenti febrilis præcipitatione laudat. SACHSIUS (*f*) *peculiarem,* inquit, *præcipitandi furias æſtuantis ſanguinis, vim habent, lap. cancr. hinc in pleuritide & aliis febribus adhibiti ſalutem ſperare jubent. Si quæratur, qua ratione id præſtent, reſpondendum, agere id vi præcipitatoria.* Cl. SIMON PAULI, in *digreſſione de febribus malignis,* (*g*) *Febris nulla,* ait, *ſine fermentatione aut ebullitione exiſtit, hinc margaritæ, corallia, lap. bezoar, lapides pretioſi, & his ſimilia ſimplicia, ſi febricitantibus propinentur, quandoque accidit, ut febris deſinat; Cur? Quia ζέσις aut ebullitio illa per ea ipſa ſiſtitur,*

Ss 2 *æque*

(*c*) in Chem. Tom. II. Part. I. Proceſſu 50. p. 185. (*d*) de febribus lib. II. c. 17. (*e*) p. 251. (*f*) Gammarol. p. 662. & 719. (*g*) p. 92.

æque ac ardorem ſtomachi, uſu ſolius ſimplicis cretæ pulveriſatæ, ſiſti novimus. Merentur, quæ huc adducantur, cogitata de terreorum uſu in febribus cl. STAHLII. Is quidem laudat SCHELHAMMERUM, quod in libro ſuo, *de genuina methodo febres cognoſcendi & curandi* valde dubitat, an efficacia, quam terrea in febribus luculenter exererent, ab acidi deſtructione peti poſſit; ſed taxat ſimul eum, quod nullam aliam operationis rationem adjecerit. Hunc defectum igitur ſuppleturus STAHLIUS, terrea motui fermentativo ſanguinis in putredinem tendenti reſiſtere, agitationem nimiam particularum ſulphurearum ſua admiſtione infringendo, probare laborat. (*b*) Omnia hæc, ut ſolet, tabulis ſuis inſeruit JUNCKERUS, (*i*) ſequentia quippe verba ibidem invenio: *Dubitat omni jure* SCHELHAMMERUS, *num terrea præcipuam ſuam efficaciam in corpore exerant, per acidi abſorptionem, non enim tam acidum abſorbent, quam particulas tenuiores ſulphureas, quæ fermentativas & putredinoſas corruptiones cauſantur, coagulant, & ſic illarum agilitatem infringunt.* Et alibi ita JUNCKERUS ſcribit: *In orgaſtico ſanguinis ſtatu abſorbentia egregie ſe gerunt; temperant autem nimiam hanc ſanguinis exagitationem non tam abſorbendo, quam potius interponendo: Quilibet enim motus inteſtinus ſubtiliſationem inducit; Quando autem craſſiuſcula abſorbentium corpora interponuntur, effectus ille reſolutorius & turgefactorius impeditur.* (*k*) Sed ſcire refert & STAHLIUM & JUNCKERUM immerito ob hujus ætiologiæ ignorantiam accuſare SCHELHAMMERUM, audiamus pauliſper, quomodo ille diſſertatione *de febrifugorum natura, agendi & applicandi modo* philoſophetur: *Infirmiora quidem ſunt*, inquit, *non tamen omni carent efficacia ipſa terrea & præcipitantia dicta, quæ non quidem acidum abſorbendo hoc agere credenda ſunt, aut fermentum febrile concentrando, figendo, & invertendo, ut nonnulli amant loqui, ſed potius interponendo ſe & fermento febrili reſiſtendo, ne poſſit libere moveri, & movere ſanguinem, ſed retardetur, & in obſtaculis iſtis ſibi hinc inde objectis ſpicula ſua frangat.* (*l*) Sane mihi hæc, quæ attuli, *Stahliana* & *Junckeriana* ratiocinia, *Schelhammerianis* ita ſimilia

(*b*) Mat. med. Germ. tit. XI. §. 3-7. (*i*) Tab. LXXI. de febre catarrhali maligna petechizante. (*k*) Conſp. p. 138. no. 10. (*l*) cap. III. §. 19.

ſimilia videntur, ut ovum ovo. Non autem mirum jam erit, illam de terreorum uſu in febribus hypotheſin, ubique adhuc regnare inter Medicos, cum tot paſſim medicinam & doceant & faciant diſcipuli STAHLIANI, atque ex ſchola cl. JUNCKERI quotidie prodeant novelli Practici, licet fermentatio & efferveſcentia febrilis, quæ acidum omnino requirere videtur, toties ſolide impugnata vix ſerio admitti amplius valeat, neque a Stahlio & Junckero directe febribus tribuatur. Sed ecce derelictam & ad Chymicos ſolos ablegatam cum fermentatione efferveſcentiam, a Medicis, male operationes chymicas ad corpus humanum trahi,ratis, utramque præter ſpem revocare in artem, atque ſtabilire in theoria febrili, pro ſua,qua pollet,doctrina, variis argumentis nititur vir in incrementa ſalutaris ſcientiæ natus cl. WERLHOFIUS, neſcio an terreorum pulverum antifebrilium apologiam ſimul ſcripturus, de his enim nil addidit. (*m*) Vocatur ipſi *efferveſcentia* ſanguinis, inteſtina agitatio, inteſtinus attritus, rarefactio, expanſio particularum; *fermentatio* autem efferveſcentiæ ſpecies cum diſſolutione corporis mixti. At vero licet facile permittat, ut aliquis odioſis, efferveſcentiæ, fermentationis aut ebullitionis, nominibus, vocem tumultuationis, commotionis, aut agitationis ſubſtituat, parum refert, cum omnes illi termini inteſtinum tamen particularum ſanguinis motum denominare debeant, quem is in febribus abſolute requirit, ut colligo, ſive tanquam cauſſam, ſive tanquam effectum. Ego interim, quod pace tanti viri, cujus dogmata cœteroquin magni facio, dictum cupio, omnia illa mente volvens, quæ ſupra, cum de orgaſmo tractarem,propoſui,nullum nequeo motum ſanguinis inteſtinum admittere alium, quam qui a progreſſivo pendeat, inteſtinumque in corpore vivo nullum eſſe, nec oriri antea nec perdurare poſſe ſine progreſſivi præſentia conſtans autumo. Relinquo igitur cum cl. BONTEKOE, (*n*) etſi acidæ illius hypotheſi haud ſubſcribo, fermentationem Vini conditoribus, piſtoribus & cereviſiariis, ebullitionem ſeu efferveſcentiam coquis, motum inteſtinum neſcio quibus artificibus aliis, omnia hæc vocabula neutiquam requiri ad theoriam febrium, ſed cum lentore, ſtimulum, omnes cauſſas earum exhaurire

(*m*) Cautionum medicarum Tract. I. §. 8. in notis. (*n*) de febribus p. 45.

ſatis convictus. Cœterum, ut lectores mei denuo hic contemplentur, quæ ſupra de orgaſmo expoſui, etiam atque etiam rogo.

§. 6.

De febribus illis quæ immerito bilioſæ dicuntur quædam ſeorſim.

Supereſt tandem, ut de bile, cujus effuſio & acrimonia toties perperam in febribus acutis chronicisque inculpatur, aliqua ediſſeram. Rectiſſime certe me judice ſcripſit ETTMULLERUS (o) *ea, quæ de bile a veteribus pariter ac recentioribus prolata hactenus fuerunt, arbitraria maximam partem videri.* Satis quippe ſcitur iis, qui antiquiora autorum monumenta perluſtrarunt, ſæpiſſime non in febrium modo, ſed & variarum aliarum ægritudinum ætiologia bilis vitia allegari, etſi, longe alias cauſas allegandas fuiſſe, liquido demonſtrari poteſt. Non autem id vetuſtis ſcriptoribus adeo vertendum eſt vitio, quum carentes plurimis, iisdemque præſtantiſſimis ſubſidiis, quorum ope hodie cauſas morborum etiam latentes ſubinde eruimus, melius utique hiſtorias morborum tradere, quam de eorum ortu & fiendi modo philoſophari potuerint. Verum modernorum Practicorum plurimos toties de bile vitio laborante inter ſe confabulari, neſcientesque quo ſe vertant, ad unam illam inſontem bilem fruſtra recurrere, atque pro lubitu modo ejus nimias effuſiones, modo acrimonias, modo efferveſcentias, modo ingreſſum in ſanguinem perpetuo fere fingere ægre omnino fere debent omnes, quibus aniles fabulæ in arte ſeria diſplicent. Pudet fere palam eloqui, inter noſtrates adeo hunc loquendi morem frequentem deprehendi, ut nauſea ſubinde intelligentibus ſurgat. Vix enim æger aliquis febrili corripitur æſtu, quin ſtatim poſthabitis omnibus ſanioribus, Medicoque dignis ratiociniis, inanes ſaltem & riſu ſane excipiendæ nugæ de bile in ſanguinem effuſa in medium proferantur. Febres tandem ad unam fere omnes non vulgo ſaltem & Matronis medice doctis, ſed ſatis multis ex Practicorum noſtratium collegio, ſtylo recepto Vratislavienſi, audiunt hitzige Gallen-Fieber, quoque magis æſtus ſitisque urgent, eo magis competere deberique febri hanc denominationem, plurimi præfracte opinantur. Abeſſe aliquando debuiſſent, atque extra terminos Urbis noſtræ proſcribi ejuſcemodi ineptiæ, ne deridendos nos daremus exteris, ſatis abjecte

(o) diſſert. de præcip. cap. II. §. 21.

abjecte interdum, quod novi, de Sileſiis Medicis ſentientibus, ſed meremur vituperia & cachinnos, quum antiquis oberrantes chondis nobis ipſis placeamus, ac quæ priſco tempore apud nos graſſatæ ſunt nugas medicinales negligere tandem, & abjicere nobis ducamus religioni. Nemo credo, dum hæc talia taxo, malum me civem habiturus eſt, gentis ſuæ gloriam maligne vellicantem ac inſuper habentem. Malos mores ipſum ordinem Medicum deturpantes taxo jure, Membra ipſius docta artis culturæ invigilantia a præjudiciis aliena ſolius veritatis autoritate ſeſe duci patientia veneror atque ſuſpicio. Licebit opinor omni exuta verecundia populares errores impugnare ſtrenue, atque premere veſtigia cl. dum viveret inter noſtros, Medici Godofredi KLAUNIGII, quem acriter perſtrinxiſſe & ſevere caſtigaſſe bilioſos Practicos ſumma voluptate animadverti (p) *Cui cordatiori*, inquit, *non moveretur bilis? quoties a vulgo Practicorum bilis ſuccus hepati proprius ferme omnium morborum cauſa innocentiſſime ſtatuitur, utpote quod præſentibus quibuscunque febribus vel ulterioris indaginis morbis vix aliud blaterat, quam bilis effuſionem in ſanguinem. Erroneæ hujus hypotheſeos fundamentum credulis ob oculos ponere ſatagunt Medici tales ſtupidiſſimi, provocando ad vomitus nunquam non ultimo bilioſos, nec conſiderant, bilem, compreſſo ob vomendi conatum fortiter dextro hypochondrio, effundi neceſſario ex veſica fellea per ductum choledochum in ventriculum, etiamſi in corpore minime abundet. Eo tandem ſimplicitatis pervenerunt, ut & in publicando ex ſacris cathedris morborum genere, raro aliud audias, quam accuſare bilem, ac ſi omne id, quod præter naturam accidit, ex bile abundante originem ducat, nobisque bilioſi, ne dicam, furioſi morbi ſint quaſi endemii. Nititur vero hæc Pſeudodoxia epidemica non firmiori argumento, quam noſtratibus familiaris maximeque incongrua denunciatio mortis, qua omnes indiſcriminatim dicuntur extincti, aut aſthmate ſuffocativo, aut apoplexia, aut utroque ſimul, cum tamen tyronibus artis conſtare debeat, hos mortis prodromos non ſemper morbum lethalem, ſed utplurimum ejus eſſe ſymptoma.* Atque quod ante hos viginti annos merito vituperavit KLAUNIGIUS, id omne ad hunc diem apud nos obtinet, quare operæ puto erit pretium, ſi diſtinctius paulo de hoc argumento tractavero. § 7.

(p) in Noſoc. Charit. obſ. 23.

§. 7.

Bilis ſæpius minus recte febrium & æſtus febrilis cauſſa ſtatuitur.

Magnam inconditæ hypotheſi, calorem febrilem bilis fervori tribuendum eſſe, videtur pondus accedere, ex iis, quæ ſcripſit HIPPOCRATES: (q) *Febres plurimæ a bile fiunt, præſertim continens quotidiana, tertiana & quartana.* Quando dein in FERNELII, aliorumque multorum ipſo antiquiorum auctorum Galenicis maxime principiis imbutorum voluminibus, putreſcens bilis tantum non omnium febrium cauſa habetur, non mirum eſt, cœco impetu tot Medicos illam ætiologiam arripuiſſe, eamque ad noſtrum ſeculum usque propagaſſe. Movet inſuper incautos, ſolutio multarum febrium per icterum, qui ſi criticus (ac ut egregie notat PISO (r) antegreſſis ſignis coctionis ſine hypochondrii duritie cum excretis alvi & urinis ſecundum naturam accidat,) & (ſecundum HIPPOCRATEM (s) 7. 9. 11. 14. die eveniat) optimum omen ſanitatis futuræ præbet. Hæc certe & alia varia, quæ hic adducere nolo, effecerunt utique, ut multum & nimium ſine dubio ad noſtrum ævum bili tributum fuerit in febribus. Sed quid ad bilem terreorum abſorbentium præſidium, quo toties pugnant Medici febres curaturi. Non intelligo, fateor, interim ea ubique ad cicurandam bilis luxuriantis acrimoniam laudantur. Conſtat inter omnes, quantum in affectubus billoſis tribuerit trium Imperatorum Archiater CRATO cryſtallo montanæ. Notum eſt, quas vires alii ad bilis acrimoniam cum JUNCKERO (t) corallis adſcribunt; atque, quam ſæpe in praxi triviali immerito elogio cancr. lapides inſtruantur, eo quod bilem vitio laborantem corrigant, ignorat nemo. Quem igitur in ſtuporem nunc raperet uſus frequens remediorum terreſtrium in febribus, iisque præcipue, quæ biliosæ ſecundum excellentiam ſalutantur. Quicquid vero tandem etiam inter ſe garriant Medentes clinici, id ſatis certum eſt, falſo omnium ſine exceptione febrium originem a bile derivari, ſique vere etiam peccaret bilis, illam fruſtra terreis tractari, egregie poteſt demonſtrari; utrumque breviſſimis præſtare conabor. Ac primo quidem bilem per ſe nec calorem in corpore humano producere, nec ideo creare febrem, ſed utrumque potius

(q) de nat. hum. §. 27. (r) p. 290. de præſag. Vit. & morte. (s) Lib. IV. aph. 64. (t) Therap. gen. p. 426. Tab. XV.

potius hunc affectum penitus ipſi bilis indoli eſſe contrarium, omnes rerum gnari ultro profiteantur neceſſum eſt. Quid enim? Nonne in ictericis evidens eſt, bilem ingreſſam fuiſſe præter naturam ſanguinis oceanum, atque cum ſanguine miſtam quaquaverſum per omne corpus diſpergi? An vero eapropter icterici febricitant? neutiquam certe; neque etiam ſi ſatis diu maneat in ſanguine bilis eundem incaleſcere faciet, ſed potius, dum ſapo eſt reſolventiſſimus, cruorem ſolvet & attenuabit, ita ut hic penetrans in aliena & minora vaſa non morbum calore peccantem, ſed inter frigidos hercle! referendum, dirum hydropem, excludat. Satis opinor inculcavi in ſuperioribus, mirum quantum excitando calori in corpore animali favere denſitatem ſanguinis, cum igitur ea bilis ſit indoles, ut ſaponacea ſua virtute ſanguinem denſum & ſpiſſum ſolvat, ſanæ rationi, fideique experimentorum, quæ cum bile inſtituta ſunt, imo ipſi functioni, cui in chylificationis negotio deſtinata eſt, prorſus contrariatur frivolum illud aſſertum, quod calorem præternaturalem ſuſcitet. Optime hoc perſpexit Beatus Bohnius: *Qui a bilis admiſcela, inquiens, humores noſtros fervidiores reddi ſibi perſuadent, falluntur, dum v. g. bilis in ictero ſanguini copioſius ſuffuſa nihil caloris extraordinarii producit, ſed ſæpe ad cruditatem ſanguinis & hydropem diſponit.* (*u*) Male eapropter bilem pro cauſa febrium venditari manifeſtum ita reddi arbitror, quæ ſane calorem in corpore non gignit, ſed potius a calore jam nato gignitur. Dignum nimirum hic eſt obſervatu, quod memorat Hoffmannus (*x*) tempore æſtivo ſolenniter excludi per guttur inferius excrementa biliosa, quia ob vehementem calorem multum bilis generatur, & ad inteſtina fertur, taleſque ſordes alvinas in cholericæ conſtitutionis hominibus, nec non in iis, qui corpus crebrius motu exercent, ac vini potui indulgent, rejici ſolere. Quodſi igitur, ſi ſanguis calore æſtivo, motu muſculorum, vini potu &c. celerius in orbem ſuum abripiatur, bilis proventus increſcit, & febrili etiam ſanguinis celeritate major bilis copia generabitur, ut adeo vere alibi ſcribere potuerit laudatus Hoffmannus: (*y*) *Mirum eſt, quanta conſpicia-*

(*u*) de offic. Med. lib. I. c. 17. (*x*) Tom. III. pag. 317. 318. (*y*) differt. de bile cap. II. §. 6.

ciatur indies in febribus ardentibus, continuis, tertianis bilis quantitas, in urina, alvi fæcibus, & egeſtis per vomitum, ut eam ob cauſam veteres adducti fuerint in hanc ſententiam, bilem hanc, quæ excernitur, cauſam eſſe febris, quæ tamen potius eſt ejus productum. Atque ex his omnibus clariſſime innotuiſſe arbitror, innocenter admodum ſæpe ſe gerere in febribus bilem, licet ruditer & ſevere toties accuſetur.

§. 8.

Quouſque bilis haberi poſſit febrium cauſa.

Sed verſabimur accuratiſſime in enodando quæſito illo, num bilis, febrium cauſa habenda ſit, an minus? Omnes cauſæ febrium, cujuſcunque demum ſint indolis, reducuntur ad ſtimulum vel lentorem, ut ſupra vidimus. Lentorem ſanguinis, reliquorumque humorum ſolvit potius, quam inducit bilis, quare ex hoc capite non eſt poſſibile, ut reddatur cauſa febris, quin potius omnia remedia bilis ingenium referentia, amara puta & ſaponacea ſingula, in intermittentibus præcipue lentorem ſolvendo, pulchra ſunt antifebrilia, quæ inter ipſam bilem animantium numerare nullus ambigo. Niſi ergo bilis ipſa lentore peccet, atque in canalibus ſuis ſtagnando obſtaculum inducat, non poterit lentoris culpa generare febrem. At vero quid nunc dicendum de ſtimulo; Sane ſtimulantem acrimoniam eſſe bili omni optime etiam conſtitutæ ſincerus confiteor, at eapropter non generari febres loquitur experientia aliter, quippe perpetua laborarent febre, perpetuum bilis ſtimulum generantes in noſtris corporibus. Interim ego non negaverim facile, ſi quacunque ratione factum fuerit, ut bilis minus tempeſtive majorique copia effundatur ex ſuis ductibus, quam quæ requiritur ad chyli crudas, viſcidas, ſubacidasque particulas ſubigendas, hæcque adeo quantitatem reagentis quaſi chyli multum excedat, copioſiores tum adfore ſtimulos, junctosque ſibi majorem, præternaturalemque acrimoniam exhibituros, quæ vellicando irritandoque ciere febrem omnino valeat. Accedit, illam acrimoniam eminentiorem reddi debere, ſi extra circulum ſuum peculiarem conſtituta bilis quieſcat; cum a quiete & mora, ut omnes alii animalium humores, reddatur pejor, morſicantemque magis cauſticamque naturam indies acquirat. Tum vero eadem ratione ac nauſeam, cardialgicum, colicumque dolorem, præcordiorum anxietates & ardores,

diar-

diarrhœas, vomitiones & alia mala, docente quotidiana experientia, ſolo ſtimulo acri proritat, febres etiam & chronicas & acutas, easdemque peſſimas, ſæpe ſtimulante ſua acrimonia poſſe excludere, nemo facile dubitaverit. Fac autem nunc febrem fuiſſe excluſam, a bile acri, cum fieri poſſe, ut ab ea interdum excludatur, æquus cenſor Medicorum bilioſæ theoriæ febrili addictorum largitus ſim, quænam indicabuntur remedia? Ea opinor ante omnia, quæ ſtimulo contraria, hæc vero, ut cognoſcamus, individuale, ſi ita loqui fas eſt, bilioſæ acrimoniæ ingenium antea debebimus cognoſcere. Age igitur de eodem pauliſper cogitemus: Unciæ duodecim bilis bovinæ (a qua humana non niſi ſpiſſitudine paulo majori differt) ab Illuſtr. Hoffmanno deſtillatæ, dederunt uncias undecim phlegmatis, nullius ſaporis, ex reſidua uncia una prolicitus, poſtea ſpiritus odoris ingrati & empyreumatici cum nitri ſpiritu expedite efferbuit, & ſyrupum violarum viridem reddidit in ſignum naturæ alcalinæ, tandem olei quidpiam elicitum ſimilis indolis & efferveſcentiæ fuit cum ſpiritu. Caput mortuum terreum in retorta reſtitans drachmas duas cum dimidia pendens per incinerationem dedit ſalis fixi manifeſte alcalini drachmam unam. (*z*) Patet ergo ex his ſatis ſuperque alcalina bilis indoles, quam, notante eodem Hoffmanno, ſequentia etiam experimenta luculenter comprobant 1) quod mixta bilis ſyrupo violarum eum mox virideſcentem reddat, 2) quod omne acidum concentratum, ut oleum vitrioli, aqua fortis cum bile ebulliat, 3) quod virtus ipſi ſit abſterſoria & acidum temperans, dum optime maculas pingues detergit, & cereviſiarum acorem corrigit. (*a*) Addit his lubens ſuffragium ſuum, cum cl. Baglivio, (*b*) inclytus Boerhaavius, in lotio & bile ſales fere hos animalium humores putredini eſſe quam proximos, diſerte profeſſus. (*c*) Quotusquisque vero Medicorum eſt, qui jam contradicere audeat, quando aſſero, ſi bilis nimis effuſæ, ſtagnantis, corruptæque acrimonia peccat, eam peccaturam acrimonia alcalina, putrida, flagitaturamque, ubi corrigenda, ejusque ſtimulus vel febris, vel alius morbi faber obtundendus eſt, & diætam antiputri-

Tt 2 dam,

(*z*) diſſ. de bile medicina & veneno corporis pag. 13. (*a*) Med. ſyſt. Tom. I. pag. 182. (*b*) pag. 429. Operum. (*c*) in Chym. I. 613.

dam, & remedia antiputrida. Inter hæc autem nulla acidis ſuperiora eſſe norunt omnes, quare jam rectiſſime ſcripſit SYLVIUS: (*d*) *Bilem acriorem corrigunt temperantque acida omnia, unde, quoties hæc peccat, merito acidis utemur.* Cui inter multos alios adſtipulatur ſæpe jam laudatus HOFFMANNUS verbis ſequentibus. (*e*) *Quando copia bilis calcalinæ oleoſæ indolis, in flexura duodeni collecta & ſtagnans, genus nervoſum male afficit, & hac ratione ſæpe vomitus bilioſi, nauſeæ, appetitus proſtrati, caloris lenti, febris etiam ardentis cauſa eſt, tunc certe acidula, ut ſunt Julapia, vel ſpiritus minerales acidi dulcificati egregium plane ferunt præſidium.* Pulchre ego perſpectum teneo, a Practicis fere omnibus bilis acrimoniam animo tenentibus, ad HOFFMANNI aliorumque præſtantiſſimorum virorum ductum præſcribi ægris decoctum Crem. tartar. citri, decoctum tamarindor. ſuccum citri, pomorumque ſinenſium, granatorum, ribium, berberum, tincturas bellidis, papav. ſpiritum ſulphuris per campanam clyſſum antimonii ſulphuratum, ſpiritum nitri, vitrioli, ſalis dulcificatum &c. Atque hæc omnia quidem rectiſſime. Sed quid ſibi hic volunt abſurda illa terreſtria abſorbentia cum his medicaminibus una offerri, vel iis interponi perpetuo ſolita? Nemo quippe, ea ad alcalinam acrimoniam corrigendam facere, poterit probare, quia vero bilis tantum acrimoniæ alcalinæ capax eſt, hæcque ſola correctionem indicat, & acidis feliciter ac prompte corrigi ſe patitur, quid aliis remediis, iisque ſolam antacidam virtutem cuſtodientibus opus, nonne eorum uſu aliquando ipſa acida convenienter porrecta infringi, hebetarique poſſunt? Neſcio certe, quis tandem peſſimum illud cacoëthes felix exſtirpaturus eſt, quod ſine ratione pene in omnibus affectubus recurrit ad præcipitantia. Confitetur ultro, qui aliter in febribus ingenti farragine abſorbentia & terrea teſtibus ipſius tabulis præſcribere ſolet cl. JUNCKERUS: (*f*) *Non ad ſpeculationes referendam, ſed practicam eſſe quæſtionem: Num bilis ſit alcali vel acidum, ſi enim, inquit, alcalicæ eſſet indolis, fruſtra ei abſorbentia & præcipitantia opponerentur.* Verum licet adhuc ambigere videatur JUNCKERUS, nulla certe hodie amplius quæſtione opus! Sed certe aſſerere licet, bilem alcalinæ eſſe indolis, ſique nulla admi-

(*d*) pag. 563. Operum. (*e*) in obſ. chem. pag. 203. (*f*) Tab. LXI. pag. 507.

admiſta peregrina corruptela ſola acrior juſto reddatur, nullam aliam acrimoniam cadere in bilem quam alcalinam; Falſiſſimum ergo eſt, quando nihilominus ſequente pagina JUNCKERUS, prioribus forte non, ut decebat, ſatis ponderatis, ſcribit: *Abſorbentium uſus in febribus bilioſis rationi quidem & experientiæ reſpondet, illud autem obſervandum eſt, quod hæc remedia acrimoniam tantum temperent, quare illis ſolis non fidendum.* Dicerem lubentius, quia abſorbentia acrimoniam bilis neutiquam temperant, illis etiam in febrium curatione nunquam fidendum.

§. 9.

Pervellem ego, ut ne quidem febrium bilioſarum nomen adeo vulgatum exiſteret, omnibusque ſtatim febribus imponeretur, quibus iræ affectus occaſionem dedit, quia, miſſis aliis in curatione reſpectubus, plerumque de bile ſola cogitare ſolent Practici, quam dein vulgari recepta methodo corrigere nituntur. Furioſo huic pathemati directe certe cum bile nullum commercium, ſed ira dum omne genus nervoſum commovet, agitat, convellit, ſtricturasque ſpaſticas nerveis membranis inducit, ventriculus cum inteſtinis ob ipſam fabricam nervoſam male afficiatur, & per accidens quaſi ſimul commoti ductus biliarii copioſius liquidum, quod vehunt, eructent neceſſum eſt. Interea ſi ab omni etiam bilis effuſione abſtrahere, illamque prorſus non ſupponere velimus, ſolus iracundus animi affectus ad peſſimas febres excitandas ſufficit, licet eas iræ ſaltem tribui vulgo audias, quatenus bilis effuſionem ciet. Neminem credo Medentum latere poterit, terrorem ſubito incuſſum haud raro periculoſis febribus anſam dare, quum tamen neque bilem commoveat, neque humorem alium, neque materialem quendam ſtimulum villis cordis arteriarumque imprimat; idem ergo de ira ſtatuendum eſt, etſi nullus nego, bilis acrimoniam ſimul cauſſæ vices poſſe ſuſtinere. Sequitur autem facile, decenti rerum harum conſideratione, non ſufficere febri per iram enatæ præcipitantia, aliaque bilem corrigentia & evacuantia, ſed maximopere requiri curationem moralem ipſius affectus, motusque anomalos nervoſi generis, inductamque eapropter celeritatem circuli ſua ſibi depoſcere pharmaca ſedativa, demulcentia, diluentia, refrige-

Febres ab iracundia natæ, febrisque ardens ſecundum excellentiam bilioſa communiter dicta neutiquam a bile.

rantia &c. Longe ergo alia bilioſarum febrium ex iracundia prognatarum facies eſt, ac communiter putatur. Porro etiam hactenus nequivi comprehendere, quo jure cauſus ſeu febris ardens bilioſis febribus annumerandus veniat, multo minus, qua ratione promiſcue uſurpari poſſit Practicis nomen febris ardentis & febris bilioſæ. Cauſum ſeu febrem ardentem Medici nominamus illam, quæ præter alia acutarum ſymptomata calorem ad tactum fere urentem, ſiccitatem cutis & linguæ ſummam, ſitimque inextinguibilem junctam habet, atque diebus imparibus exacerbatur. Sunt hæc ſigna morbi pathognomica, quæ ubi obſervantur in febre, illa, communi Medentum conſenſu, refragrante nemine, febris ardens ſeu cauſus ad hunc diem appellatur. Talem febrem, quam depinxi, cum omnibus illis ſymptomatibus pathognomonicis non ſaltem oriri poſſe, ſed ſæpe ortam obſervari a prægreſſa gravi iracundia, probe ſcio; ſique ira & bilis pari ſemper paſſu ambulant, in febribus excitandis, patiar lubens, (quid enim impedit?) ut hæc febris audiat bilioſa. At vero provoco ad Practicorum obſervata cauſum cum ſuo ardore, ſiti, ſiccitate, ſummis, neque minus cum ſua exacerbatione diebus imparibus contingere ſolita, millenis vicibus ſine ulla iræ affectu prægreſſo æque fuiſſe ſuſcitatum, ſi forte quis calido ſub Jove cucurrerit diutius, ſi ſitim clamoſam per longum tempus liquido congruo non reſtinxerit, ſi labore ingenti vires exhauſerit, ſi aquas vitæ (mortis verius) nimiis doſibus ingurgitaverit, & quæ ſunt reliqua. Jam autem quæro ingenuus, an ejusmodi febris ardens etiam dicenda eſt bilioſa? Stylo Vratislavienſi ita diceretur omnino, quia æſtu immani ſtipatur, at vero dum inter bilem & curſum, ſitim, laborem, aquas vitæ, nullus unquam nexus deprehenditur, abſonam eſſe illam denominationem nemo prudentum, ut ſpero, ibit inficias. Sane fœde & turpiter ille fallitur, qui veram febris ardentis ideam in bilis vitio ponendam reputat, cum potius genuina ipſius facies ſit ſanguis denſus, ſolidus, compactus, phlogiſticus, arterias minutiſſimas obſtruens, univerſalemque fere in toto corpore inflammationem excitans. Cumque illis omnibus, quibus vis competit ſanguinem talem progenerandi, poteſtas quoque inſit progene-

randi

randi febrem ardentem, id quod de ſiti longius tolerata, de labore nimio; de motu muſculari diutius exercito &c. valet utique. Atque hæc probationi, quam promiſeram, ſuffectura credo, falſum eſſe, adeo a bilis acrimonia produci febres; ſique forte interdum ab eadem producantur, vanum tamen eſſe uſum terreſtrium abſorbentium. Quæ vero de horum remediorum inani adhibitione ita eloquor, illa quidem omnino reſtringo ad eam bilis acrimoniam, quæ ipſi propria eſt, nullumque alienum vitium admixtum habet. At ubicunque acidum hærens in primis digeſtionis officinis cum bile confuſum fuerit, tum non bilis certe, ſed ſolius acidi, aut peculiaris acrimoniæ ex concurſu bilis & acidi emergentis reſpectu, abſorbentes pulveres lubens concedo, & laudibus ſuis condecoratos maximopere commendo. Hanc bilis acrimoniam ſi quis acido-corroſivam nuncupare voluerit, haud repugno, talemque in pueris lactentibus ordinarie, in adultis non raro peccare nimis novi. Illis, ubi lac ſuctum nec digeſtum rite pro ſua indole naturali acorem contrahit; Hi quando ira forte perciti cibos, potusque acidos, aceſcentes, fœculentos aſſumſere, facillime eam, quam loquor, acido-bilioſam acrimoniam in ventriculi & duodeni cavo generant. Atque hæc quidem eo virulentiæ proceſſiſſe non ſemel viſa eſt, ut alvi excrementa lintea non tantum, ſed ænea vaſa, quibus excepta ſunt, arroſerint. Et tum ſtatim color excrementorum virideſcens præſentiam hujus acrimoniæ palam loquitur, quando experiundo conſtitit, acidum quodcunque bili miſtum mox ipſius flavedinem tollere, viridique pigmento illam imbuere, quare, qui huc facientia experimenta varia eleganter inſtituit, cl. Baglivus, bilem intenſe viridem intenſam aciditatem ſignificare, pronunciavit. (g) Atque hæc tandem bilis conditio, æruginoſa, porracea, ut ab autoribus depingitur, luculenter docet, quando & quousque illi corrigendæ inſerviant terrea abſorbentia, quorum uſum non indiſcretim admittendum, ſed probe limitandum eſſe, non poſſunt diſſimulare, qui diſtinctius ejus indolem fuere contuiti. Ita mod. laudatus Baglivus non vaga commendatione cryſtallum montanam ad bilis acrimoniam, quod aliis multis ſolenne

(g) diſſ. de experim. circa bilem. oper. p. 429.

ne eſt collaudat, ſed contra acida potentia bili nupta cryſtallo montana utitur. (*h*) Quam quoque non omnis in genere ſed porraceæ bilis, id eſt illius, quæ acidum admiſtum gerit, alexipharmacum ſalutant LANGIUS (*i*) & Valeriola. Cumque bilis ejusmodi perpetuo fere peccet in infantibus lacte materno utentibus, ex vero aſſerere potuit STAHLIUS, inter præcipua remedia infantibus dicata Cryſtallum montanam ſibi locum eminentiorem depoſcere. (*k*) In horum itaque febribus curandis, & hanc & alia abſorbentia convenientius uſurpari, quam in adultorum febribus, liquido opinor ex præcedentibus innoteſcit.

CAPVT XVIII.

Terrea exanthematibus febrilibus ineptiſſime deſtinari oſtendit.

§. I.

Terrea exanthematibus febrium ordinarie dicantur.

HÆc de uſu vario & otioſo terreorum in febribus expoſuiſſe hac vice ſufficiat, cum nil amplius ſupereſſe videam, quod ipſi patrocinetur, ſi omnia ſecundum rationem agenda ſunt Practico. Amplus interim adhuc campus differendi panditur, quando ſeorſim exanthemata febrilia conſiderare lubet, atque quia ab iis omnino indicari terreſtrium pharmacorum adhibitionem conſtans inter Medicos eſt opinio, de qua ambigere, tot claris viris ultro inter ſe conſentientibus, vix aliquis audeat, operæ pretium facturus ſum, quando jam, opportunam occaſionem nactus, miſerrimum hoc præjudicium ſtrenue impugnavero. Olim equidem, quoties in acutis febribus in corporis cortice puſtulæ maculæque apparebant, aut eas apparituras fore, Medicis naſcebatur ſuſpicio, ſtatim Tincturis bezoardicis, volatilibusque & acribus remediis pro virili pugnabatur, ut latens in interioribus virus quantocyus ejiceretur, ſimulque regiminis beneficio juvandam eſſe excretionem illam ſalutarem cutaneam perpetuo inculcabatur. At vero poſtquam innumeris funeribus eheu! innotuit hanc violentam & Her-

(*h*) l. c. oper. pag. 441. (*i*) Lib. III. Epiſt. 4. (*k*) Mat. Med. Germ. Tit. XI. pag. 299.

Herculeam medendi methodum eousque validam habendam eſſe, ut non tantum protrudendis exanthematibus, ſed & ægris ipſis ex orbe expellendis, ſi ulla alia par exiſteret, cautius pauliſper mercari docti ſunt Medici, maxime cum immortalis SYDENHAMUS peſtiferam hanc therapiam longe lateque in omni Europa epidemice graſſantem, ipſisque morbis, quibus deſtinabatur, innumeris modis pejorem, vel famæ ſuæ incurius & quaſi contra rapidiſſimum torrentem navigans, primus publice rejiceret, prorſusque contrariam viam ineundam eſſe audax clamaret. Ab eo deinde tempore fere in deſuetudinem abiere ejuscemodi remedia, licet illius rudera quædam in moderna praxi adhuc ſuperſint; ac cum, temperatam atque placidam methodum furioſæ illi præferendam eſſe,plerique aliorum damno ſagaciores redditi perſpicerent,miſſis prudenter remediis multum nocentibus inter meliora,quibus ſuas laudes nullus derogo, tamen etiam nil juvantia uſurpari cœperunt. Et ſub hoc quidem titulo terrea ad unum omnia comprehenſa volo, quibus ſi dextre conſiderentur, nemo Medicorum, ineſſe vel tantillum virtutis,quæ exanthematis alicujus indoli reſpondeat,ullo ſano ratiocinio poteſt evincere. His tamen non obſtantibus, quam ingens in febrium exanthematicarum medela ad hunc diem abſumatur terreſtrium apparatus,ſatis cum Pharmacopœorum famulis norunt omnes, qui trivialem curationis methodum perſpectum tenent. Nolo ex diſpenſatoriis, inter quæ, quod dolendum, ne unicum excipiendum habeo, corradere omnes pulverum formulas, quæ vel exanthematibus in genere omnibus, vel ſeorſim aut variolis, aut morbillis, aut purpuræ &c. deſtinatæ habentur, atque ejusmodi puſtularum exitum peculiari quadam virtute adjuvare, vel & efficaciter eas expellere dicuntur. Neque autorum practicorum libros allegare animus eſt, cum omnes fere deberem adducere; tanta enim ubique terreſtrium pulverum ad morbos exanthematicos percurandos farrago adducitur, ut verbis exprimi nequeat. Nil ergo mirum, quando antimonium diaphoreticum, C. C. præpar. mandib. luc. piſc. bezoardicum minerale & alia hujus furfuris,una cum pulveribus officinalibus, ex ejuscemodi quisquiliis compoſitis toto die ægris a Practicis clinicis obtruduntur.

 Nil

Nil mirum, ubi hi, rem bene geſſiſſe, atque ſuo munere ſeſe optime fuiſſe defunctos, præfracte opinantur, illorum remediorum præſcriptione, quæ temperatiſſima ipſis dicuntur ſecuriſſima, imo vero innoxia penitus, atque eapropter communi conſenſu civitate donata. Ohe! quantis tum elogiis concelebratur innocens & inanis ejusmodi pulvillus, quando ipſo aſſumto exanthemata cum ſymptomatum forte allevamento erumpunt, licet ille maximam partem faucibus, viisque illis, quæ ad ventriculum ducunt, adhæreſcat, ſanguinisque oceanum ne attingat quidem; licet morbus ſuapte ſponte ad deſcenſum tendens virtute vitali ſuperatus terminetur. Plura memorare teneor, Medicorum Practicorum recentiſſimi, qui vel data opera ſeorſim vel incidenter de exanthematum retrocedentium noxis in febribus ſcripſere, tantum non omnes pulveres ex lap. bez. C. C., ebore, matr. perl. margaritis, terris ſigillatis &c. ſolos vel aquis diapnoicis, ut loquuntur, admiſcendos, eximia eſſe præſidia ad noxiam materiam iterum e penetralibus corporis ejiciendam, & ad corporis ambitum, ex quo retro ſublapſa fuerat, denuo propellendam, palam afferunt. (*l*)

§. 2.

Ingenium exanthematum febrilium.

Atque talia & his affinia practica præcepta tyro olim Medicæ artis ſæpius lecta, ſæpius mihi inculcata memini; novellus dein Practicus aliorum quos fama evexerat legens veſtigia ſæpius audita recordor. Hæſit vero ab ipſis ſtudiorum primitiis menti dubitatio, hæſit ſciendi cupiditas, quid tandem terreſtribus abſorbentibus commercii relationisve intercedat cum exanthematibus, namque ad hunc diem hoc ipſum intelligere nequivi. Id interim reperitur veriſſimum, ad hunc diem communem medendi methodum exanthematibus dicare hujus generis pharmaca, quare ſine hæſitantia affirmare audeo, plurimos Medicinæ Practicos exanthematum febrilium ingenium, cauſas, fiendi modum, prognoſin, indicationes, remedia appropriata aut non intelligere, aut notitiam illam, quæ unicuique diligentius attendenti obvia atque clara eſt, negligere, inſuper habere, introductæque ſemel endemicæque

(*l*) Vid STAHLII & COSCHWITZII diſſertationes, de exanthematum retrocedentium noxis.

que therapiæ indulgere nihilominus. Dura hæc dictu videntur, ſed vera ſunt, atque hujus veritatis confeſſionem ſinceram extorquet amor proximi, tenerrimusque, quo in artem meam feror, affectus. Atque nil moror amplius, quia publice hæreſin meam ab articulis fidei plerorumque Medentum valde deflectentem ingenuus profitear. Exanthematum nomine Medicis, ut notum, venire ſolent maculæ, papulæ, puſtulæ præter naturam in pectore, dorſo, collo, facie, femoribus, demumque in omni cutis ſuperficie apparentes, coloreque modo ſubroſeo, modo purpureo, luteo, viridi, cœruleo, violaceo, nigrove inductæ. Jam autem omne cutis integumentum vaſculoſum exiſtere, atque non modo arteriis, venisque ſanguineis copioſiſſimis, quas cera RUYSCHIANA ſtupenda plane arte primum rite detexit, ſed & arteriis ac venis aliorum generum, ſanguineisque minoribus inſtructiſſimum haberi, ex ſubtiliori anatome omnibus notum. In his vero diverſi generis vaſculis perpetuum dari liquidorum certi generis definito vaſorum generi reſpondentium circulum, ipſa primaria cutis functio perſpirationis ſucceſſus ſine circulo humorum haud concipiendus liquido teſtatur. Atque dum exiliſſima vaſculorum oſtiola ſuperficiei cutaneæ inſculpta perpetuo fluidum aliquod tenuiſſimum exhalant, inhalantque, nullam in ipſis his vaſculis ſecundum naturam dari liquidorum quietem, ſed perpetuo motu eadem agitari ſponte puto innoteſcit. Quando ergo exanthemata omnia præter naturam cuti inhærent, ſtatim ultro naſci debet, mea quidem ſententia, argumentatio, omnia exanthemata neceſſario vitium circuitus humorum tenuiſſimorum per vaſcula cutanea involvere, teſtarique illa, luculenter adeſſe in iis vaſculis ſtatum præternaturalem motui circulatorio naturali contrarium, adeoque neceſſario liquidorum ſtagnationem. Namque quoties exanthemata adſunt, hærere in cute aliquid non circulans, fixum, immobile, imperſpirabile, ſolus opinor ocularis inſpectus docet. Conſtat ergo exanthemata omnia involvere humorum quorundam in cute ſtagnationem. Nondum autem hæc ita cognoviſſe ſufficit, ſed cauſæ, quæ ulla ratione ciere poſſunt ſtagnationem illam, diligenter indagandæ ſunt. In has autem ſi accuratiſſime inquiramus,

nullas alias inveniemus poſſibiles præter ſequentes. Poteſt videlicet circulus cutaneus turbari, oririque ita in vaſculis cutaneis liquidorum ſtagnatio I. ſi ipſum liquidum, qualecunque demum id fuerit, mole ſua vaſis ſui diametrum exceſſerit, ſeu eam acquiſiverit ſpiſſitudinem, ut progredi per illum haud valens obſtructionem, ſtagnationemque pariat. II. Si liquidum per proprium ſibi vaſculum arterioſum rite motum non tranſeat in reſpondens illi venoſum vaſculum primi generis, ſed vi adigatur in vaſculum arterioſum ſecundi generis, hincque ob molem diametrum peregrini vaſculi excedentem, in hoc peregrino vaſculo ſtagnet: Vel ſi liquidum primi generis exempli cauſſa tenuitatem naturali majorem acquiſiverit, ut vas peregrinum intret, tamen vero in eodem ſtagnet. III. Si vaſcula quædam cutanea in ſua continuitate ſolvantur, rumpanturque, ac diſrupta ſua liquida ſub epidermide effundant, quæ ibidem tunc extravaſata hærent & ſtagnant. Atque ad hæc tria momenta ſola redeunt omnes ſtagnationes humorum cutaneæ, ergo omnia exanthemata, vixque eſſe poſſibile crediderim, ut alius fiendi modus a quopiam ad propoſitos non referendus indigitetur.

§. 3.

Cauſæ in febribus generantes exanthemata.

Sed hæc de exanthematibus in genere conſideratis. Ordo nunc dicendorum jubet, ut ipſa ceu ſymptomata febrium contueamur, atque ſtatim ſedulo inquiramus, qua ratione febris, ſeu velocior circulatio ex ſua indole phyſica tres modo enarratas proximiores exanthematum cauſas, quæ conſtanter & abſolute ad earum præſentiam requiruntur, valeat producere; tum enim nil magis obſtabit accuratiſſimæ cognitioni exanthematum, quoad ingenium, cauſas, fiendi modum, prognoſin, indicationes, curationem, remedia; quæ omnia neſciri aut negligi communiter in ſuperioribus edixi. Atque quod primo liquidi ſpiſſitudinem, immeabilitatemque attinet, illam a velocitate circuli, caloreque ipſam velocitatem ſtatim inſequente, quam faciliime produci, neminem equidem fugere arbitror. Sit nimirum in homine quocunque ſanguis omnis ita tenuis, fluidus, ut liberrime per exiliſſima primi generis vaſa in orbem feratur, fac vero nunc ſubito circulum augeri, quid inde? Certe

augmen-

augmento circuli ſine mora accedit augmentum caloris, quoque magis intenditur calor, eo magis, elegantiſſimis experimentis teſtibus, ſanguis denſior compactiorque redditur; quo denſior ſanguis eo minus aptus, ut tranſeat capillaria, en ergo rationem ſufficientem, cur in exiguis vaſculis glandulisque cutaneis tum ſtagnare poſſit. Primus ergo modus innoteſcit generationis exanthematum in febribus ob ſanguinem denſum & ſpiſſum redditum a febre. Pergimus ad *ſecundum*, ingreſſum nimirum liquidi in vaſa aliena ac ſe tenui ori ſaltem vehendo dicata. Neque quomodo & hic a febre excitetur adeo difficile explicatu habendum. Scilicet ſi actio cordis arteriarumque febre poſita reddatur velocior & fortior, ſimulque ob inſequentem ſtatim calorem rarefactio liquidis inducatur, quid mirum, ſi hæc majus ſpatium priſtino affectantia, vixque a propriis ſuis vaſis coercenda, proniora fiant ad ingreſſum in aliena, maxime ſi urgens a tergo impetus naturali multo auctior alveolum alieni canalis ita diducat, dilatetque, ut admittat fluidum, manente naturali diametro, haud admittendum, quod tum in eodem canali neceſſario ſtagnat. Fac igitur in arteria capillari cutanea ſanguinem adeo violenter pelli trudique, ut tranſeat in arteriam ſeroſam cutis, ductumve excretorium ſudoris perſpirationisque liquido ſaltem vehendo eructandoque dicatum, nonne ſtatim ibidem hærebit, efformabitque maculam puſtulamque ſtabilem præternaturalem, igitur exanthema. Illuſtrant hoc aſſertum egregie & veritatem illius optime oſtendunt injectiones Ruyſchianæ, quibus, ſi dextre adminiſtrentur in cadaveribus exanthemata, pro lubitu creari poſſunt, quæ nulla alia ratione emergunt, quam quia cera rubicunda valido niſu urgetur in vaſa ſanguineis minora. Quam pulchre hoc licet applicare ad impetum ſanguinis rubri in homine vivente! En ſecundum modum, quo febres ex ſua indole exanthemata generant. Supereſt tandem *tertius*, quem a vaſculorum minutiſſimorum ruptura deduximus. Quomodo igitur de febre aſſeri poſſit, quod ſolvat in ſua continuitate minutos canaliculos, nunc videndum. Puto vero ego febrem eam ſolutionem continuitatis inducere facillime, partim ob impetum fluidorum naturali majorem, partim ob acrimoniam fluidis conciliatam. Datur ſcilicet in omni

febre ſine dubio impetus fluidorum naturali major, quod nemo negaverit, datur ergo & diductio ac extenſio laterum vaſorum naturali major; quodſi igitur ſupponatur in minutis vaſculis eousque diduci fibrillas ea componentes, ut pro ſua pulpoſa minusque elaſtica indole cedere amplius, renitique neſciant, diſſiliant omnino disrumpanturque neceſſum eſt. Pone autem hoc omne ita occidere minutiſſimis cutaneis vaſculis, & tum ſtatim effluent contenta liquida, cumque a ſola vaſculorum actione, quæ nunc illis abſciſſis & detritis abolita eſt, propellantur moveanturque, hærebunt neceſſario ſtagnabuntque ſub epidermide, efformabuntque exantemata. Videtis, Lectores mei! diſruptionem vaſculorum ab impetu febrili, eaque propter naſcentia exanthemata: ſed & illam pari ratione in febribus ſæpe effici ab acrimonia liquidorum affirmo, quam perſpicue intelligetis, ſi modo in mentem revocare volueritis degenerationem fluidorum ab indole ſua naturali, poſita febre, phyſica neceſſitate emergentem, atque putrilaginoſum ingenium ſenſim induentem, quæ degeneratio partim a ſtagnatione liquidorum ob denſitatem phlogiſticam ipſis motu febrili inducta, partim a rapido eorum propulſu per vaſa excluditur. Concipiatis igitur ante omnia ſtagnare liquidum ſanguineum ſeroſumque ob febris præſentiam denſius redditum & inſpiſſatum, non in cute, quod ne quidem ſupponere volo, ſed in aliquot vaſis interioris corporis; Jam vero notum vobis eſſe exiſtimo, ſanguinem ſive in corpori animali, ſive extra illud conſtitutum, ſi per aliquod tempus hæſerit quietus in calore etiam ſanum nondum adeo excedente, maxime autem ad 70. gradus accedente (*ll*) fieri ſenſim tenuiorem, liquidiorem, ſanioſum, putridum, ex inodoro fœtidiſſimum, cadaveroſum; ex blando inſipido, inſulſo, fracidum, acerrimum, alcalinum; quod omne nemo ſine certiſſimæ ſuæ ignorantiæ teſtimonio negaverit. Sit nunc ichor talis putrilaginoſus acerrimusque præſens in corpore, hæreatque in loco quocunque, is omnino circuli lege abſorptus a venulis bibulis, exceptusque a liquidis circulantibus, iisque miſtus poterit deferri per vaſa omnia corporis, & ad partes omnes corporis. Deferatur vero maxime ad vaſcula cutis vel beneficio regiminis

(*ll*) Vide Bœrhaav. Chym. Tom. II. p. 305.

minis ibidem minorem reſiſtentiam in vaſculis parientis, vel ex alia cauſa quacunque. Quia igitur per demonſtrata minimum eſt alcaleſcens, acerque ſi nondum alcalicus & acerrimus; Licet forte majora ſolidioraque vaſa (per quæ delatus eſt antequam deferretur ad minuta, pulpoſamque magis indolem nacta,) acrimoniam ipſius ſine ſenſibili noxa tulerint, tamen minuta hæc & molliſſima eam non æque ferent, ſed exedentur, erodentur, abſcindentur, ſine dubio eadem ratione, ac ſal alcali quodcunque cuti impoſitum vaſa exedit, erodit, abſcindit. Atque ita inflammatiunculæ glandularum cutanearum excitabuntur, vel, ut effuſa liquida ſtagnent ſub epidermide, eamque in bullulam elevent, efficietur. En ergo iterum exanthemata ab acrimonia liquidorum per febrem inducta, & primo quidem quatenus febris inducit ſtagnationes ſanguinis, a quibus degeneratio ipſius in horridam indolem prognaſcitur. Sed & motus circulatorius excedens ſolus, vel quod idem eſt febris ſola ſine reſpectu habito ad ſtagnationes prægreſſas degenerare facit humores in liquamen fœtidum putridumque, ut antea jam edixi. Omnis nempe febris effectus ob calorem comitem eſt corruptio humorum in putridam naturam vergens, qua ſalinæ & oleoſæ ſanguinis particulæ, blandæ, adiaphoræ fixæ, ammoniacales, redduntur rancidæ, volatiles, alcaleſcentes, putridæ, acerrimæ, ut adeo ab acrimonia ita enata facile eroſiones, deſtructionesque vaſculorum cutis, eumque iis ſtatim exanthemata enaſci valeant. Quin & ſanguis converſus in liquamen ichoroſum, tenuiorque ſic redditus facilis tranſibit in aliena vaſa, in quæ antea naturalis adhuc tranſire nequiverat, atque & hac ratione exanthematibus anſam dabit, quod momentum ad ſecundum modum generationis exanthematum adhuc pertinens, tertio nondum expoſito intelligi non bene poterat, adeoque hucusque fuit differendum.

§. 4.

Atque ex his omnibus ita decenter prælibatis tandem emergit vera & in praxi quam maxime utilis exanthematum cognitio, qua ſine nil prudenter agitur, nulla vera & adæquata remedia ægris præſcribuntur. Nimirum definiri realiter commode nunc pote- *Indicationes præſentibus exanthematibus, aut futuris iisdem, naſcentes.*

Poterunt exanthemata febrilia, quod ſint maculæ, puſtulæque cutaneæ diverſi coloris ex ſub-roſeo in nigrum usque per gradus varios tendentis, a ſtagnatione humorum in cute, vel ob liquidum denſius, vel ob errorem loci ſeu tranſitum ejus in vaſa aliena, vel ob diſruptionem vaſorum, contentorumque fluidorum effuſionem enatæ. Vidimus opinor clare ac perſpicue triplicem geneſeos exanthematum rationem, neque opus eſſe exiſtimo, ut plura de hoc argumento ediſſeram. Quid ergo judicabit peritus Practicus, quando exanthemata videbit effloreſcere in cute, quid molietur ſua arte? An ullus doctiorum Medicorum theoriam exanthematum modo expoſitam intelligens, directoque obtutu adſpiciens audebit affirmare, exanthemata indicare pulveres terreos & abſorbentes? Pudeat illos omnes, qui rationales Medici audiri cupiunt, qui Doctoris prærogativam, immunitatesque ab Academiis retulerunt, pudeat illos plus quam plebejæ medendi methodi, remediorumque turpiſſimam eorum ignorantiam vel deſidiam erudito homine indignam palam ſignificantium! Sane omnia exanthemata per præcedentes demonſtrationes teſtantur aperte de vi vitæ nimia, ſeu de circulatione nimis aucta, de humorum inſpiſſatione, immeabilitate, ſtagnatione, de vaſculorum minutiſſimorum obſtructione, inflammatione, de degeneratione humorum innocentium blandorum in nocentiſſimam, acerrimam, putridam, gangrænoſam, de vaſculorum pulpoſorum molliſſimorumque exeſione, abſciſſione, deſtructione, detritione. Ad has fluidorum ſolidorumque in corpore ægro conditiones attendendum eſt prudenter curaturo febrem exanthematibus ſtipatam, hisque adeo præſentibus ſapientiſſime deliberandum, quæ modo recenſitarum conditionum præſto ſint, quæ metuendæ ſint, quæ ferri ſalva vita queant, quæ interitum miſeri ægrotantis minentur. Certe indicationes ſobriæ ac rationales, quæ ex antecedentium conſideratione prognaſcuntur, erunt omnino, coërcere effrænem circulum; Diluere, attenuare, ſolvere humores inſpiſſatos; Aperire & recludere obſtructa vaſcula; Inflammatoriam eorum diatheſin præpedire aut removere; Acrem putridamque humorum indolem in quam degenerant, cavere, corrigere; Deſtructionem vaſculorum

lorum,quantum fieri poteſt,declinare; Quæque harum indicationum præcipue implendæ ſint, ſagacitas Medici,ad omnia, ut decet, attenti,commonſtrabit. Erunt itaque appoſitiſſima & indicata exanthematum remedia,pro circumſtantiarum varietate, VS., diacodiata, diluentia, attenuantia, ſolventia, ſaponacea, relaxantia, nitroſa, ſub-acida, antiſeptica, demulcentia, revellentia, vixque alia prudenter uſurpanda ſuperſunt. Audax aſſero hæc egregie, hæc ſola reſpondere indoli exanthematum penitius cognitæ; Vellem vero, ut me ignorantem doceret aliquis, ad quam horum remediorum claſſem pertineant pulveres fixi terrei, diapnoici, abſorbentes, bezoardici, nil enim me movet, ut elogiis ſolis, quæ ipſis a claris Viris tribuuntur, contentus ſim, ut in eorum auctoritate & fama acquieſcam.

§. 5.

Atque hæc de cutaneis exanthematibus, horumque generationis ratione hac vice ſunto ſufficientia, reſtat quippe alia adhuc eorundem conſideratio, quam maximi momenti exiſtere, praxique medicæ multum lucis affundere, valde perſuaſum teneo, quare in eo ſum, ut ipſi aliqualem operam deſtinem. Docui hucusque fuſius ex natura febris poſſe accidere, ut hæreat liquidum ſpisſum in vaſe capillari cutaneo, ut liquidum impetu adigatur in vas alienum, ut vaſcula quædam cutanea rumpantur, ut his poſitis naſcantur exanthemata. Conſtat autem ex anatomicis, cutim longe denſiorem exiſtere, quam ullam corporis interni membranam, omnemque cutis ſtructuram, quoad nervos & vaſa, multo firmiorem, compactiorem, magisque elaſticam haberi, quam ſtructuram viſcerum internorum ſine exceptione omnium, quorum vaſa flexilia, mollia, tenera valde, cutaneorum intuitu viſuntur. Quodſi ergo vaſcula cutis obſtrui, vel a ſuo, vel a peregrino humore, quodſi ea penitus rumpi poſſunt, poſita febre, quid obſtat, quo minus aſſeram, multo facilius idem illud tenerrimis viſcerum membranarumque internarum vaſculis accidere poſſe; Cum vero hæ conditiones vaſculorum cutis involvant notionem exanthematum, eadem quoque ratione, quia & in interiora corporis earumque vaſcula illæ conditiones cadunt, internas etiam partes exanthe-

De exanthematibus internis nonnulla.

anthematibus laborare poſſe, quando externæ illis laborant, affirmare fas erit. Nil video ego, quod huic ratiocinio repugnet; quin & ejus veritatem adſtruit experientia, qua conſtat, in cadaveribus febribus exanthematicis demortuorum, omnem ſæpe viſcerum ambitum obſeſſum exanthematibus fuiſſe deprehenſum, de qua re conferri merentur FERNELIUS, (*m*) KERKRINGIUS, (*n*) BARTHOLINUS, (*o*) PARÆUS, (*p*) SALMUTHUS, (*q*) & alii. Atque hæc interna exanthemata, quæ, quoties externa in cute viſuntur, ſæpe eadem neceſſitate, eadem certitudine, eodem tempore in viſceribus ſimul efflorеſcunt, altioris omnino ſunt indaginis, ſeveriſſimamque animadverſionem promerentur, licet de eadem raro in triviali praxi cogitetur. Scilicet ſint ſanguinea cutis vaſcula hinc inde cruore denſo, phlogiſticoque obſtructa, hæreat in ductibus excretoriis cutaneis liquidum alienum, cui transmittendo illi ſunt impares; Sint porro canaliculi cutanei magno numero abſciſſi & diſrupti, liquidaque ex iis effuſa, an vitæ eapropter periculum imminet? Vix crediderim. At vero, quodſi forte cutis exanthematibus conſperſa ſit, ſpeculum fidele & minus fallax, quod internorum abditorumque viſcerum ſtatum oculis coram objiciat, an putas ſanitatis vitæque reſpectu inter adiaphora referendum fore, ſi viſcerum canaliculi ſint obſtructi, inflammati, diſrupti. Proh DEUM immortalem! quis hoc dixerit facile? Atque ante omnia quale præſagium formandum erit Medico, ſi forte vitalia viſcera eadem fata experiantur? Quæ prognoſis naſcetur, ſi pulmonum, cerebri, cerebelli vaſcula, æque ac cutanea obſtruantur, inflammentur, in ſua continuitate ſolvantur? Sane vix ac ne vix quidem talis æger ſervabitur, ſed phyſica ipſi impoſita erit moriendi neceſſitas, quod facile intelliget quivis, cui ſtructura harum partium, fineſque, quibus illæ ſerviunt, accuratius cognoſcuntur. Bene agitur cum ægro febriente laboranteque ſimul quibuscunque exanthematibus, quorum denominationem & formam curioſe nimis attendere nil attinet, modo colore læto roſeo vel purpureo non adeo ſaturato picta fuerint, ſi functiones vitales

(*m*) Lib. II. c. 12. & de febrib. c. 18. (*n*) Spicileg. anat. obſ. 62. (*o*) Cent. II. epiſt. 85. (*p*) Oper. lib. II. c. 1. (*q*) cap. 2. obſ. 32.

vitales cerebri, pulmonumque a naturali ſtatu haud recedant, beneque de ejus ſalute ſagax ſperare poterit Medicus. At væ illi! cui obſcure rubro, violaceo, cœruleo, nigro pigmento, quod gangrænam, ſphacelationemque humorum prodit, exanthemata in corporis ambitu veſtiuntur; Væ illi! ſi color etiam maxime ſit lætus, qui ſimul cephalalgia immani torquetur, qui delirat, qui comatoſus jacet, qui anhelat, qui valde dilatato thorace, ac elevatis claviculis ſpirat, qui cum ſtertore & ſibilo ſpiritum ducit. Eheu! quam periculoſis, quam mortiferis exanthematibus cerebrum cum pulmonibus tum laborare cenſendum eſt! Quæſo autem vos, Medici clinici, an illa medendi methodus, qua in praxi vulgari ad febres exanthematicas ſanandas communiter utimur, ſolidam, ſufficientemque horum omnium notitiam arguit? An ſeveram attentionem ad illas conditiones ſolidorum fluidorumque in internis ſimul viſceribus obtinentem, de quibus exanthematum præſentia nos certiores reddit, aliquis ex levi illa negligenti & incuria medicatione hariolabitur? An potius vulgata loquuntur remedia, nil minus hactenus plerisque fuiſſe cognitum, quam quæ vere indicentur ab exanthematibus, quæ illis medicina ad rationis ductum facienda ſit. Nolite mihi iraſci, obſecro, ſed æquo potius animo feratis, ut decumanos illos errores, circa curationem exanthematum, longe lateque obvios, quibus ſane de corio humano luditur, gnaviter indicem, quique ignorantiæ hujus theoriæ, quam adumbravi, unice debentur, ac ſine ea cognita evitari nequeant. Movet me artis honor, movet ſalus proximi, ut poſthabitis malevolarum obtrectationibus, quæ meo cervici imminent, in argumento, quod expedire aggreſſus ſum, ulterius occuper.

§. 6.

Populare fere in Medicorum ſcholis regnat præjudicium, febres acutas, quæ exanthematibus ſtipantur, deberi ſpecifico cuidam miaſmati, humoribus quomodocunque inſinuato, quod modo purpuram, modo variolas, modo petechias &c. excitet, quando motu circulatorio aucto ad cutem deponatur. Sunt adeo, qui ſingularem quandam principii vitalis ſapientiam, naturæque bene ſuo corpori cupientis vigilantiam inde eluceſcere arbitrantur, *Errores medici circa exanthematum cauſſam.*

 quan-

quando hæc, febre ex conſilio excitata, illas exiguas moleculas ſanguini inhærentes, quæ vitæ infeſtæ evaſuræ erant, ſi retinerentur diutius, ſalutari conſilio e centro ad peripheriam, a nobilioribus partibus ad ignobiliores ablegat, atque quam citiſſime e penetralibus corporis, auctis motibus ſecretoriis & excretoriis, proſcribere laborat. Ita ſcilicet ſenſit, qui primus hanc hypotheſin in artem invexit cl. STAHLIUS: In febribus malignis exanthematicisque humores noſtros, ſerum imprimis corpuſculis atque miaſmatibus peregrinis & hoſtilibus, tenuibus valde & ſubtilibus inquinatos eſſe; Eaque propter principium vitale & movens peculiarem inde alterationem experiri, adeoque ejus materiæ noxiæ expulſionem ſuſcipere affirmans. (r) Eandem deinde ſententiam ulterius propagare & defendere annifi ſunt ipſius aſſeclæ, quos inter celeb. JUNCKERUS, *ipſam naturam, noxiam materiam mole pauciſſimam quidem, ſed agilitate potentiſſimam, corpori inhærentem, ad partes minus neceſſarias, robuſtiores & evacuationi aptas exprimere*, ait, *licet ſæpe, ob peſſimam ejus indolem, inops conſilii, ac in terrorem conjecta, animum & vires abjiciat.* (s) Atque, quod valde mirum, eo procedit alius cl. STAHLII diſcipulus, cl. COSCHWITZIUS, ut diſertis verbis exanthemata pro ipſa materia peccante declaret: *Ortum ſuum*, inquit, *capiunt exanthemata a materia peccante intra humorum maſſam hærente, quæ tanquam noxia & peregrina cauſſam conſtituit morbi præſentis, & a partibus nobilioribus atque internis, ipſis naturæ motibus ad cutis peripheriam tanquam ignobiliorem locum detruditur, ibique colligitur, ut per hanc viam totaliter e corpore eliminetur, nec corporis œconomiæ animali amplius noxia exiſtat.* (t) Videntur autem mihi, ut ingenue veritatem eloquar, modo citati, eosque ſequentes multi alii, clari Viri hic admodum hallucinari, atque penitus confundere cauſſam morbi cum effectu, qui poſita cauſſa morbi in corpore ægro excluditur. Id nimirum lubens ipſis conceſſerim, eſſe aliquid noxium peregrinum, eſſe, ſi ita loqui lubet, virulentum aliquod miaſma, eſſe ſtimulum acrem, qui vel ex aëre humoribus infunditur, vel e corpore jam ægro, mediante

(r) Diſſert. de exanthematum retroceſſione §. 5. (s) Tab. LXX. p. 568. (t) Diſſert. de exanthematum retrocedentium noxis. §. 7.

diante aëre per contagium in aliud migrat, quanquam exanthemata ſæpiſſime ſine his omnibus enaſci credam. At vero, longiſſime a me abeſt, ut perſuaderi mihi patiar miasma purpuraceum, varioloſum, petechiale corpori ægro quomodocunque inſinuatum conſtituere purpuram, variolas, petechias &c. ut maculas illas, puſtulasque pro miasmate cum humoribus ſapienter ad cutim determinato, expulſoque habeam & agnoſcam. Largiuntur,qui in erronea hac opinione verſantur, & ultro aſſerunt,miaſma tale eſſe tenuiſſimum, eſſe ad ſtuporem exiguæ molis, eſſe ſummæ mobilitatis; oſtendant igitur, quomodo cum tenuitate ac ſubtilitate halituoſa miasmatis,omnem ſenſum fugientis,oculis uſurpanda exanthemata,cum exigua ipſius mole univerſus ſæpe corporis habitus exanthematibus refertiſſimus, cum ejus mobilitate ſumma fixa & ſtabilia per longum tempus exanthemata queant conciliari. Fallor ſane, aut aliud quid ac miaſma peregrinum, ſi vel id ad ſtuporem diviſibile,per omnem humorum oceanum longe lateque diffuſum, atque in omnium exanthematum punctis præſens admittam, nihilominus in cute hæret, cujus indolem cognoviſſe, multum ſane intererit,magisque forte, quam indolem ipſius miaſmatis. Loquitur pro me, meisque cogitatis favet nota ubique inoculatio variolarum exigua mole purulentæ materiei perpetrata, cujus exiguæ molis ſaltem longe minutiſſimam portionem ipſum miaſma varioloſum conſtituere, credunt omnes. Quis hic ſerio contuitus ingentem ſæpe confluentiſſimarum variolarum multitudinem, eas pro miaſmate excluſo ad corticem corporis gratis declarabit, non curans amplius, quid ſibi velit omnis ille morbi adeo verſicoloris apparatus, quid proprie ſint variolæ, unde ortæ in ambitu corporis, quem ſtatum humorum corporis, quas vaſorum conditiones indicent, & quæ ſunt reliqua. Videant igitur quam obiter, quam ſuperficietenus illi Medici philoſophentur de exanthematibus, qui nil aliud niſi noxiæ materiæ excluſionem perpetuo clamant, cujus vana atque otioſa allegatio veram ipſorum indolem practico adeo ſcitu neceſſariam, atque ad curativas indicationes dextre efformandas prorſus pertinentem, neutiquam exhaurit. Contrariatur omnino ſuperficiali & inanibus ſaltem terminis nitenti huic hypotheſi

verum & eſſentiale exanthematum ingenium, quod in ſuperioribus depingere haud perfunctorie anniſus ſum. Nemo puto hodie ſine turpi deſidiæ nota inficiatur, ipſiſſimam exanthematum naturam in obſtructionibus vaſculorum, in inflammationibus eorum, in putredine & gangrænoſa humorum diatheſi fundari atque abſolvi. Audax vero affirmo, miaſmata qualiacunque, licet per ſe putrediſſima, atque ex ſumma putredine diſperſa in aëre enata, non tamen per ſe, atque immediate in corpore humano ejusque fluidis patrare diatheſes inflammatorias, vel diſpoſitionem ad putredinem, ſed id unice efficere, quatenus vel motui nimio, vel ſtagnationibus fluidorum animalium occaſionem præbent. Si enim eſſet poſſibile, ut, miaſmate tali corpori animali communicato, ejus fluida non moverentur per canales juſto velocius, vel in iis non paſſim hærerent ſtagnantes & quieti, nullæ obſtructiones & inflammationes vaſculorum, nullæ humorum corruptiones putredinoſæ unquam emergerent. Quando ergo in obſtructione, inflammatione, putredinoſa corruptione &c. idea exanthematum unice abſolvitur; hæ autem conditiones proxime a ſtagnatione & motu nimio liquidorum vitalium pendent, ſatis opinor patet, minus ſufficere allegationem miaſmatis ad ſuppeditandam ideam congruam, perſpicuamque exanthematum. Accedit, quoties ob exanthemata aliquis moritur, ipſum miaſma per ſe neutiquam, aut raro ſaltem, ubi peſſimæ indolis eſt, ut in peſte aliquando, necem inferre; ſed quatenus motum liquidorum in vaſis vel auget nimis, vel ſiſtit, hacque ratione ſimul eorum degenerationem a naturali indole ciet. Imo vero accedit porro, miaſma ob ignorantiam genuinæ ſpecificæque indolis, quam gerit, atque ob ignorantiam antidoti illi debiti curatu eſſe impoſſibile, curarique ſaltem poſſe effectus miaſmatis, de quibus, quales vere exiſtant, inter alia optime exanthematum conſideratione edocemur. Maxime vero pro explodenda ſterili hypotheſi, ipſa exanthemata eſſe malignum virus, quod antea humoribus adhæreſcebat, nuncque ſeparatum ab iis & ad cutem delatum, perperam ſupponitur; ſerio animadvertendum eſt, ſi ab omni etiam miaſmate extrinſecus hauſto abſtrahamus, in homine antea ſaniſſimo, puriſſimis, blandiſſimis ac naturali craſi quam maxime ſimillimis humoribus gaudente, oborta

oborta ſaltem febre acuta, ſanguineque partim rapide per vaſa projecto, partim ſimul paſſim in extremis canaliculis quieſcente, excitari ſæpiſſime poſſe exanthemata peſſima, lethifera ex ſola degeneratione humorum ſalubrium ſpontanea, in quam motu, calore, quiete per naturam ſuam feruntur, ut ſuperiori §. abunde vidimus. Nil magis in libris practicorum eſt obvium, quam febrium petechialium, quæ epidemice toties graſſantur, ipſarumque adeo petechiarum cauſam allegari miaſma malignum, fermentativæ, acris, putridæ, cauſticæ indolis, prout ſua cuique placent. At vero forte fortuna in mentem incidit cl. SYDENHAMUM in *ſchedula monitoria de novæ febris ingreſſu*, quæ ſane tanquam epidemica & proprie petechialis haud deſcribitur, annotaſſe ſequentia: *Ab intempeſtivo cardiacorum uſu & regimine paulo calidiori petechiæ ſæpius efflor eſcunt, & in junioribus calido temperamento præditis maculæ etiam purpureæ.* Sane in cardiacis, in regimine calidiori, in calido temperamento juniorum, nullum miaſma peregrinum, & tamen petechiæ. At vero in junioribus copioſus adeſt ſanguis, qui, ſi febre præſente ſubjunctisque cardiacis & regimine velocius commoveatur, tanto citius denſior & phlogiſticus redditur, vaſculaque minima, in quæ impetu valido urgetur, obſtruit & inflammat, rumpit, ac ita petechiales maculas ſiſtit. En peſſima & peſtilentialibus proxima exanthemata ſine prægreſſo ullo miasmate! Atque his quidem me viciſſe autumo, æque forte abſonam eſſe opinionem eorum, qui, quando de exanthematibus verba facienda ſunt, nonniſi de miaſmate ad cutim propulſo colloquuntur, ac hypotheſin cl. RIVINI ab acaris, quos horridis iconibus depingi curavit, exanthemata deducentis, eaque animata eſſe, argumentis parum ſtringentibus, & a tyrone Medico diluendis, adſtruere laborantis. (u) Sed hæc omnia jam ad me non ſpectant, cui cum miaſmate tantum res eſt pro ipſis exanthematibus venditato, quod ipſum eo magis impugnare debeo, quo magis ex præconcepta hac opinione abſurdos in praxi errores, atque vel noxiam vel inutilem medendi methodum ſæpe emergere certus ſcio.

§. 7.

Scilicet innumeris vicibus videas Medicos lectulis ægrorum *Errores medici circa pro-*

ſuorum

(u) Diſſ. de pruritu exanthematum ab acaris.

gnoſin exanthematum. ſuorum aſſidentes de exeuntibus in corporis habitu puſtulis maculisque exultare, atque naturæ medicatricis conamina ad idololatriam usque laudibus extollere; quod ſapienti conſilio inſidens humoribus virus ad corporis ſuperficiem febrili motu depoſuerit. Eaque propter non raro accidit, ut ſua hypotheſi decepti, ac pro criſi habentes exanthemata, quæ ominoſum & peſſimum ſymptoma habere debuiſſent, eo tempore lætentur, fauſtaque quævis ſperent, quo ſapientes, in futurum tragicum hariolari eventum, decebat; ut naturam, cui hæc omnia deferenda putant, amicam & conſervatricem clament, quam novercantem habere debuerant; ut ægrum in vado locatum credant, redditumque iri agnatis promittant, qui diræ mortis ſtigmata in corpore gerit, atque abitum jam ex orbe parat, rebus terreſtribus propediem valedicturus. Varias ejuſcemodi hallucinationes familiares memini, cum ante biennium Vratislavia noſtra populari febre civiumque ſuorum rapaciſſima infeſtaretur; quin ea tempeſtate interdum Medicos nimis bene de exanthematibus exorientibus ſentientes collegis inſultaſſe, eorumque timorem intempeſtivum redarguiſſe, maligne vellicaſſe ſibilisque & cachinnis excepiſſe, quod citra rem inſtare fatalem horam prædicerent, probe recordor. At vero nil mirum eſt, ſtante de excluſione miaſmatis per cutis canales hypotheſi, bono animo ſubinde eſſe Medicos exanthematum eruptionem contuitos, maxime, quando ad illorum colorem a roſeo abludentem haud attendunt, atque eandem ſcenam ludi in cerebro, pulmonibus &c. aut ignorant, aut forte miasma cerebrinum & pulmonale (ſi ad ſtylum ipſorum loqui licet) mentis acie ſaltem percipiendum, oculis non uſurpantes etiam non curant, ſed flocci faciunt. Interim innumeros ægros mortem nihilominus haud effugere, etſi omnis exterioris corporis ſuperficies puſtulis maculisque pingitur, cum quibus ſpem ſummam effloruiſſe præceps nimis & negligens Medicus fruſtra arbitrabatur, locuples experientia commonſtrat. Ex his omnibus igitur, quæ ediſſerui hactenus, abunde eluceſcere convictus ſum, fallaciſſimam illam hypotheſin, quæ pro cauſſa morbi exanthemata habet, bono omine ad cutim eliſa, turpiſſimis erroribus anſam dare, quando de præſagienda vita & morte ægrorum agitur.

§. 8.

Verum enim vero ipſam febribus medendi methodum id præjudicium culpabilem, ac decumanis delictis, quæ toties terra mater abſcondit, refertam, reddidiſſe, nemo ſagaciorum Practicorum ibit inficias. Pendent ab hac radice, infeliciſſima & intempeſtiva illa conamina, in expellendis exanthematibus occupata, quæ nulli ægrotantium unquam profuiſſe, millenis noxas ſæpe inſuperabiles & capitales attuliſſe, certum eſt. Eo magis interea ſedet nonnullorum animis opinio, ablegandum eſſe artis operibus ad corticem corporis hauſtum antea miaſma, quo magis ipſam naturam ducem ſequi ſibi videntur, cujus fidelem miniſtrum Medicum agere oporteat, cujus veſtigia legere ſedulo ipſi perpetuo incumbat. Et hoc quidem fine ſpiritus volatiles, tincturas bezoardicas, remedia theriacalia, maxime ſuperiori ævo millenis vicibus in uſum vocata fuiſſe a Practicis maximam famam aſſecutis, relicta ipſorum monumenta, totque ſuperſtites hiſtoriæ morborum, qui epidemice graſſati ſunt, ita evincunt, ut innocentiſſimorum funerum legentes miſereri debeat, atque iis ſuſpicio naſcatur juſta, forte, quod abominabile dictu eſt, manibus auxiliatricibus Medentum ſæpe plures homines ceciđiſſe, quam fervente bello, aliquo diuturno, hoſtili furore perempti animam exuere. Noſtra equidem ætate vileſcere incepit æſtuoſa illa medendi methodus, medicique ipſis febribus pejores, ſaltem rarius per Dei gratiam viſuntur, at ſi vera eloqui licet, multa tamen proh dolor! ſuperſunt vetuſtæ praxeos rudera, neque penitus ejusmodi remediis caremus, quæ pro juvanda excretione exanthematum forte non raro plus juſto operoſius ad hunc diem exhibentur. Saltem frequentiſſimus in hiſce caſibus uſus mixturæ ſimplicis, eſſentiæ alexipharmacæ Stahlianæ, ſcordii, pimpinellæ &c. decocti alexipharmaci Berolinenſis, aquarum prophylacticarum acrium, ſyrupi contrajervæ &c. fidem meo quidem aſſerto haud ſpernendam opinor conciliant. Quando vero cum horum remediorum, modernis Practicis adhuc adhiberi ſolitorum, tum aliorum volatilium & bezoardicorum, ſuperiori tempore in exanthematicis febribus propinatorum, veram operandi rationem in corpus humanum exacte perpendimus, nulla alia in iis omnibus reſidere deprehenditur virtus medica, præter-

Errores Medentum in Therapia exanthematum, dum 1. vel noxia remedia adhibent.

quam ſola acris & ſtimulans, qua fit, ut, vellicatis, irritatisque vaſorum villis, eorum actio increſcat, omnisque humorum circuitus acceleretur. Quodſi igitur certum eſt, omnia ejuſcemodi remedia accelerare circulum, id quod omnibus experientibus omni tempore manifeſtum eſt, jure etiam de illis prædicabitur, quod polleant virtute excitandi febrem, cumque in ſuperioribus perſpicue docuerim, febrem ſolam ſufficere creandis exanthematibus, nunc quoque certiſſime affirmare licebit, hæc remedia iisdem creandis ſufficere. Non ergo mirandum, Medicos talia in deliciis habentes, non raro votorum ſuorum ſat cito reddi compotes, atque, quæ videre in ægris ſuis geſtiebant exanthemata, amplo numero protrudere. Neque eſt, ut illi boni viri ſibi perſuadeant, relictum eſſe ipſorum arbitrio ciendi ſuis remediis exanthemata in habitu corporis externo eoque ſolo; ſed notent ſciantque velim, ſi frivolo auſu omnem humorum curſum celerius impetuoſiusve provolvi faciant, urgere eos ſimul ſanguinem in vaſa cerebri & pulmonum, ibidemque tum eadem ſæpe neceſſitate maculas puſtulasque naſci, ac in externa corporis ſuperficie. Nonne igitur, quando vultu ad ſeveram deliberationem compoſito Medici adſtantibus edicunt, ſe arte effecturos, ut malignum virus ab interioribus ad cutim propellatur, atque exanthemata erumpant, idem prorſus eſt, ac ſi gnaviter edicerent, ſe arte ſua ſanguinem inſpiſſaturos, ſe inflammationes in corpore creaturos, ſe putredinoſam diatheſin humoribus conciliaturos, ſe vaſcula minuta viſcerum vitalium violenter disrupturos, omnemque paucis impenſuros operam, ut in corpore ægrotantis arte medica eæ excludantur conditiones, quibus poſitis nunquam tuta vita eſt, quibus poſitis millenis hominibus inevitabilis imponitur moriendi neceſſitas. Næ! egregios Medicos, qui non ægro ſed morbo ſuccurrunt, atque ſi forte febris non non peſſima ſua vi nondum creaſſet exanthemata, eandem calidiorum ſtimulantiumque remediorum ope magis accendunt, quo eo certius iis excitandis, ægroque in vitæ periculum præcipitando ſufficiat. Vix puto habere illos artifices exanthematum, ut de re bene geſta glorientur, ut criſtas erigant, ut laureolam inde captent, ſed ſupinam putidamque prodentes ignorantiam, ac facientes impune civium ſuorum cædem, a perditione generis humani ſerio eſſent abarcendi.

§. 9.

§. 9.

Sed mitto tandem has artes medicas, quas atro omnino carbone notare debui, atque a Practicis illas in ſui opprobrium, damnaque ægrotantium exercentibus converto me ad alios cunctatores otioſos, qui ad lectulos ægrorum ſpectatum quotidie veniunt, nullasque laudes alios, ſi illi evadant, promerentur, quam quod violentas manus ipſis haud injecerint. Scilicet poſtquam mille tragicis experientiis comprobatum eſt, ferventem volatilium, theriacalium, alexipharmacorum uſum in morbis exanthematicis, lethalem utplurimum eventum ſubſequi, haud pauci nunc inter Practicos inveniuntur, qui vel plane ab ejusmodi ancipitibus remediis abhorrent, abſtinentque, vel ſaltem ſuſpenſa manu exiguisque doſibus ea propinant, præſtareque bezoardica & diaphoretica fixa palam eloquuntur. Hinc ergo pulveres bezoardici Sennerti, Ludovici, Wedelii, Michaelis, & arcani quidam; item pulveres vitales, neque minus potiones ex aquis male ſæpe olentibus, male ſapientibus, cum ingenti abſorbentium farragine, addita vel interpoſita ſubinde eſſentia dulci, mixt. ſimpl. eſſ. alexiph. creberrime ægrotantium palatis obtruduntur. Docui autem in ſuperioribus luculentiſſime, indicare exanthemata jam nata impetus febrilis refrænationem; ſtagnantium humorum ſolutionem, attenuationem; obſtructorum vaſculorum apertionem, liquidorum diatheſin phlogiſticam gerentium, vel depravatione alcaleſcente inquinatorum correctionem, nilque aliud poſſe arte humana excogitari amplius, quod indoli exanthematum vere quadret, denuo audax, eorumque, quæ ſemel demonſtravi, tenaciſſimus aſſevero. Igitur nunc per DEVM immortalem, per artis honorem, per ægrotorum ſalutem precor Medicos terreis ſuis & inſipidis pulvillis, tempus & ægrorum fiduciam fallentes, quid ſibi demum velit omnis ille terreſtris & abſorbens apparatus, quem nemo ſanæ mentis ad explendas indicationes antea ſtabilitas ulla ratione facere demonſtrabit. Verum eſt, illum eapropter non culpabilem habendum eſſe, quod directe ægris noceat, ſed eum nihilominus vituperia & cenſuram promereri, quod ægros fato ſuo permittat. Nempe quod antea ſatis inculcavi, ut illos Medicos culpandos merito arbitror, qui exanthemata aliter forte ſub-

2. Vel remedia nimis innoxia præſcribunt.

inde haud eventura ipſi faciunt, ita & illos minime laudandos duco, qui præſentibus iis, vel imminentibus otioſos ſeſe gerunt & omni ſua medicatione nil agunt. Quin quod ſatis paradoxum multis lecturorum videbitur, ſine omni hæſitantia contra vulgares & ad hunc diem valentes medendi regulas præfracte aſſero, poſtulare boni Medici officium, ut quantum fieri poteſt prudenter exanthematum geneſin arte ſua caveat, aut ſi id fieri ſalvis ægrorum rebus nequit, ut quam parciſſimam ſaltem eorum efflorescentiam ſagaci auxilio reddere allaboret. Quod aſſertum pugnans cum plerorumque Medentum praxi ut verum eſſe nihilominus clariſſime perſpiciatur, pragmaticam quæſtionem injicere liceat, *an exanthemata in ulla febre ſint ſalutifera?* Clamant omnes, audio, *utique ſæpe!* cum iis excluſis tot ægri reddantur ſanitati priſtinæ. Sed pace rogata, & pauco obſtrepentium, inque me hæreticum debachantium ſilentio impetrato adhuc ſemel quæro: An cruoris inſpiſſationes, an vaſorum obſtructiones, an capillarium canaliculorum inflammationes, an ſanguinis putrilaginoſæ corruptiones, an tenuiſſimorum vaſculorum eroſiones & diſruptiones ulla in febre ſalutiferæ? Hæſitant, video, rigentque adverſarii, & paucorum ex Deorum minorum cenſu invidioſo murmure, ac indignabundis ſanctam ſuam auctoritatem profanari ægre ferentium muſſitationibus exceptis, nemo prudentiorum affirmativum ferre reſponſum audet, ſed communi ore negant omnes, annuuntque lenes & æqui, quando ulteriora ad cauſſam ſtrenue tuendam verba paro. Inſto igitur porro: Si obſtructiones, inflammationes, canalium &c. in febribus non ſalutiferæ, etiam de exanthematibus id non poterit prædicari, quum ſemper ea obſtructiones, inflammationes &c. ſupponant, atque quando Medici quidam minus recte aſſerunt, multos mori cum febre, neminem a febre, ego rectiſſime affirmaturus ſum multos equidem ſalvari cum exanthematibus, neminem ab exanthematibus. Scilicet quousque præſentibus etiam jam puſtulis maculisque vel copioſiſſimis in ambitu corporis, certo conſtat, craſin humorum adhuc parum a naturali declinaſſe, remotioremque eſſe ab ea indole, quæ putredini habetur quam proxima: Porro quousque ex illæſa functione cerebri

pulmo-

pulmonumque adhuc innoteſcit, viſcera hæc vitalia nullis exanthematibus laborare i. e. eorum vaſcula nec eſſe obſtructa, nec inflammata, nec in ſua continuitate ſoluta, eousque ſalva res eſt, ſpesque ſupereſt firma, fore, ut æger priſtinæ reddatur ſanitati. Attamen cum ſemper periculum ſubſit, ne, poſitis ſemel in corpore humano ægro conditionibus iis, quæ præſentibus exanthematibus neceſſario ſupponendæ ſunt, eadem æque obtineant in locis corporis, ubi vitæ infenſæ ſunt, ac in aliis innocuis obtinent, ubi ſine ejus diſcrimine feruntur: cum, inquam, hæc ita ſeſe habeant, apprime ſane rationi reſpondet, illum omnium optime ſuccurrere ſuo ægro, qui prudenter efficere nititur, ut illæ conditiones nullibi obtineant, ſi id executu habetur poſſibile. Quodſi autem vel per morbi genium, gravitatemque, vel per alias quascunque rationes exanthemata evitari nequiverint, vel æger in eo ſtatu ægritudinis verſetur, ut quæ forte in principio impetrari potuiſſet exanthematum præcautio haud amplius ſit poſſibilis, i. e. quando ſanguis ſemel vel vi morbi, vel cunctatione, vel neglectu congruorum remediorum redditus eſt denſus, phlogiſticus, acer &c. tum omnino prudentia jubet medica, ut exanthemata, quantum poſſibile eſt in cutem alliciantur, i. e. ut ſanguis ille qua fieri poteſt arte ad exteriora ignobilia loca evocetur, ac interna ab eodem, quantum fieri poteſt immunia præſtentur; Et hoc quidem reſpectu, eoque ſolo licere Medico clinico juvare geneſin exanthematum in cute aſſevero, nunquam aliter. An vero in hoc caſu tandem aliquando indicabuntur terrea remedia, nil minus hercle! ſed ſola diluentia ſaponacea anti-putrida interne; externe mollientia, relaxantia, paucis reſiſtentiam in cute quam minutiſſimam reddentia, ut aër temperatus paulo calidior, humidiorque, balnea vaporoſa, fomenta &c. Nolint igitur provocare ad ſuam experientiam pulverum fixorum terreſtrium, bezoardicorumque Patroni, hisque ſe nihilominus toties profuiſſe ægris in exanthematicis febribus gratis glorientur. Dictum hi potius ſibi putent, & ad omnia exanthemata trahant, obſecro, quod ſpeciatim intuitu variolarum alicubi ſcripſit SYDENHAMUS: (x) *Tam ſibi,*

(x) nempe oper. pag. 477. & 478.

ſibi, inquit, *quam aliis imponunt*, *qui attollunt criſtas*, *quoties eos ſanaverint*, *quibus exanthemata numero pauca*, *eaque interſtincta effloruere. Si tentare libeat*, *quantum in arte valeant in variolis confluentibus vires experiantur maxime*, *quoties vel florentes ætate*, *vel eos*, *qui immodica vini ingurgitatione nimium incaluerunt*, *hic morbus invaſerit. Ne in levioribus exercitati*, *ita toto cœlo aberrent*, *ut ſe eos ſervaſſe exiſtiment*, *quos ipſi adſtantes non occiderint.* Judicent autem his omnibus decenter conſideratis Lectores a præjudiciis liberi, quid cenſendum ſit de ſententia cl. Alberti, *Abſorbentia* ſcribentis *exanthemata promovent*, *dum peccans & maligna materia cum hiſce remediis in mobilem aliquam conſiſtentiam convertitur*, *ne adeo tenuis & ut ajunt volatilis exiſtat*, *neve proptera motibus excretoriis impedimenta inferat*, *etenim terreorum virtus incraſſans abunde cognita eſt.* (y) Quis credet abſorbentia figere poſſe & incraſſare miasma nimis ſubtile? quis credet volatilem ejus indolem excretioni contrariari? quis præmiſſorum & demonſtratorum hactenus memor incraſſantibus opus eſſe ſibi perſuadebit? cum contraria potius, nempe ſolventia & attenuantia, ſive exanthemata ortura ſive orta ſint, præſtantiſſima haberi mercantur pharmaca.

§. 10.

3. Vel vere congrua & appoſitiſſima remedia perperam pro damnoſis declarant e. gr. VStionem.

Nimis vero diu me detinuit conſideratio exanthematum, quam tamen ad finem nondum perducere poſſum, cum unum adhuc delictum practicum reſtet, ex illa radice pendens, quam nodoſam licet, penitus præſcindere hucusque allaboravi. Vidimus nempe hactenus opinionem fallacem, quæ exanthemata pro miasmate hauſto habet, parere errores varios in prognoſi febrium exanthematicarum, dein efficere, ut vel noxia remedia uſurpentur, vel otioſa. Turpe dictu eſt, illam inſuper appoſitiſſima ſæpe præſidia explodere, eaque (eheu! quo tendit ſuperba ignorantia) pro damnoſis & ambiguis declarare, atque hoc ipſum ſtatim videbimus. Notum eſt in praxi, lectioneque practicorum Auctorum verſatis, quot difficultates objiciantur adminiſtrationi VS., quando ex ſymptomatum morbi naturam individualem prodentium conſideratione

(y) in disquiſitione de medicamentorum modo operandi ſpec. II. p. 46.

tione exanthemata præ foribus eſſe ſuſpicio eſt, aut quando jam exigua hinc inde puſtula in cute exſurgere obſervatur. Clamant tunc Medici fere ad unum omnes, turbari ita ſalutaria naturæ in excretione occupatæ molimina, egreſſum exanthematum in damnum ægri retardari, aut ſi quædam jam proruperint, eorundem retrogreſſui anſam dari, ſi ſanguinem mittere quis audeat; eaque propter phlebotomen male ſanum remedium, periculoſum & lethiferum declarare haud erubeſcunt. Bene memini, quot perverſis judiciis, quot cavillationibus, quot inculpationibus ipſe famam meam inſons & recti ſatis conſcius expoſuerim, cum ante paucos annos propriæ uxori febri acutiſſima correptæ, atque ut epidemia, morbus nondum toleratus, ſymptomatumque ſyndrome docebat, variolis iisque confluentibus laboraturæ, ſanguinem larga copia detrahi facerem, donec tandem fauſtus exitus morbi convitia dilueret, aliquique civium idem remedium in demortuis ſuis adultioribus haud adhibitum fruſtra & ſero nimis deplorarent. Quicquid vero tandem obſtare putent Practici VS., exanthematibus inſtantibus, vel egredientibus, perficiendæ, tamen ſæpe operatione hac pulchre ſaluti ægrorum eo tempore conſuli, ipſa experientia ſanaque ratiocinia a nemine adverſariorum invertenda perſpicue edocent. Nempe ſi ſolus impetus circuli præter naturam auctus, inſpiſſationes, & immeabilitates humorum, ſtagnationes eorundem, obſtructiones canalium, ac diſruptiones horum ciere aptus eſt, in iis maxime ſubjectis, quorum vaſa cruore turgent, quique pathematibus animi, diæta vinoſa, ac motibus corporeis violentis eum ante morbum jam celeriorem juſto reddidere: Porro ſi illæ ſolidorum fluidorumque conditiones ab aucto circulo ipſis inductæ, quibus poſitis toties exanthemata ponuntur, ſanitatis vitæque reſpectu non adiaphoræ prorſus habendæ ſunt, ſed pro locorum diverſitate ſæpe læthiferæ evadunt, quid quæſo his omnibus convenientius moliri arte ſua poſſet Practicus ſagax, atque in futurum ſapiens, quam minuere impetum circuli, plenitudinem humorum ſolvere, eaque ratione ſtagnationes, obſtructiones, depravationes liquidorum ſolerter præcavere, adeoque imminentia vitæ diſcrimina quantocyus declinare. Cum vero ad

hos fines obtinendos nullum remedium detur certius, nullum præſentius VS., quis eſt, qui ſeam cum ratione temneret, ac pro periculoſa declararet? cum illa periculis e longinquo appropinquantibus feliciter avertendis, ſi ullum aliud remedium, ſæpiſſime par ſit. Plura dicam, quid obſtat, quo minus interdum ſanguis mittatur, etiam eo tempore, quo jam puſtulæ maculæque exoriuntur in corporis ambitu, ſi ſimul præcipue corpus juvenile laborat, ſi vaſa cruore turgent, circulusque velox & validus pulſus exploratione animadvertitur; Tum quippe ipſa exanthemata certiſſime de ſpatio in vaſorum ſyſtemate ſanguinem rarefactum & commotum vix capiente, de ſuffocationibus liquidorum, ſtaſibusque in capillaribus formari incipientibus teſtantur, hæcque omnia VS. tempeſtiva verti forte in melius poſſunt, ſi vero ſibi permittantur, gravius ſenſim urgent, viſceribusque vitalibus tandem oppilatis interitum ægro minantur. Sane ſi ſanam rationem normam faciendorum, fugiendorumque conſtituere licet Medicis, non capio certe, quo pacto ullus a præjudiciis liber, præceptaque firmis & certis principiis fulta uſui tyranno, traditionibusque fabuloſis medicinalibus a longo inde tempore ad nos derivatis anteponens, vel dubitare poſſit de veritate inconcuſſa eorum, quæ modo edisſerui. At abundent omnes ſuo ſenſu, mittant ſanguinem, damnent phlebotomen, perinde eſt; mihi quidem mancipii jugum erecto animo detrectanti frænum haud injicit popularium ſententiarum ſtrepitus, quo minus eo tendam in artis exercitio, quo veritas ducit, quo caſta ratiocinia comitantur. Sufficit mihi, ſi vel omnes calculum adjicere meis aſſertis recuſarent, multum ſane ponderis habens, Viri in arte eximii JOH. FREINDII ſuffragium, de quo quidem mirifice lætor. Ille quidem in *hiſtoria* ſua *medicinæ* Aetium eapropter inter alia collaudat, quod in exanthematibus, ſive eruptionibus cuticularibus, quæ vel febri ſupervenerint, vel huic ab initio junguntur, naturam redundantibus ſuccis oneratam levandam velit, ac ſi febris violenter exarſerit in initio ſtatim ſanguinem mitti jubeat. His vero ita expoſitis tandem ita FREINDIUS pergit: *Minime dubito, quin uti nunc obtinet, ita illis quoque temporibus vulgaris iſta opinio obtinuerit, ut ab eruptione cuticulari hujusmo-*

jusmodi medela vetaretur, *cujus hæc plerumque ratio affertur*, *ne eo modo humor a circumferentia ad centrum recedat. Verum argumentationis iſtius fallacia, ſi ad œconomiæ animalis normam exigatur, facillime detegi poteſt, atque in promptu eſt demonſtrare, quemadmodum in multis caſibus, ubi abundat ſanguis, vel is nimium glutinoſus eſt, detractio ejus lentorem partium attenuet, ac liberiorem earum reddat circulationem; Quo fit ut non modo non cohibeatur, ſed benignius etiam procedat eruptio. Igitur in eryſipelate, variolis, morbillis, febre ſcarlatina, aliisque ſimilibus vitiis, ſi vehementia ſint ſymptomata, &* (attendite obſecro lectores optimi, ac, quæ aliquoties ſummam animadverſionem mereri inculcavi, ruminate!) *caput vel pulmonem afficiant, aut in alia quavis parte dolorem ingentem moveant, haud absque ratione, ac tuto prorſus vena inciditur. Ego certe, quanquam haud aliud experimentum frequentius inſtituerim, ne ſemel quidem animadverti, quamlibet harum eruptionum poſt miſſionem ſanguinis retroceſſiſſe, ubi affectus ipſe id auxilii requireret.* (z) Neque illuſtris BOERHAAVIUS ab hac ſententia alienus eſt, quam convenienter enim in exanthematicis febribus ſanguinem mitti arbitretur, vel ex ſola ipſius variolarum praxi, quas pro morbo mere inflammatorio rectiſſime habet, eaquepropter ſolis antiphlogiſticis remediis, interque ea præcipue phlebotome tempeſtiva curandas vult, luculenter opinor eluceſcit. Nec latere poterit rerum gnaros, quam in antecedentibus ſuppeditavi theoriam meam exanthematum egregie ipſius principiis reſpondere, quæ amavi ſemper, variorumque aliorum placitis, quod nil precarium admiſcant, diu antepoſui. Eo majori igitur terrore percellor, quando, dum in hac tractatione occupor, lugubre eheu! nuncium percipio exuiſſe BOERHAAVIUM eruditiſſimam ſuam animam, eamque cœlo, quo magno mortalium bono nobis data erat, terreſtri repurgatam labe iterum reddidiſſe. Non poſſum aliter, quin, communi orbis eruditi luctu commotus, fatum Viri omnibus encomiis majoris candidus deplorem, quin immortalia ejus in artem merita glorioſa memoria recolem, ac oſſibus ipſius molliſſimam placidiſſimamque quietem tenerrima pietate exoptem. Sed

Zz ex

(z) p. 45. & 46. edit. Lugd. batavæ in 8.

ex devio, in quo me abreptum detinuerat juſtiſſimus dolor, redeo in viam, atque, antequam de præſtantia phlebotomes in exanthematicis febribus ſermonem finiam, laudandus mihi adhuc venit cl. HOFFMANNUS, eandem ſe hac in re animo fovere ſententiam publice profeſſus: *Non pernicioſa*, inquit, (*a*) *ſed quandoque admodum proficua eſt ſanguinis miſſio in febribus, apparentibus jam in cute exanthematibus*; atque in ſcholio huic theoremati ſubjuncto inter alia hæc verba habet: *Sola ratione ductus quatuor intra anni ſpatium puerperas purpura laborantes, conclamatis propemodum rebus, ſola ſanguinis e vena brachii emiſſione per DEI gratiam a præſentaneo mortis periculo vindicavi.* Neque ommittendus PITCARNIUS, cujus Verba Variolarum occaſione prolata locum hic inveniunt aptiſſimum: *Febricitantibus jubeo ſanguinem mitti, quam diu febricitant, & ſi variolæ eruperint, adhuc mitti, donec febris ceſſaverit; nam ſi febris oſtendentibus ſe Variolis non cedat, ſemper eſt celebranda VS. febrim profligatura.* (*b*)

§. 11.

(*a*) Med. Syſt. Tom. III. p. 603. (*b*) In Opuſc. med. p. 161. Conferatur meum etiam opuſculum germanico idiomate ſcriptum de uſu VS. in Variolis. Opportunus hic locus eſt, ut recenſeam caſum, qui his ipſius diebus, quibus in meditatione ingenii & therapiæ exanthematum occupor, mihi obvenit. Puer 8. annorum Mercatoris filius terrore perculſus ſubitaneo frigore ſtatim corripitur, inciditque in febrem acutam magno æſtu ſtipatam. Secundo ſtatim die inflammatio eryſipelacea totum corporis corticem occupat. Exhibentur diluentia, refrigerantia, antiphlogiſtica, et decet. Quarto die rubori eryſipelaceo accedunt puſtulæ albæ exiguæ, numeroſiſſimæ, cohærentes, inſtar variolarum confluentium, ruborque ipſe ſenſim intenſior & in brunum colorem tendens viſitur; inquies, agrypnia, anginoſus tumor, deliria per intervalla, ſuperveniunt. Edixi moeſto Parenti imminere ſuo unico filio ſummum Vitæ periculum, quem, ſi meus foret mori non permitterem, ſine extremis remediis ...tatis, & maxime ſine adhibita VS., licet a moribus Vratislavienſibus prorſus abhorrente. Stupet ille primo, ſed tenerrime natum amans, meque hominem non cœco impetu in vitas ægrotum meorum graſſantem habens, audita patienter explanatione morbi hoc remedium indicantis, vocari jubet Chirurgum. Ego interim lecto aſſidens puerum a deliriis interdum ad ſaniora redeuntem, bono animo eſſe jubeo, aſſenſumque ejus de ſanguine detrahendo promiſſis variis obtineo. Accedit chirurgus; evocantur ex pede decumbentis horizontali poſitu, ſanguinis unciæ minimum ſeptem, ac mirantibus amicis die ſequenti omnia mutantur in melius; puſtulæ non retropulſæ ſed ſatis ſtabiles exſiccantur, deſquamantur; rubor lætiori colore impetrato ſenſim diſparet; Puer, deo ſint grates, poſt tuſſim aliquot hebdomatum, quam Medicus quidam ſatis ſapienter VS, adminiſtratæ tribuebat, ſanitati integerrimæ reſtituitur, quo adhuc gaudet.

§. II.

Atque hæc de VS., quod vero huic fatum accidit, id etiam enemata experiuntur. Plerique certe medentum, ubi febre aliquis corripitur, cui exanthemata complicantur, religioni ſibi ducunt clyſma vel innocentiſſimum infundere, ſique per aliquot adeo dierum decurſum alvum æger haud depoſuerit, vetari nihilominus ejus irritationem exanthematum præſentia, ne ſcilicet illa retrocedant, jubente ita ſemel civitate donato præjudicio, conſtanter opinantur. Hi vero omnes, ſi vel intelligerent, vel in mentem tum revocarent verum exanthematum ingenium, aliter credo ſentirent de clyſteribus. Sponte apparet puto, quia haud in canali alimentorum, ſed in vaſorum ſyſtemate morbi ſedes locatur, clyſmos acres irritantes, purgantes affluxum ſeroſorum humorum ad inteſtinorum arundinem invitaturos neutiquam indicari, nec a febre, nec ab exanthematibus; Sed tales turbas excitare fruſtraneas, febremque vellicando nervos inteſtinales pejorem reddere, imo vero emungendo liquida tenuia multum nocere, ſatis certum eſt. At vero non de purgatione, neque etiam de naturali ſaltem alvi ſucceſſu juvando, quod utique valde ſæpe neceſſarium, hic agitur, ſed de balneo interno corpori conciliando, de humectatione reſiccatis per calorem fibris præſtanda, de relaxatione obſtructorum canalium, de diluentibus vaſis inſinuandis cogitandum; eaque propter clyſteres blandos, emollientes, leniter ſaponaceos crebrius ægro infudiſſe, valde certe proficuum futurum crediderim. Ipſa inſuper exanthemata, ſi eorum ingenium directo obtutu reſpicias, uſum diluentium, humectantium, attenuantium, relaxantium, ſaponaceorum, indicant, quare, ea per quascunque vias corpori ægro inſinuaſſe, multum omnino juvabit. Neque audienda oblocutio, hæc omnia ore aſſumpta æque migrare in canalium ſyſtema, ſed ubicunque portæ patulæ dantur, liquidum in ſanguinis nunc quidem commoti, denſati, phlogiſtici, recedentisque a ſua craſi naturali oceanum deferentes, infuſio molienda. Cumque ingens in cruſta villoſa inteſtinali detur venarum bibularum abſorbentiumque numerus, eæ ut ſubinde hauriant ſugantque attenuantia ac diluentia remedia, crebro injectis enematibus omni opera efficiendum. Porro eximium

Porro clyſmata, nitrum &c.

mium pollicentur, uſum clyſmata blanda humectantia, laxantia, mollientia, quando ipſis perpetua revulſio a capite & pectore impetratur, quod ſummi ſane momenti res eſt. Scilicet abunde in ſuperioribus edixi, nullibi periculoſius naſci exanthemata, quam in cerebro & pulmonibus; quid igitur præclarius moliretur circumſpectus Medicus, quam ſi efficiat, ut ſanguis motu nimio, impetuque, denſitate & immeabilitate phlogiſtica, acrimonia peccans, ſique copioſius vehatur ad partes vitales, ibidem lethifera forte exanthemata creaturus, ab iis in laxata abdominis vaſa, taliaque loca divertatur, quæ eum ſine ſummo periculo ferunt; atque ubi ipſius clysmatis beneficio indoles ejus quomodocunque nociva cicurari parumper, corrigique valet. Fallor certe ſummopere, aut enematum uſus præſtantiſſimus in febribus exanthematicis, contradicente licet praxi triviali, ex his omnibus egregie perſpicitur. Cui quidem multum favet BOERHAAVIUS, & patrocinare videtur Illuſtr. HOFFMANNUS, qui ea de re poterit conferri. (*c*) Unum tandem adhuc remedium adferre fas ſit, quod præſentibus exanthematibus Medici plerumque ſed fruſtra reformidant, cujusque neglectu valde ſæpe in ægri ſalutem peccant. *Nitrum.* Nimirum, quia rerum uſus docet, nitro aſſumpto miteſcere calorem, circuitumque humorum remiſſius ſuccedere, hos quidem effectus adverſari jugi appulſui humorum a centro ad peripheriam, quo exterminanda eſt exanthematica materies, ſat multi Medicorum opinantur. Quare non raro accidit, ut pulveribus, bezoardicis & abſorbentibus, ter quaterque per diei decurſum aſſumendis, duo vel tres in conſilium vocati Medici duo vel tria nitri grana adjiciant, verentes, ne major doſis, refrænando calorem, pulſuumque ictus, ſalutarem exanthematum eruptionem in ægri detrimentum præpediat. Nondum memoria excidit, quam acrem cenſuram olim ipſe ſubire debuerim, quod viro plethorico purpura rubra laboranti, tribus poſt meum adventum horis apoplectico, potionem præſcripſerim in aquarum unciis octodecim nitri drachmam habentem, ſingulisque horis ad tria cochlearia ſumendam. Interim ad hunc diem firma animo ſedet opinio, ſanguinem celerius commotum, ſanguinem denſum & inflammatorium, ſanguinem

ſtagnan-

(*c*) Med. Syſt. Tom. III. p. 246.

ſtagnantem, ſanguinem demum in putredinem vergentem nullum remedium magis poſcere quam nitrum; Quare jure ſuo id remedium efflagitare ipſa exanthemata, utpote tali ſanguini ortum ſuum debentia, pertinax credo.

Capvt XIX.

Febrium malignarum in genere ſpectatarum therapiam fruſtraneam per terreſtria pharmaca exponit.

§. 1.

Immenſus terreorum numerus in his febribus adhibetur.

A prolixa illa exanthematum conſideratione accedo protinus ad febres malignas, de quibus verba ſeorſim facere eo magis utile futurum judico, quo magis illos terreis pulveribus aggredi ubique Medicis clariſſimis quibuscunque in more eſt poſitum. Non pœnitebit opinor, ea, quæ de genuino exanthematum ingenio commentatus ſum, antea paulisper penſitaſſe, quum ex eorum præſentia toties latentem malignitatem arguere ſoleant Practici, eaque ad ſigna malignæ febris conſtanter referant. Igitur ipſa exanthematum indoles probe cognita lucem aliquam affuſura eſt, inquirendæ nunc febrium malignarum indoli, quam intricatam ſatis indagare & deſcribere paulo accuratius in ſequentibus annitar. Hanc ſane ſi cognoſcerent intimius, ac cognoſcere ſerio vellent, qui Medicinam faciunt, vix credo abſurdum illum terreorum pulverulentorum apparatum competere febrium malignarum medelæ, atque ad eam vel tantillum facere poſſe, otioſe crederent, ſed pudor potius ingenuus ipſis ſurgeret, quod morbos omnium graviſſimos, ſæpeque pari paſſu cum peſte ambulantes, aut gradu ſaltem diſtantes ab eadem, ineptiſſimis ac abjectiſſimis remediis impugnare hactenus ſoliti fuerint. Neſcio certe quomodo a ſe impetrare potuerit Langius praxi multorum annorum, docendique munere Lipſiæ adeo olim celebris, ut ad maſſam ſanguineam in febre petechiali corrigendam inſtar omnium terram ſigillatam, bolum armenam, antimonium diaphoreticum, antihecticum Poterii, bezoardicum mine-

minerale commendare non erubuerit. (*d*) Neque capio, quid illuſtrem Archiatrum Cæſareum FAGHIUM commoverit, ut, in obſervatione quadam N. C. Miſcellaneis inſerta, ac de febribus malignis agente, pulveres fixos bezoardicos variorum auctorum collaudaverit. (*e*) Interim is in arte mos obtinet, vixque alicubi in libris medicis injicitur febrium malignarum mentio, quin ſtatim præſto ſit omnis ille portentoſis nominibus elogiisque condecoratus terreorum apparatus. Non ſine ſtupore video cl. JUNCKERUM, tot Practicorum Medicinæ communem præceptorem, cujus tabulæ multis, quod novi, unica faciendorum fugiendorumque in artis exercitiis hodie norma habentur, aperte ſcribere: *Abſorbentium uſum in malignis quibuscunque vix unquam negligendum eſſe.* (*f*) Neque minus miror, recentiſſimum materiæ medicinalis ſcriptorem, cl. TEICHMEYERUM, in catalogum bezoardicorum ſatis prolixum fideliter omnem terreorum remediorum gregem, nullo eorum excepto, retuliſſe. Cuncta quoque abſorbentia, quod vix credidiſſem antea, excluſis ſaltem ternis ſigillatis, pulveribusque quos illæ ingrediuntur, nempe lap. & chel. cancr. conchas, matrem perl. teſtas ovor. corallia, margaritas, ſuccinum album antim. diaph. bezoardicum min. ceruſſam antimonii laudare video in febrium caſtrenſium cura Copiarum Cæſarearum ad rhenum Proto-Medicum cl. KRAMERUM. (*g*) Ita vero, niſi omnia me fallunt, liquido perſpicitur, qui fiat, ut noſtra tempeſtate inter Medicos uſus fixorum bezoardicorum in malignis habeatur frequentiſſimus, ut ejusmodi practicis principiis imbuti ſemel juveniles animi ea ſancte ſervent, ac longe lateque ad ægrorum lectulos valere faciant. Inter illa omnia autem, quæ claſſi medicaminum hujus generis communi Medentum ſuffragio illata ſunt, facile palmam reliquis præfert famoſus ille *lapis bezoar Orientalis*, *ſi* SCHROEDERO aliisque fides habenda, utique polychreſtus. Ab hoc quippe collaudatur, quod corroboret, ſudores cieat, alexipharmacus ſit, ideoque utilis in vertigine, epilepſia, lipothymia, palpitatione cordis, ictero, colica, calculo,

(*d*) Diſſertatione de febre petechiali, quæ inter alias operibus ipſius annexas habetur. (*e*) Cent. V. & VII. obſ. 78. (*f*) In conſp. Tab. LXX. p. 577. (*g*) Vid. Com. lib. norimb. anno 1735. hebd. 5.

lo, menſibus obſtructis, partu difficili; Præcipue autem, quod primo loco deprædicari debebat in peſte, febribusque malignis ac venenis aſſumptis. (*b*) Atque iisdem viribus, eodem autore teſte, celebris eſt *lapis bezoar Occidentalis*, quamvis bonitati Orientalis, ut opinatur, non parum cedat. (*i*) Poſt lapides hos, de quorum prærogativis nemo prudentum hodie diſputaverit, a citato modo Schrœdero ſecundum vetuſtam & obſcuram Arabum philoſophiam, cui ſoli tales narratiunculæ ſuos natales debent, gemmæ omnes, *Granatus*, *hyacinthus*, *rubinus*, *ſapphirus*, *ſmaragdus*, dicuntur cor roborare, peſtique & venenis reſiſtere, etiam ſi externe appendantur. (*k*) Quod ipſum & de *coralliis* valere ſerio is affirmat, (*l*) vim malignis venenis reſiſtendi ipſis tribuens. Mirum eſt ingratum illum hoſpitem, totque cruciatuum infandorum inter mortales autorem, *calculum humanum*, id aſſecutum fuiſſe nihilominus, ut malignitatis antidotum a nonnullis celebretur. Namque vi ſudorifera & antipeſtifera pollere, &, quod prodigio ſimile, a non paucis lapidi bezoardico æquiparari, refert cl. ETTMULLERUS. (*m*) Porro de *bolo armena* notum eſt in vulgus, quod a Galeno jam antiquo ævo collaudatus ad peſtem, modernoque tempore a CAMERARIO peculiari tractatu (*n*) tanquam inſigne alexipharmacum deprædicatus fuerit. Neque latet rerum medicarum gnaros ſolaris indoles ipſi a SACHSIO attributa, cujus forte intuitu, eo magis permotus ETTMULLERUS ipſam in morbis malignis & venenoſis utilem declaravit. (*o*) Admirabundus quoque de Bolo armena narrat FRACASTORIUS, (*p*) quod ea homini a morſu araneæ intumeſcenti & in agone poſito exhibita, vocem ſtatim & vitam redire fecerit. Et quid tandem de *terris ſigillatis* dicam, quarum vires alexiteriæ & bezoardicæ adeo impudenter decantatæ fuere a Medicis CRATONE, SENNERTO, HOCHSTETERO, SCHROEDERO, HOFFMANNO, WEDELIO, ETTMULLERO, ut ſesquipedalia illa elogia, quæ de iisdem paſſim inveniuntur, verbis comprehendere vix auſim. Tantum abeſt, ut cujusvis terræ ejuſcemodi Lemniæ, Samiæ, Chiæ, Strigonienſis,

(*b*) Libr. V. claſſ. I. (*i*) Loc. cit. (*k*) Lib. III. c. 5. (*l*) Lib. III. c. 6. (*m*) Oper. Tom. I. p. 734. (*n*) De bolo armena & terra Lemnia. (*o*) De morbis contagioſis Lib. III. (*p*) Tom. I. Oper. p. 712.

nienſis, Goldbergenſis &c. in medendo efficaciam, quam ipſis aſſignavit credula Medentum turba, recenſere ſeorſim, pauloque ſpecialius in animum induxerim. *Vires terræ Lemniæ,* inquit cl. LANGIUS *famoſæ ſunt per omnia retro ſecula contra univerſa lethalia venena, item in peſte & febribus malignis.* (q) Atque qui terram ſigillatam Strigonienſem ad hyperbolem usque deprædicatam videre cupit, ad venenorum ſine exceptione omnium energiam cicurandam, ſpeciatimque ad virus peſtiferum, malignumque enervandum, adeat Joh. MONTANI peculiarem tractatum de hac materia editum, ſub titulo: *Breve & exquiſitum vereque philoſophicum judicium doctrinis myſteriisque variis refertum, de vera, nativa, omnisque artis ac fuci experte terra ſigillata Strigonii per DEI gratiam inventa.* Qui plura deſiderat, evolvat librum, quem *de ſtirpitibus & foſſilibus Sileſiæ* conſcripſit Caſp. SCHWENCKFELD. Tam libere autem, tam craſſe, omnique quaſi verecundia exuta boni hi viri de terrarum ſuarum eximiis virtutibus alexipharmacis nugantur, ut hodie non niſi apud Medicos ad ſtuporem rudes & credulos fidem impetrare queant. Tanto vero magis dolendum eſt, eos etiam, qui ultro profitentur, cum ſana ratione pugnare abſurda plane talia præconia, tamen uſum terrarum harum in malignis appoſitum declarare, quos inter cl. NENTERUS de terra Strigonienſi & Lignicenſi verba faciens: *Quamvis omnia,* inquit, *in terræ ſigillatæ laudem prolata experientiæ non reſpondeant, eſt tamen nihilominus remedium non contemnendum in diarrhœa, dyſenteria, aliisque morbis, ubi malignitas quædam ſubeſt.* (r) Taceo reliquos, quos nominare deberem, dum ad alia tranſeundum eſt. Arrigite ſaltem aures, Lectores, ſatis lepida enim adhuc enarranda ſuperſunt. Noſtis omnes, quod adhuc dubitetur inter rerum naturalium ſtudioſos ſcrutatores, an *unicornu verum* in toto cognito orbe inveniatur, interim tamen, quod mirum dictu eſt, habetur in pharmacopoliis, atque in pulveribus bezoardicis contra malignas febres frequentiſſime a Medicis præſcribitur. Riſum omnino hoc ipſum vobis movere debet, qui non poterit non tranſire in effuſam cachinnationem, ubi egregiam illam narratiunculam de *cervo alexipharmaco* in medium protulero. Neſcio certe, unde orta ſit inſulſa

(q) Oper. p. 290. (r) In comment. ad pharmaciam Ludovici p. 84. & 85.

ſulſa hæc traditio; At, niſi omnia me fallunt, tota debetur antiquatis mendaciis, quod cervus devoratis ſerpentibus flumina trajiciens, ſuis ex oculis prognaſci faciat eximium illud peſſimorum venenorum antidotum, lapidem bezoar. Næ lepidum argumentum, cur totus cervus ſit alexipharmacus! Interim putidiſſimæ huic fabulæ ſubſcribit Ettmullerus cum variis aliis autoribus: Cervus inquiens, totus merito alexipharmacus dicitur & diaphoreticus, & omnia ex eodem parata easdem vires alexipharmacas & ſudoriferas obtinent. (s) Si vero hoc ita ſeſe habet, non a vero aberravit Hoffmannus, quando, quod in cervo pretioſum eſt, ac in quo forte veluti in centro quodam coactæ reſident vires medicinales, *os de corde cervi* alexiterium eſſe dixit. (t) Attamen, eodem autore judice, etiam in cornu cervi excrevit, ac extenſa fuit virtus alexipharmaca. Nimirum *C. C. crudum*, inquit, *ad plurimos morbos curandos vim obtinet mirabilem, præſertim in malignitate per ſudorem & urinam corrigenda, unde in febribus malignis ſummo cum fructu adhibetur.* (u) De eodem Cornu Cervi ante Hoffmannum etiam jam edixerat Schroederus: quod reſiſtat putredini, quod malignitatem corrigat, & balſamum humanum corroboret. Quæ ratio ſubſit, cur *C. C. philoſophice calcinatum* in malignis non tam primæ debellationi, quam reliquiarum extinctioni dicatum reputet cl. Ludovici, (x) ingenue ignoro, pariterque neſcio, cur totidem verbis hoc ipſum ex Ludovici pharmacia exſcripſerit modo allegatus Hoffmannus. (y) An igitur hac cautione obſervata ſaltem valeat in malignis C. C. philoſophicum, an ſub toto morbi decurſu ſit egregium alexipharmacum & diaphoreticum malignitatem pellens, ut ſalutatur ab Ettmullero, non inquiram; ſane mihi omni tempore videtur remedium inane, neque vel de C. C. aurato mihi perſuaderi patiar, *quod in febribus malignis ſudoriferum & cordiale præbeat medicamentum*, licet hoc elogium ipſi decernere non dubitaverint auctores diſp. Viennenſis. Dum de virtute bezoardica utraque cornua cervina

 habi-

(s) Oper. Tom. I. p. 659. & Tom. II. p. 370. cum cervo etiam ciconiam pro animali alexipharmaco declarat. Confer & Miſc. N. C. Ao. I. obſ. 14. quæ inſcribitur: Cervus alexipharmacus. (t) in clave p. 658. (u) p. 656. lib. V. claſſe I. (x) in pharmacia diſſ. I. p. 154. (y) p. 657.

habitante loquor ſubit, memoriam *unicornu foſſile*, quod, non minus vim habere bezoardicam, & in febribus malignis mire eapropter commendari, notat cum aliis HOFFMANNUS, (z) quorum laudibus, quibus id ebuccinant, compilandis, haud immorabor. Pergo ad *bezoardicum minerale.* Eſt illud, ſecundum ETTMULLERUM, (a) *exhauſtum concretum & acidi volatilis venenoſi appetens, quale in ignis examine amiſerat, malignarumque ſpeciatim febrium fermenti volatilis, eapropter prompte abſorptivum & correctivum.* ZWELFERO audit *medicamentum ſudoriferum & alexipharmacum in morbis venenatis & contagioſis ſumme proficuum,* (b) ac in recenti pharmacopœia Argentoratenſi ceu diaphoreticum & alexipharmacum in febribus malignis epidemicis contagioſis multi uſus eſſe dicitur. En quanti factum ſit, quanti fiat bezoardicum minerale! Reſtat cum *antimonii ceruſſa*, cui in diſpenſatorio Viennenſi vis alexipharmaca tribuitur, prorſus conveniens *antimonium diaphoreticum*, cujus vires alexiterias laudates videre licet inter alia in Miſc. N. C. (c) Prorſus autem prodigio proxima ſunt, & quam maxime huc adduci merentur, quæ de eodem expertas, ut ſibi videtur, narrat ZWELFERUS; Poſtquam nimirum optimum præparationis artificium hujus remedii expoſuit, ita pergit: *Quem modum & ego mihi commendatum habui, & plurimum in peſte aliisque morbis contagioſis hoc ipſo diaphoretico præſtiti ad drachmam unam exhibito, quo & ipſe* (hui quantus effectus) *in mediis luis peſtiferæ flammis conſtitutus per DEI gratiam liberatus fui.* (d) Dicite amabo cordati Medici! quis veſtrum hoc expectaſſet unquam ab antimonio diaphoretico? Si vero in eo reſidet tanta peſtilentiale virus enervans virtus, euge bene! ibitis bonis avibus vos, qui e noſtra civitate jam, dum hoc ſcribo, evocamini futuri in Hungaria Loimiatri; comitatique prophylactico hoc pulvere ſalutem veſtram in vado tenebitis locatam. Ita vobis erit robur & æs triplex circa pectus, ita reduces olim eluſis pallidæ mortis terriculamentis obviam euntibus civibus circum ſepti, patriosque ſalutantes lares conſperſi, incruſtatique antimonii diaphoretici pulvere intrabitis urbem, atque ita de malignitate pannonica devicta triumphabitis.

§. 2.

(z) in clave p. 191. (a) diſſ. de præcipit cap. II. §. 13. (b) Mantiſſ. ſpagyr. Part. II. cap. 8. (c) Dec. II. Ao. 2. obſ. 190. (d) Vid. animadverſ. in Pharmac. Aug. p. 460.

§. 2.

Sed ad noſtra redeamus remedia bezoardica; cumque ſeorſim ſingula jam viderimus, ut pulveres officinales ex iis coaleſcentes pauliſper ſpectemus ordo jubet. Hos ceu inter ſtellas luna minores gemmarum ſuarum fulgentibus radiis corruſcat famoſus *pulvis bezoardicus Sennerti*, toties Medicis præſcribi ſolitus poſt C. C. phil. lap. 69. terram ſigill. ſuccinum, margaritas, corallia, os de corde cervi, ſmaragdum, hyacinthum, rubinum, &, ut nil pompæ deſit, lapidem bezoar orient. recipiens. Atque de his pretioſis quisquiliis in unum corpus coactis non dubitat prædicare diſpenſatorium Viennenſe, *quod in febribus malignis & epidemicis inſignem demonſtret efficaciam.* Sequitur *pulvis bezoardicus albus Ludovici* ex C. C. philoſoph. terra ſigillat. & unicornu foſſil. compoſitus, de quo licet ſimplici vel per ſe exhibito, vel cinnabari, opio, ſale volat. C. C. exaltato affirmat bonus hic vir, quod longe concinnius id præſtiturus ſit, quod alii tot pulveribus alexipharmacis, peſtilentialibus, bezoardicis diverſorum autorum adſcripſerunt. (*e*) Nec prætereundi ſilentio *pulveres bezoardici Wedeliani major & minor*, quorum ille ex rad. contrajervæ, terra Lemnia, unic. foſſili, coralliis, antim. diaph. ſuccino, C. C. philoſ. & lap. bez. occid. hic ex antim. diaph. lap. cancr. C. C. Philoſ. & extracto ſcorzoneræ conflatur. Quantum vero his remediis tribuerit auctor, quam frequenter eadem uſurpata ſint ab ipſius diſcipulis, ſatis notum ubique eſſe exiſtimo, ut adeo ipſa pharmacopœia Argentoratenſis pulverem majorem alterandi & confortandi fine utiliſſimum in febribus malignis declaravit. Extat dein *in pharmacopœia Auguſtana* recentiſſima *pulvis quidam alexipharmacus* ex terra ſigillata, C. C. phil. rad. angel. zedoar. cort. citri & myrrha confuſus cum ſubjuncto elogio: *Hunc pulverem ſalutarem multoties experti ſumus.* Rurſum de *pulvere pannonico rubro* ex meris terreis evporiſtis partim, partim pretioſis cum intermiſtis acribus quibusdam, quæ omnia allegare nolo, conſtante, prædicat eadem pharmacopœia Auguſtana, *quod adverſus peſtilentium febrium noxas, & contagioſorum & venenatorum morborum invaſiones maxime potens ſit.* Atque eadem verba de hoc pul-

Pulveres bezoardici potiores recenſentur, qui malignitatis antidota communiter reputantur.

(*e*) diſſ. I. pharmac. ſuæ p. 147.

vere pannonico legabantur jam in antiquiori editione, ac in lexico pharmacevtico Junckenii, leguntur que adhuc in Viennenſium diſpenſatorio. Nolo ſilentio præterire *pulverem Sabaudicum* inter aromata & radices alexipharmacas, ut dicuntur, corallia rubra, margaritas, ſaphirum, rubinum, ſmaragdum, hyacinthum, unicornu verum &c. continentem, cujus vires ſecundum modo citatam pharmaciam Auguſtanam recentiſſimam ſunt alexipharmacæ, unde in febribus malignis, expellendisque variolis magnopere laudatur. Fere animo exciderat *pulvis bezoardicus Anglicus* ſeu *Comitiſſæ* ex apicibus nigris chelarum cancrorum, rad. contrajervæ, margaritis, coralliis rubris & albis, lap. cancr. C. C. calcinato, lap. bez. terr. Lemn. antim. diaph. & ambra gryſea compoſitus. Atque hæc inepta ſatis otioſorum pulverulentorum congeries, referente id ipſum diſpenſatorio Brandenburgico, ab autore arcanæ compoſitionis dicitur vendita Epiſcopo Vigornienſi ter centum libris anglicis. Tanti ego ſane vel Crœſo ditior pœnitere non emerem. Quicquid enim de miſero hoc pulvere polliceatur diſpenſatorium Viennenſe, *quod adverſus febres malignas ſit efficax remedium, quia ſpiritus animales foveat, atque internas putredines arceat*, vanus tamen uſus eſt & ridiculus. Atque ita ſe habet potiſſimorum pulverum bezoardicorum farrago, qui ſi vere prodeſſent ægris, neſcio cur omnibus illis indigeremus, cum parum a ſe invicem diſcrepent, eccur ergo novi ſemper excogitati ſunt antiquis ineptiis referti? Cur opus erat ut Medicus aliquis dantiſconus talem ex lap. 69. conchis ſine igne, Corall. rubr. antim. diaph. pulvere alexipharmaco novo (qui fere eadem jam continet, ac novus hic, ad quem confundendum recipitur) ſpec. de hyacinth. cinnab. nat. nitr. dep. & croco aper. Stahl. componeret carbunculisque ſeſe oſtendentibus ægris ſingulis 8. horis a ſcrupulo uno ad duos præberet, cum alii iisdem quisquiliis referti, ac æque inutiles magno numero jam exſtarent (*f*). Quid igitur ea entium & non-entium multiplicatione opus? Miror valde cl. FISCHERUM virum doctum & peritum, atque, ut ex erudito ipſius

(*f*) Vid Kanolds herausgegebene Sendſchreiben von der in Preuſſen und Dantzig graſſirenden Peſtilentz; und zwar das andere Herrn D. J. G. K. Practici dantiſcani an Herrn D. C. H. Pract. Vratisl.

ipſius *de terra medicinali Tockayenſi* tractatu apparet, hoſtem ineptiarum in arte obviarum infenſum, non contentum tamen pulveribus antea cognitis occaſione terræ Tockayenſis iterum excogitaſſe novum, *pulveris Bezoardici Kesmarkienſis* titulo inſignitum, præter illam ex C. C. phil. lap. cancr. antim. diaph. conchis &c. conſtantem. (*g*) En illa medicamina! quibus toties ad hunc diem in febribus malignis utimur, quæ in ipſa peſte a tot viris præclariſſimis magni æſtimantur. Certe in Peſte Roſenbergenſi abſorbentia ac in ſpecie lap. cancr. Apud infantes vero, qui volatilia ferre non poterant, pulvis bezoardicus Sennerti, & Pannonicus ruber optime profuiſſe dicuntur. (*h*) Omnia hæc quoque, aut his ſimilia ſtrenue præſcripta, grandique mole devorata ab ægris memini, cum ante duos fere annos gravis epidemia urbem noſtram devaſtaret, multosque e civibus fato ſuo traderet. Sane in illa inſtructione brevi, quomodo quispiam Medico deſtitutus cavere & curare malignas febres valeat, lingua vernacula ſuperiorum juſſu tum edita, varia hujus farinæ remedia leguntur. Extat in illa *pulvis diaphoreticus novus*, ut in officinis noſtris dicitur, ex meris terreis conſtans, de quo jam ſuperiori capite de diaphoreticis mentionem feci. Habetur porro *pulvis* quidam *bezoardicus*, *cordialis & confortans* ex pulvere bezoardico Ludovici, unicornu marino, ungula alcis, antimonio diaph. bezoardico animali, nitro & cinnabari concinnatus. Porro reperitur inibi *pulvis* quidam *ſedativus* ex pulvere Marchionis, antiſpasmodico novo fere unice terreſtri, ſuccino albo, dente hippop. lumbr. terreſtr. & ſacharo præparatus. Tandem & adeſt *pulvis temperans* ex matre perl. antim. diaph. lap. cancr. citratis & nitro ſcordiato concinnatus. Ego certe nec illorum ægrorum ſalutem, quibus medicinam tum feci, quosque per DEI immortalis clementiam eo tempore ad ſanitatem priſtinam perduxi, nec meam propriam, quam, ſuperata inter immanem cephalalgiam, inter doloroſam cardialgiam, inter languorem exquiſitiſſimum peſſima febre, DEO ſint grates, iterum obtinui, debeo eſſentiis alexipharmacis & pulveribus bezoardicis, ſed aliis prorſus remediis ſecurioribus, convenientioribus, ab utrisque illis ſecurus ſemper ſtudioſe abſtinui.

(*g*) Vide Tract. cit. §. 70. (*h*) Vide Kanolds Sendſchreiben das fünffte p. 131. 132.

§. 3.

Quid ſibi velit nomen alexipharmacorum & bezoardicorum inquiritur.

Vidimus in uno quaſi conſpectu potiorum alexipharmacorum & bezoardicorum fixorum apparatum, quo ad hunc diem Medici iis in febribus confidenter utuntur, quæ epidemice graſſari ſolent, atque in quibus maligni aliquid, ut loqui amant, obſervare licet. Jam meum poſtulat propoſitum, ut cum illa remedia, quæ recenſui, ad unum omnia inutilia, otioſa & futilia convictus habeam, ea vere pro talibus habenda eſſe, atque proinde perperam a claris viris laudari, uſurparique, momentoſis rationibus evincam. At vero, antequam id ipſum præſtare aggrediar, inquirendum omnino, quid ſub alexipharmaci bezoardicique remedii nomine Medici intelligant, quidque tandem, quæ toties allegatur, decantata illa malignitas ſibi velit, ac ſi omnia ſevere ac rigoroſe examinentur, quid denotare ac involvere poſſit. Tum enim pharmacorum vires ipſi ſuperandæ neceſſariæ ſponte innoteſcent, atque an illæ inſint terreis bezoardicis ac alexipharmacis accuratiſſime poterit determinari. Non ignoro ſat arduo operi memet ita accingere, argumentumque ediſſerendum me ſuſcipere, a quo vel hoc unicum me ſtatim revocare poſſe videri poterat, quod paucos norim, quorum veſtigia ſecure ſequi ſolidam veritatem eruere annitens valeam. Ubique terrent otioſæ ac evanidæ malignitatis allegationes, atque inanes termini nullam parientes ideam, aut obſcurum per æque obſcurum enucleantes; faciam interea periculum. Illud credo ex lectione operum pathologico-practicorum paulo diligentius attendentibus conſtat, Medicis in genere omnibus bezoardica, alexipharmaca, alexiteria remedia audire talia, quibus ſpecifica quædam vis eſt venenis reſiſtendi, interque autores recentiſſimos cl. Teichmeyerus bezoardica definit, quod ſint *remedia venenorum, malignitatis, contagii, miasmatum, & peſtilentiæ.* (*i*) Neque ignotum opinor, bezoardica, alexipharmaca, alexiteria promiſcue uſurpari inter practicos tanquam nomina unum idemque ſignificantia, ſaltem inter antiquos tantum alexipharmacorum, inter recentiores ab Arabum demum temporibus bezoardicorum commemoratio reperitur, nos interim hodie idem denotatum

(*i*) in Mat. medica Cap. de bezoardicis.

tatum volumus bezoardici titulo, quod antiqui olim nomine alexipharmaci, patet ergo hæc omnia eſſe ſynonima. Quin & vi vocis idem diſtincti hi termini deſignant. Scilicet alexipharmaca proprie græcis denotant venena arcentia, pellentia; Atque lapis bezoar, a quo bezoardicorum nomen originem ſuam nactum eſt, monente inter alios STENTZELIO, (*k*) dicitur a perſicis vocabulis *Pa* & *Zohar*, quorum prius *contra*, alterum vero *venenum* ſignificat; Perſisque lapis hic, quod BONTIUS (*l*) memorat, non *bezoar* ſed *Pazahar* vocatur. Nolo autem in etymologicis diutius occupari, ſufficit ex his omnibus ſatis apparuiſſe, quid alexipharmacorum & bezoardicorum nomine Medicis veniat. Horum bezoardicorum, quotquot noſtro ævo adhuc obtinent, communis parens lapis bezoar antiquis græcis & latinis Medicis prorſus, ut notum, fuit incognitum remedium. Omnium primum Avenzoarem de ictero verba facientem, cujus a veneno ortum deducit, lapidem bezoar dari præcepiſſe a nemine antea pro medicamento uſurpatum, notat de hiſtoria artis immortaliter meritus JOH. FREIND. (*m*) Clariſſ. interim STENTZELIUS primum a Rhaſe, Avicenna & Serapione, e quorum ſcriptis loca allegat, lapidem bezoar celebratum ac contra venena tanquam præſtantiſſimum alexipharmacum commendatum fuiſſe, docet. (*n*) Poſt Arabum deinde tempore, uti hoc ipſum ex DEUSINGIO, (*o*) & BAUHINO, (*p*) refert modo laudatus STENTZELIUS, (*q*) lapis hic plane oblivioni traditus, diu in occulto hæſit. Demumque ejus dignitas ac fama cum malignarum febrium acceſſu, quas Itali petechiales dicebant, renovata & quaſi reſuſcitata fuit, ita ut plurimi tum a Medicis vel imperitis, vel ſuperſtitioſis vel lucelli cupidis, ita perſuaſi, certa illa occupati tenerentur opinione, neminem ſine hujus lapidis uſu a febre petechiali, aliaque maligna poſſe liberari. Igitur plures de eo lapide comparando ſolliciti nullis ſumtibus pepercerunt, eoque adeo prudentes adegerunt Medicos, ut nonnulli, ipſo Bauhino teſte, licet inviti dictum

reme-

(*k*) diſſ. de bezoardicorum emolumento & detrimento §. 3. (*l*) de Medicina Indorum in notis ad Garciam ab Orta in caput 45. (*m*) in hiſt. Med. p. m. 256. edit. Lugd. Bat. (*n*) diſſert. cit. §. 5. (*o*) in faſcic. ſelect. diſſertationum, diſſert. de lapide bezoar. (*p*) in præfat. tractatus de lapide bezoar. (*q*) l. c. §. 5.

remedium in uſum vocare coacti fuerint. Factum quoque deinde eſt, quemadmodum hoc eloquitur cl. STENTZELIUS, (r) cum tanta lapidis bezoardici copia Medicis non ſuppeteret, quanta ad quasvis tot hominum infirmitates curandas egebant, cumque interea eſſet impoſſibile illud de præſtanti atque univerſali lapidis bezoardici virtute præjudicium ex hominum animis evellere, ut quævis medicamenta ſub bezoardicorum titulo deinceps præſcriberentur, quia nullum remedium efficax judicabatur, cujus compoſitionem lapis bezoar non ingrederetur, aut ad minimum bezoardici titulo non eſſet ſignatum. Igitur tandem innumera remedia, eaque præcipue, quæ pares cum lapide bezoar virtutes, ſimiliaque principia cuſtodire putabantur, bezoardicorum cognomen adepta ſunt, licet nil prorſus de vero lapide bezoar continerent. En genuinam pulverum bezoardicorum, non niſi piis Medentum fraudibus introductorum, hiſtoriam! qui quam inepti ſint, quam inanes, quam ridiculi, quam cordato Medico indigni, vel ex ſola hac fida relatione omnibus æquis arbitris innoteſcit. Dolendum jure, quod nihilominus ad hunc diem circumferantur, æque ac remedia pompoſo ſolarium nomine ornata, ne micam interim auri vere cuſtodientia. Mihi quidem, qui titularia, ſi ita loqui licet, pharmaca implacabili odio proſequor, parum ſane intereſt, ſive pulveres illi bezoardici audiant, ſive alio nomine inſigniantur.

§. 4.

Quid ſit malignitas perpenditur, ubi primo externa malignarum febrium facies pingitur.

Dixi nonnulla de bezoardicis quaque occaſione, quo fundamento uſus ipſorum in medicina cœperit declaravi; jam intricatum de malignitate argumentum texere ordo dicendorum jubet. In quo, ut legitime verſer, primo quidem, quæ externa ſit febrium illarum facies, quas communi ubique conſenſu Medici malignas hactenus dixere, brevibus erit indicandum. Non autem opus erit, ut multorum allegatione autorum chartas impleam, ſed ea phœnomena paucis congeram, quibus præſentibus nemine Medentum renuente adeſſe aſſeruntur febres malignæ. Tales autem fere perpetuo graſſari populariter, ac ſæpius longe lateque ſtragem edere, innumeræ practicorum obſervationes loquuntur; omnesque ſubi-

taneam

(r) diſſ. cit. §. 11.

taneam ſineque cauſſa manifeſta virium proſtrationem, ſubinde ad lipothymias usque invaleſcentem, maxime ſi in erecto ſitu ægri conſtituantur, pro ſigno pathognomico habendam eſſe contendunt. Præterea conſtanter in his febribus urinam mingi tenuem, parcam, ſanæ ſimilem, pellucidam, aut ſi crudior ſit ac jumentoſa, tamen nullum ſedimentum ponentem, pulſuumque ictus obſervari debiles, celeres, inæquales, & in peſſimo rerum ſtatu intermittentes uno ore auctores affirmant. Accedit ex ipſorum obſervationibus reſpiratio difficilis, frequens, anheloſa, non niſi motis jugulo, coſtis & claviculis ſuccedens. Appetitus penitus proſternitur, vigiliæ perpetuæ urgent, ingruunt deliria, lingua ſcabra & arida viſitur, infandæ moleſtant anxietates & inquietudines; prodeunt puſtulæ, maculæque purpureæ, lividæ, interna frigentibus exterioribus ardent. Atque inter ſubſultationes tendinum, convulſionesque, deliria, ſingultus, ſyncopes miſeri ægri animam exuunt. Sique cultro anatomico ſubjiciantur cadavera fœda, in viſceribus ventriculo & inteſtinis præcipue detegitur ſphacelatio, ſanguis in vaſis grumoſus, putrilaginoſoque liquamini innatans offenditur. En ſinceram imaginem febrium! quæ malignæ medico ſtylo ſalutantur.

§. 5.

Dein ætiologia malignitatis inepta & ficticia aut ſaltem inſufficiens traditur.

Cauſſam vero cum potioribus, quibus ſtipantur, ſymptomatibus modo depictarum febrium, malignitatem gratis ac otioſe, adeo ſæpe inter Medicos allegari, atque ita obſcurum per æque obſcurum explicari; eo magis omnino dolendum eſt, cum nec theoriæ, nec praxi ſonticorum ſane morborum horum inde, ut facile appareret, commodum aliquod accedat. Sane, ut rectiſſime ſcripſit cl. BAGLIVUS: (s) *Imaginarium hoc malignitatis nomen imperitia Medicorum peperit, vulgi petulantia fovet. Credit enim ignarum vulgus, quoscunque rapit febris, perimitque, a malignitate ſemper perire, credunt id plures etiam Medici.* Mirum eſt, antiquos malignitatem penitus ignorare, vox quippe hæc barbara recentiori ævo & a dimidio & quod excurrit, ſeculo demum in medicinam fuit introducta, vixque ante SYLVII tempora uſurpata a quopiam legitur. Neque ulla ratione unquam malignitatis inventio arti profuit, quin gene-

(s) pag. 51.

generi humano ipſa pulveris pyrii inventione lethalior judicatur a clariſſimo cordatiſſimoque Medico SYDENHAMO. (*t*) Fere omnia, quæ de eadem inveniuntur in practicorum libris, ſunt obſcura, ambigua, incerta, inanibusque terminis abſolvuntur, ac nullum prorſus intellectum Lectoribus pariunt. Imo vero ne quidem una omnibus eſt vocis acceptio, ſatis nempe confuſe modo ſumitur pro cauſſa morbi, modo pro morbo ipſo, modo pro effectubus morbi, modo pro phœnomenis in demortuorum cadaveribus apparentibus. Paucis dicam, Medici plerique malignas febres, malignitatemque omnium maxime loquentes, ipſi, quid malignitas ſibi velit, ignorant, ſeque ipſos cum ægris confundunt & decipiunt, diſtinctamque ipſius ideam, ſi ſeverius inquiratur, habent omnino nullam. Mihi interim de cauſſa genuina veraque talium febrium, de quibus ago, quasque malignas vocari facile permitto, cogitanti licebit ſpero ex practicis medicis quærere, quid ſit malignitas? Quidque termino hoc, quoties pro cauſſa morbi ponitur, demum velint intellectum, aliter nimirum lingua utimur in arte barbara, verbaque loquimur carentia ſuis notionibus. Paucis igitur circumſpicere cogimur: age eapropter volumina clariſſimorum quorundam medicorum, ut in manus incidunt, evolvamus. En cl. WILLISIUS, in febribus his accuſat venenum aliquod, & veneno æmulum; (*u*) idemque fere allegat, qui peculiarem tractatum de febribus caſtrenſibus malignis conſcripſit, SCRETA. (*x*) Miasma ſalino-volatile inculpant: SYLVIUS (*y*) & Simon PAULI. (*z*) Nonnulli acido cuidam volatili culpam cum ETTMULLERO (*a*) & TEICHMEYERO (*b*) tribuunt, quo adeo occœcatus videtur RAMMAZZINI, ut perperam & falſo ſtatuat, omnes, qui de his febribus ſcripſerint, unanimi conſenſu earum cauſſas in acidum volatile corroſivum efferum, realgarinum retuliſſe. (*c*) APINUS ſal volatile acre compoſitum, nec acidum, nec alcali, ſed medium viſcido cuidam principio involutum febris epidemicæ, quam deſcripſit, cauſſam fuiſſe perhi-

(*t*) pag. 681. (*u*) de febribus c. 12. (*x*) ſect. 1. c. 7. (*y*) Prax. L. I. c. 33. (*z*) in digreſſione de febribus malignis paſſim. (*a*) Tom. II. operum cap. de malignis agente. (*b*) diſſ. de morbis hiemis præteritæ pag. 25. & alibi. (*c*) in tractatu de morb. artificum cap. 41.

perhibet (*d*) KIRCHERUS, (*e*) & cum eo HAUPTMANNUS, (*f*) malignitatem febrium a verminatione, ſeu, ut vocant, putredine & corruptione animata deducunt. LANGIUS malignitatis ingenium in idea triſti, timida, & tantum non deſperabunda ſpiritibus impreſſa ponendam arbitratur, idemque fere dicunt, qui cum JUNCKERO (*g*) principium vitale ſeu naturam inopem tempeſtivi conſilii in terrorem conjectam, animum & vires abjicientem, trepidantem, & anomalos motus ſuſcipientem allegare non dubitant. STAHLIUS hujus ſententiæ ipſe fautor & conditor, tamen ſimul materiam halituoſam tenuiſſimam ſumme activæ energiæ, per fermentales progreſſus cito corruptivæ ſpecialius putredinoſæ accuſandam putat. (*h*) Plerique tandem Neotericorum ejus ductum ſequentes de miasmate peregrino fermentativæ indolis craſin ſanam ſanguinis turbantis verba faciunt, quos inter cl. HAMBERGERUS expreſſis verbis cauſſam malignitatis dicit fermentationem præternaturalem maſſæ ſanguineæ, reſolutionem ejus majorem vel minorem inferens, quam conſiſtere putat vel in fuſione nimia, vel in coagulo, vel in ſalium peregrinorum nimia eminentia. (*i*) Ita diffuſum ſatis & multiplicem hypotheſium apparatum circa malignarum febrium cauſſas in medium protuli, ut adeo unumquemque Lectorum meorum amico alloquio compellare liceat;

Elige, cui dicas, tu mihi ſola places.

Valde interea ego vereor, ut ex omnibus una phœnomenis in malignis febribus obviis ex legibus circuitus ſanguinei, functionumque, quæ in vivo corpore ſuccedunt, natura rite & modo intelligibili explicandis ſufficiens, parque inveniatur. Plerasque inconditas, omni fundamento deſtitutas, falſiſſimasque habendas eſſe ſponte opinor innoteſcit, ac, ſi aliquibus inſit veri quædam ſpecies, cominus tamen illas intuentibus hanc ſatis evanidam, fallacem, minus ſufficientem exiſtere liquido apparebit. Nil ergo omnes enarratas moror, ſed ſine ambagibus, quid mihi, hactenus ſedulo pro

 viribus

(*d*) In Tract. de febre epidemica, quæ A. 1694. & 1695. Herſpruccii epidemice graſſata eſt. §. 32. (*e*) in ſcrutinio peſtis. (*f*) in Tract. de viva mortis imagine (*g*) in conſp. Tab. 70. (*h*) Diſſ. de erroribus practicis circa curationem malignarum febrium. §. 5. (*i*) Diſſ. de malignitate. §. 14.

viribus omnia malignarum phœnomena expendenti, ducibus ſeverioribus ratiociniis circuitui ſanguinis, viſcerumque functionibus ſuperſtructis, ſtatuendum eſſe de illorum ingenio viſum fuerit, ſalvis meliora ſuppeditare valentium judiciis, aggredior exponere.

§. 6.

Tandem genuina malignitatis notio ſuppeditatur.

Si in ullo morbo, ſane in malignis febribus ægros vitam parvam admodum & minimam ſæpe vivere concedent ſpero omnes, quibus vera vitæ animalis notio perſpecta habetur. Vita ſcilicet corporis humani minima cum Clar. SCHREIBERO, (*k*) mihi dicitur ille ejus ſtatus, quo vires vitales ejus durant quidem, ſed quomodocunque. Sunt vero vires corporis vitales illæ, ſine quibus vita ejus durare nequit. (*l*) At ſi ſuſtuleris vires cordis, cerebelli, pulmonum, ſuſtuliſti vitam, ergo vires cordis, cerebelli & pulmonum erunt vires vitales. Puto autem apparere ex phœnomenis omnibus malignarum, valde in iis læſas eſſe functiones partium vitalium, atque ſi febres malignæ comparentur cum aliis pro malignis non habitis, in eo præcipuum dari inter utraſque diſcrimen, quod in illis majus ſit moriendi periculum, quam in his, ſeu quod vires vitales in illis magis a naturali ſuo ſtatu receſſerint, quam in his. Eapropter igitur malignitas febrilis talis ſine dubio erit febrium conditio phyſica, quæ eam functionum vitalium depravationem & a naturali integritate receſſionem ponit, ut hæ ceſſationi plenariæ ſint quam proximæ: Cumque functiones vitales tam diu ſuccedant, perdurentque, quam diu in viſceribus vitalibus ſupereſt ſanguinis humorumque circulus, accuratius adhuc aſſeri poſſe videtur, quod illæ febres, ſi omnia rite conſiderentur, appellentur malignæ, in quibus quam maxime periculum adeſſe obſervatur, brevi ceſſaturi penitus circuli in vitalibus. Evictum vero dedi ſuperiori, capite de febribus, febrem quamcunque ſupponere ſtimulum irritantem & lentorem ſive reſiſtentiam in capillaribus; quare & idem illud nunc confidenter de febribus malignis valere debere pronuncio, quum aliter ad febres referri haud poſſent.

§. 7.

(*k*) In element. Med. cap. II. p. 45. (*l*) cap. 2. p. 43.

§. 7.

His ita prælibatis, doctrinam omnem de febribus malignis includo ſequentibus propoſitionibus, ut juſtus illius nexus, ipſarumque ſimul febrium ætiologia & medela uno obtutu lecturis ſiſtatur. Sit ergo Malignarumque febrium theoria vera theſibus quibusdam incluſa exhibetur.

Propoſ. I. In febribus malignis datur ſtimulus, isque venenoſus, acris, cauſticæ, ſepticæ, putridæque indolis, in aëre hoſpitans, quem miasmatis vel contagii nomine deſignare ſolent Medici.

Aſſignavi malignis febribus cauſſam ſuam materialem & merito, nec enim facio inter alios cum RIVINO & GERSTMANNO, quorum prior *diſſertatione de peſte*, & poſterior in *tractatu*, quem *tumulum peſtis* inſcribit, omnem lapidem movet, ut, eſſe peſtem ſine contagio, & oriri ſaltem ex terrore & imaginatione, adſtruat. Illam vero cauſſam in aëre quærendam eſſe affirmavi, quod ipſum vix ulla probatione indigere crediderim, cum omnium Medentum ſententiæ, refragante nemine, in hoc argumento ſibi reſpondeant. Vix certe obſervantur febres malignæ ſine epidemia, cum igitur plurium hominum eodem morbo laborantium copia ſupponat cauſſam omnibus ægrotantibus communem, hæc, niſi in cibo & potu inveniatur, ſine dubio in aëre quærenda erit. Atque idem illud jam antiquiſſimo tempore aſſeruit ſapientiſſimus HIPPOCRATES: (m) *Quando*, inquiens, *ab uno morbo multi homines corripiuntur, eodem tempore cauſſam ad id, quod communiſſimum eſt, & quo maxime omnes utimur, referre oportet, eſt autem hoc ſpiritus & aër, quem inſpirando trahimus.* Accedit adhuc, contagium ex uno corpore affecto migrans in aliud, non niſi aëris miniſterio alteri inſinuari, adeoque aërem antea infectum ſupponere. Aër nempe fluidus & elaſticus omnium corporum particulas ſubtiliores ceu univerſale quoddam menſtruum ſolvens, abripiens, imbibens, in ſinu ſuo fovet ignem, aquam, effluvia, plantarum, animalium, mineralium, ſulphura & ſalia diverſæ indolis, graviſſimoque judice BOERHAAVIO, (n) verum chaos eſt rerum omnium permiſtarum, cum in eo volitent attenuata quorumcunque corporum ramentula. Hæc In Aere febrium malignarum cauſſa.

 dum

(m) Libr. de natura humana §. 18. (n) in chym. p. 417. Tom. I.

dum in eodem moventur perpetuo, dum concurrunt, atque in ſe invicem agunt, nituntur que, dum ſibi invicem miſcentur, dum ſolis calore ſubtiliſantur, exaltantur, aliamque forte ita indolem, ac antea habebant, adipiſcuntur; dum dein rore, nebulis veſpertinoque tempore propius ad nos deſcendunt, multis variisque modis nocere poſſe ſanitati hominum, iisque inferre morbos peſſimos, ægreque ſuperabiles, ac inter eos febres malignas epidemicas, nemo facile inficiabitur. Æque enim in aëre noxiis ejuscemodi corpuſculis prægnante ſubinde hoſpitatur lethiferum venenum ac in temperato, puro, ſereno legitime elaſtico latitat, ad mentem cl. SENDIVOGII, aliquis occultus vitæ cibus.

§. 8.

In aëre ſtimulus venenoſus.

Ita ſane nemo ambigit, ſummo jure quæri in aëre, corpuſculis heterogeneis miasmatibusque referto, cauſam febrium malignarum, epidemicarumque. Dixi vero illam eſſe ſtimulum venenoſum. Definivit cl. HOFFMANNUS venena in genere omnia, quod ſint res, quæ exigua mole & ſumma partium tenuitate brevi tempore ordinem motuum vitalium pervertunt atque deſtruunt, (*o*) tresque adeo notas eſſentiales ponit, quibus ab aliis omnibus rebus corpori humano inimicis diſcernantur, 1) quod minima mole agant, 2) quod breviſſimo tempore partium ſolidarum & fluidarum motus pervertant, 3) quod in nervos præcipue, eorumque fluidum tenuiſſimum vim ſuam exerceant. (*p*) Quia igitur definitio veneni HOFFMANNIANA cum notis veneni eſſentialibus apprime convenit miasmati, ſeu contagio in aëre latitanti, etiam de contagio ſeu miasmate aſſerere licebit, quod ſit venenum, porro cum omne id, quod ſuo irritamento in noſtro corpore auget oſcillationem, fibrarum nervoſarum, dicatur ſtimulus, ac hoc ipſum etiam de miaſmate valeat, ut infra luculentius patebit, liquido perſpicitur, juſtiſſime miasma appellari ſtimulum venenoſum. Non igitur a vero aberrant ii, qui in morbis malignis venenum accuſant, ſaltem hæc notitia nimis generalis eſt, neque, niſi ulterius extendatur, aliquid ad morbi indolem remediorumque congruorum decentem electionem facit.

§. 9.

(*o*) M. S. Tom II. p. 173. (*p*) ibid.

§. 9.

Venena nimis multiplicia dari in rerum natura, neque omnia modo ſimili, ſed diverſa ratione nocere corpori humano, Medicis ſatis notum. Determinandam igitur fuit accuratius ingenium veneno ſi miasmatis, quod febres malignas ciet, graves vero rationes efficiunt, ut ipſi acrem, cauſticam, ſepticam putridamque indolem adſcribere non dubitaverim, atque hoc ipſum demonſtrari facile poſſe puto & a poſteriori, quod infra præſtiturus ſum, & a priori, quod nunc perficiam. Cum autem putredo omnis ſit ſimul acris, cauſtica & ſeptica, quod neminem facile negaturum crediderim, non opus erit, ut miasma eſſe acre, cauſticum, ſepticum comprobem, ſed ſufficiet demonſtraſſe eſſe putridum. Enim vero non poteſt non unicuique attendenti ad ea omnia, quæ toties occaſionem dediſſe naſcituris epidemicis malignisque febrilis obſervata ſunt, firmari ſententia, cui ſat multi hactenus Medicorum ſubſcripſere, miaſma illud in aëre volitans, quod prima cauſſa ejusmodi febrium habetur, putrilaginoſi eſſe ingenii. Notum eſt ex hiſtoria civili & medica, fluviorum exundationes morbis epidemicis malignis ſemper fomitem ſuppeditaſſe. Id quidem de Padi Italorum fluvii eluvione ſatis comprobavit RAMAZZINI, certaque Romanorum obſervatione conſtare poſt ingentes Tyberis inundationes oriri febres epidemicas in urbe valde graves & pernicioſas, notavit cl. BAGLIVUS. (q) Quid dicam de peſte Ægyptiis adeo frequente, atque a Nili inundationibus toties prognata? Optime vero, me judice, & hujus & ſimul omnium febrium malignarum, ex inundationibus prognatarum, geneſin tradidit DAPPERTUS, (r) dum, aquas Nili effuſas ſuper terram, ſtagnantesque, illam omnem paludoſam efficere, accedentibus autem ventis ex auſtro flantibus, & valde fervente ſolis æſtu aërem putridis effluviis inquinari, hæcque ita peſtem pro gignere, judicat. Eandem prorſus ætiologiam peſtis hujus Ægypto familiaris habet PROSPER ALPINUS; (ſ) Licet enim is contagium plerumque ex Græcia Syria & Barbaria in Ægyptum deferri perſuaſum habeat, tamen, ubi Nilus immodice ea loca inundat, diriſſimum hunc morbum oriri, nullus negat, atque de eodem ita ſcribit: *Aqua largio-*

Venenum hoc indolis eſt acris, putridæ, ſepticæ.

(q) p. 51. (r) in deſcript. Africæ p. 127. (ſ) de Medic. Ægypt. lib. I. c. 15.

largiori tempore terram occupante ſit, ut univerſum illud ſolum lacus invadat ſtagnans & paluſtris, qui, accedente prima æſtatis calore auſtrino, multo inſigniorem recipit putredinem. Vel aër illorum locorum ſuapte natura calidus & ſiccus, fluminis Nili larga inundatione perſeverante, immodice humidus redditur, quod aëris temperamentum ad gignendam peſtilentiam eſſe valde opportunum, & facile, Galenus libro I. de temp. memoriæ prodit. Dignum certe memoratu eſt, quod de morbo Leidæ olim epidemice graſſato, ob laborantium copiam, ipſa peſte truculentiori, cum totum Senatum, Clerum, Academiamque exhauſerit, notat cl. BECHLINUS, (*t*) quem totum ab aquarum ſtagnantium corruptela, putidisque vaporibus inde exſurgentibus deducit. Et quid opus, ut plura huc facientia commemorem? Sane omnis aqua ſtagnans, ſi vel antea puriſſima fuerit ſtagnando putreſcit adeo, ut ex lacuum ſtagnantium, aquarumque paludoſarum illuvie verum alcali, notante cl. HOFFMANNO, educatur. (*u*) Quam noxia autem inde ſurgant effluvia, quam ſubtili exaltataque putredine circumfuſum aëra, in immane ejus uſura viventium damnum, illa inquinent, nemo melius docuit cl. LANCISIO in elegantiſſimo libro de noxiis paludum effluviis. Nimis eheu! de triſti rerum harum veritate convicti ſumus, cum ante biennium Vratislavia noſtra, ob aquarum in ſuburbiis agrisque confluentium ſtagnationem, peſſimis multisque ex civibus noſtris funeſtis febribus infeſtaretur. Tum certe ſuccedens ſtatim inundationi calidior paulo aëris temperies adeo putrilaginoſam aquarum corruptelam adauxit, ut illæ fœtidiſſimæ, acerrimæque redderentur, homines que, quibus multus in iisdem inceſſus ob vitæ ſortem erat impoſitus, fœdas in pedibus maculas, puſtulasque, imo vero ulcera mali moris contraherent. Hanc dein aquarum putridarum fœdam colluviem, poſtquam imbiberat tellus, appropinquante vere ſolaribus radiis in vapores ſolutam iterum in aërem eructavit, eundemque ita tetrum & lethiferum haud paucis ex noſtratibus reddidit, ut adeo nemini Medentum dubitatio relicta fuerit, hauſto ex aëre contagio putridam, ſepticamque indolem fuiſſe adſcribendam.

§. 10.

(*t*) Lib. II. obſ. 17. (*u*) in obſerv. chym. p. 141.

§. 10.

Poteram adhuc alia nonnulla de paludibus & ſtagnis huc ſpectantia ediſſerere, alio quodam reſpectu geneſi febrium malignarum faventibus, dum non tantum ob putrilaginoſam aquarum ſuarum corruptelam venenoſa in aërem miasmata exhalant, ſed inſuper, HOFFMANNO judice, ſeminarium fœcundum verminoſæ putredinis exiſtunt. (*x*) Poteram præterea jure meam hic facere communem illam obſervationem, loca inſectis perpetuo referta, ut paluſtria omnia eſſe ſolent, ordinarie inſalubria haberi, inſuetosque culicum, muſcarum, locuſtarum exercitus, regioni cuidam incumbentes, fere ſemper epidemicas febres poſt ſe traxiſſe. Nolo vere in his omnibus fuſius occupari, ſed de cadaveribus demortuorum inhumatis pauciſſima eloquar. Nimis ubique ſcitur, quotiescunque, poſt ferales exercituum cædes & vulnera ruentium conflictus, cadavera hominum, quos ferrum & ignis deleverat, inſepulta jacuerunt, nullam aliam ob cauſam quam ob jugem putredinem, in quam ſponte ſua omnia animalia feruntur, aëremque fracidis & putridis exhalationibus prægnantem redditum, malignos valde & peſtiferos morbos innumeris vicibus fuiſſe inſecutos: quin & coortorum forte ventorum, qui non niſi commotiones aëris ſunt, injuria, in loca procul diſſita rapax contagium fuiſſe deportatum. Nondum oblita Polonia diriſſimæ peſtilentiæ poſt Suecorum victorias exſurgentis, cum lacera ubique interfectorum hominum cadavera, denegante ipſis ſupremum officium terra matre, tumulos haud ſubeuntia, fœdiſſimaque putrilagine depaſta, ac in tabum fœtidum diffluentia, aërem circumfuſum tetris vaporibus implerent. Non minus adhuc recordatur Vienna Auſtriæ peſtiferæ luis, quam, poſt diram ipſius obſidionem a Turcarum impiorum cadaveribus per agros longe lateque ſparſis, ac tumuli honore carentibus, naſcentem doluit. Idem vero, quod de hominibus dixi, & de brutis animantibus, ut equis, aliisque reliquis omnibus valet. Balæna certe (verbis utor illuſtris BOERHAAVII (*y*)) animalium vaſtiſſimum, a mari forte in littus ejectum, mortuumque, æſtivo calidiſſimoque tempore brevi peſtifera fracedine late loca inficit, & totum quantum reſolvitur in miaſmata

Miasma eſſe putridum & ſepticum probatur ulterius.

(*x*) Tom. II. pag 224. (*y*) in Chym. Part. I. pap. 411.

ſmata volitantia per aërem. Neque hic excrementa animalium, putredinoſæ corruptioni ex naturali ſua indole quam proxima, reticere debeo. Valde placet inter varias, quæ omnino dantur, febrium caſtrenſium cauſſas immunditiis in caſtris ubique obviis primum eſſe locum tribuendum, ſtatuere cl. RAMAZZINI. (z) Equidem Iſraelitis olim ſevero injunctum erat DEI mandato, ut ventris onus depoſituri extra caſtra ſe reciperent, palæque beneficio foveam in terra excavarent, in eamque detracta veſte ſordes alvinas dejicerent, ac poſtea illam foveam terra iterum adimplerent. (a) At vero, cum præceptum illud, ad militis ſanitatem adeo multum faciens, in caſtris communiter neglectui detur, atque ex numeroſis cloacis ubique patulis, ex ſtercoribus unius forte diei æſtu penitus volatilibus redditis, ex urinis cadaveroſam mephitim ſpirantibus, ſuaque ſponte volatilibus & ſurſum avolantibus, ex fimetis equinis calore exſiccatis infinita corpuſcula putrida in aërem continuo migrent, nil mirum, graviſſimas eapropter ægritudines caſtrenſes exoriri.

§. II.

Idem aliis adhuc argumentis adſtruitur.

Atque hæc quidem penitus confido ſuffectura probationi accuratiori, id miaſma in aëre volitans, quod febres malignas parit, putrido ingenio indutum incedere. Accedit interim hactenus dictis robur egregium ex illa conſideratione, quod, poſita conditione putredini quam proxima, ſponte ſua in corpore humano, ejusque humoribus enata, vel & ſtimulo putrido ſtudio ipſis inſinuato mox emergant illa ſymptomata, quæ malignis febribus propria communiter a Practicis ſtatuuntur. Eheu! quoties in obſidionibus urbium diutius protractis, accedente annonæ caritate, frumentorumque penu exhauſta ob devorata a miſeris obſeſſis animalia, feles, canes, equos, atque ob alcaleſcentem ita, & in putredinem vergentem diatheſin ipſorum humoribus inductam febres maligniſſimæ cum peſte ipſa excluduntur! Eheu! quoties, in hominibus diutius famem tolerare coactis, humores repetitis circuitibus acriores, magisque volatiles ac alcaleſcentes redditi, neque ullo novo chyli blandioris, inſulſi, vegetabilis, ad aceſcentiam proni acceſſu a corruptione, in quam vergunt, defenſi, febres pariunt, malignis prorſus

(z) de morb. artif. cap. 41. (a) Deut. cap. 23.

ſus ſimiles, æquaque ferocia in vitas decumbentium debachantes. En malignas ex putredine, quam ſola ſpontanea humorum degeneratio, receſſusque ſolus ab indole naturali excludit, enaſcentes! Sed de putrido ſtimulo ſtudio ſcienterque corpori ingeſto quædam dicenda ſuperſunt, eademque mira valde. Putrefacti usque in alcalinam naturam ovi pauxillum corpori ingeſtum ſane exercet ibidem miras facultates, dum nauſeam, horrorem, vomitum, anxietates, alvi fluxum, tormina, bilis incendia, æſtum, febrim ſitim excitat, ſoloque putrido halitu ſuo horrores, nauſeas, vertigines facit, humores corporis noſtri mirifice diſſolvit, inſtar veneni peſtilentialis. *(b)* Ipſe, quo de deleteria hujus putredinis indole plenius convinceretur, periculum in ſuo corpore facere auſus eſt cl. Bellini, atque deinde in epiſtola quadam ad Pitcarnium conſcripta, ſe dimidium ex ovo putrefacto granum alia materia involutum deglutiſſe, tum vero ſtatim inter anxietates & alia prava ſymptomata diarrhœam vehementiſſimam ſubortam, enarravit. Hem quam horrendi! quam inexpectati a ſtimulo putrido, exigua mole humano corpori applicato, effectus. Dixerim vero haud ſine ratione! fluviorum inundationes, paludum noxia effluvia, cadavera animantium in tabum malignum diſſoluta infinitos ſpargere in aërem ſtimulos, omnibus illis, qui ex ovo putrido exurgunt pejores, ſubtiliores, activiores, nocentiores. Unde, quam infeſti illi ſint humanæ valetudini, quoties corpus vel ſaniſſimum antea ingrediuntur, clariſſime omnino innoteſcit.

§. 12.

Propoſ. II. Miasma illud, (Prop. I.) ab homine hactenus ſano ex aëre hauſtum quomodocunque, vires ipſius ſubito proſternit, villos vaſorum nerveos ſua acrimonia vellicat & irritat, humorum ſtagnationes ac inflammationes producit. Atque in his momentis abſolvitur actio vera, primaria & immediata miaſmatis, quam in fluida & ſolida corporis exerit.

Nolo hic inquirere fuſius, per quas vias præcipue hærens in aëre contagium corpus animale ingrediatur, cum longa nimis de hoc argumento naſceretur tractatio. Inſinuet ſe, ut nonnullis viſum eſt, quam- *Miasma hauſtum vires proſternit.*

Ccc 2

(*b*) Adduco ipſiſſima verba Bœrhaavii in P. II. p. 302.

quammaxime ſalivæ, cum ea deſcendat in ventriculum, atque dein altius in penetralia corporis pergat. Subeat, ut alii ſtatuunt, cum aëre inſpirato pulmones, ibidemque ſtatim ſanguini tranſeunti intime admiſceatur. Ingrediatur per portas alias innumerabiles, per bibulas nempe venulas in omni puncto corticis corporis hiantes oceanum humorum. Ego jam ad ipſum miasmatis ingreſſum in corpus, introitusque modum parum attendo, de jam recepti effectubus ſaltem ſollicitus. Primum vero inter hos poſui ſubitaneam proſtrationem virium, quæ per experientiam ſtatim, quando quis infectus ægrotare incipit, ſeſe clariſſime manifeſtat. Atque id quidem nemo negat, eapropter proſterni vires, quia miasma in corpore receptum eſt, ſaltem, quis virium defectui, tanquam effectui, cum miasmate hauſto, ceu cauſſa, intercedat nexus, videndum. Docui jam in ſuperioribus ſine dubio in corpore animali unum eſſe, quod nutrit, & quod movet; humorem nempe ſubtiliſſimum ad ultimam perfectionem vaſorum actione deductum per nerveos tubulos vaſaque nervis exiguitate ſimilia circulantem, ac in ſero, quod cum albumine ovorum exquiſitiſſimam alit convenientiam, antea præexiſtentem. Conſtat vero per obſervata Malpighiana, albumen ovi totum per omne incubationis tempus abſumi in pulli nutrimentum, ſi vero ovum ante gallinæ incubationem ſit putridum, nullum inde excludi pullum, eamque ob cauſſam ſolam, quia albumen ad nutritionem tum inhabile. Eadem ratione cum ſero ſanguinis noſtri comparatum eſt. Notum enim ubique, phthiſicos omnes ſaltem eapropter extrema macie confici, atque ſæpe vix oſſibus hærere, quod omne ſerum, quo nutriri debebant, putridis inquinamentis ſcatens vim ſuam plaſticam amiſit. Quando igitur ſerum ſanguinis putredine inquinatum per experientiam id non amplius ſuppeditat, quod nutrit; nutriens autem & movens corporis humani in uno eodemque ultimæ elaborationis liquido latitat, valde omnino evadit veriſimile, ſerum ſanguinis putredine conſpurcatum, id etiam non amplius ſuppeditaturum fore quod movet. Jam vero ſupponatur, hominem ſaniſſimum, fortiſſimum contagio per aërem vagante infici, quod putridæ indolis eſſe antea ſatis ut opinor evici, nonne ad ſummam probabilitatem eſt credibile,

ad

ad ſtuporem diviſibile miasma per omne corpus evagatum ſubtiliſſima & halituoſa putredine liquidum ultimum movens ita infeciſſe, ut omni ſua priſtina energia privatum muniis ſuis ut antea adornandis impar reddatur, homoque ille ſubito omnibus viribus motricibus exuatur. Sane id ratiocinii genus eo magis juſtum illis verumque habebitur, qui in memoriam revocaverint, docere multiplicem experientiam, nil dari in rerum natura, quod citius vires proſternit, quam putredinem. Ponite vobis quæſo ante oculos, Lectores mei, virum robuſtum, Herculeisque viribus pollentem, phlegmone magna pedis laborantem, nullum adeo ex ipſo hoc morbo virium is defectum patitur; At vero, ubi in gangrænam vertitur inflammatio ob putredinem enatam, omnibusque humoribus admiſtam, eousque vires ipſius ſuccumbunt, ut in animi deliquia incidat. Imo vero qui medicinam ipſi parat chirurgus ob inſpiratos tetros & cadaveroſos halitus ſæpe debiliſſimus ab eo recedit, vixque ſuſtinendo ſui corpori ſufficit. Revocate adhuc, cujus ego hic reminiſcor, in memoriam veſtram artificem illum, qui, BOERHAAVIO exploraturo, quem gradum caloris animalia ſpirantia ferre poſſint, morem geſturus, canique in hunc finem cameræ illi, in qua panes ſaccharini exſiccantur, incluſo ſalivam rubellam fœtoris intolerabilis demittenti thermometrum in os immiſſurus, propriusque eapropter accedens in nictu oculi correptus animi deliquio fere exanimatus eſt, atque ſpiritu vini cum myrrha refici debuit. (c) Valde opportune hic adnectere potero, quæ apud Mortonum lecta olim memoriam ſubeunt. *Notatu digniſſimum eſt*, ſcribit Vir celeberrimus, *quod mihi nuperrime videre contigit, ſanguis nimirum fœminæ cujusdam febre maligna laborantis per phlebotomiam extractus adeo fœtebat, ut ex ejus tetro odore tam chirurgus quam adſtantes in animi deliquium inciderint.* (d) Ita ſane putredo omnis viribus motricibus humani corporis hoſtilis eſt, ut non mirum ſit, ſi latiſſime per aërem diffuſa, atque ad ſummam ibi ſubtilitatem evecta lethifero vapore omnem humorum maſſam penetrans extemplo fortiſſimo homini exquiſitam debilitatem inducat.

(c) in chym. P. II. p. 237. (d) Tom. II. in prolegom. p. 16.

§. 13.

Irritat fibrillas nerveas.

Exigit nunc propoſitionis modo ſtabilitæ ratio, ut probem miasma irritare, vellicareque villos nervoſos, quod quidem per ſe clarum eſſe crediderim. Etenim, quando certum eſt evictumque miasma putridum eſſe, erit omnino & acre, ſi vero acre fuerit, erit ipſius actio in corpus eadem, quæ omnium ſine exceptione acrium eſt, nempe irritans & vellicans. (e) Atque actio hæc tanto omnino vehementior ſupponi debebit, quando cum cl. HOFFMANNO & aliis non ſolum putridam & acrem, ſed prorſus cauſticam indolem ipſi aſſignandam eſſe ſtatuere volumus, id quod ab inſectis, quæ manifeſto ſale cauſtico pollent, toties occaſionem febribus malignis ſuppeditantibus, (f) ac plantarum in locis paludoſis, unde ſæpiſſime miasma velut ex latibulo prodit naſcentium indole, quæ plerumque acerrimæ & virulentæ eſſe obſervantur, docte probare nititur vir celeberrimus. (g) Quicquid ſit, illud ſatis certum eſſe exiſtimaverim putredinem non concipi ſine ſalibus & oleis acerrimis, ergo & miasma putridum ſine acerrima indole haud conceptu poſſibile habetur. Facile ergo ſcitur quomodo acre, irritans, putridum miasma cieat febrim nempe cordis & arteriarum villos ſenſiles ad crebriores contractiones ſollicitando, vel eorum motum oſcillatorium augendo, augmentum quippe motus oſcillatorii fibrarum proximus acrimoniæ irritantis effectus. Sique putridi ovi pauxillum, vel & halitus ovi putridi ſuo irritamento ſymptomata multiplicia non niſi ex irritatione nervoſarum partium prægreſſa explicanda, atque inter ea & febrim producit; cur dubitaremus facile de miasmatis putridi energia irritante, & irritatione ſola febrem excitante. Neque audienda eſt, quæ forte moveri poterat, objectio, pulſum debilem, qui in malignis ordinarie ſentitur, cum irritatione ſimultanea villorum ægre concipi, atque celeritatem ejus, quæ irritationem neceſſario ſequi debuiſſe videtur, non adeo animadverti. Poteſt ſane corde viribus deſtituto, cujus defectus virium cauſſam antea vidimus, poſitaque tamen ſimul cauſſa irritante coëxiſtere pulſus velociſſimus & debiliſ-

(e) Confer. Bœrhaav. de viribus remediorum, cap. de acribus. (f) Med. ſyſt. Tom. IV. cap. de febri peſtilenti. (g) Med. ſyſt. Tom. II. part. II. cap. 4. §. 16.

biliſſimus. Poteſt, corde ſi ob virium penuriam non celeriter contracto, tamen celerrime tremulo, adeſſe ſi non velox circulatio, tamen celerrima undulatio a callidiſſimi etiam Medici exploratore digito haud adeo percipienda. Interim negare haud vellem interdum poſito peſſimæ indolis contagio adeo plenarie, adeo ſubito vires motrices extingui, ut ne quidem febri ſenſibili & manifeſtæ excitandæ ſufficiant, ægerque moriatur citius quam motus circulatorius in vere febrilem aſſurgat. Et quid impedit, quod minus liquidi ipſius nervoſi ſiderationem a miaſmate peſſimæ indolis, ubi corpus ingreſſum eſt, ſubito perpetratam, tubulorumque pulpoſorum quorundam in cerebro & cerebello eroſionem momentaneam a ſeptico contagii ingenio ad ſummam potentiam evecto deducendam hic accuſemus; ſaltem, ita eo in caſu ſentiendum eſſe viſum fuit incluto febrium Doctori SYDENHAMO: (*b*) *In maxime inſigni*, inquit, *malignitatis inſtantia particulæ* νοσηραὶ *ita ſupra modum ſubtiles ſunt, ut auræ ad inſtar ſanguinem pervadant, ac ſideratis quaſi ejus ſpiritibus ne in ebullitionem quidem illum attollant, unde æger ſine febre perit.* Eandem foviſſe animo opinionem illuſtr. BOERHAAVIUM credo, quando ſibi primam ſpeciem peſtis febrim ſpirituum vocandam eſſe videri ſcribit, quia ſubito occidit ſine ullo ſigno; Quia culter anatomicus nullam in ejusmodi ægris mortis rationem ſufficientem detegit. (*i*)

§. 14.

Sequitur inter præcipuos & immediatos effectus miaſmatis recepti in corpus humanum tertius, quem in ſtagnationibus & inflammationibus conſiſtere edixi. Scilicet motus ſanguinis progreſſivus ſtagnationi ejus oppoſitus unice debetur viribus motricibus cordis & arteriarum, has autem vires hauſto miaſmate debilitatas per præcedentes demonſtrationes ſuppono. Igitur ceſſante potentia motrice ipſe ceſſabit motus, hoc vero ceſſante neceſſario liquida hinc inde ſtagnare incipient; atque continuante defectu virium motricium ſenſim ſtagnationes ſemel natæ increſcent atque obfirmabuntur. Quodſi dein poſitis ſtagnationibus accedat forte impetus ſanguinis adhuc moti naturali major, ſtagna- Stagnationes & inflammationes ciet.

tiones

(*b*) pag. 315. (*i*) in comment. aph. 738.

tiones non ſimpliciter tales manebunt, ſed tranſibunt in inflammationes, cum idea inflammationis ſtagnatione alicujus liquidi in vaſe quodam arterioſo cum impetu circulantis aucto abſolvatur. Præterea ipſi contagio ceu miasmati putrido, acerrimo, cauſtico eſſe, ut venenis acribus, cauſticisque ſine exceptione omnibus vim ſummam fibras corporis nerveas irritantem, criſpantem, erodentem, adeoque valde phlogiſticam, ſepticamque, cuncta malignarum febrium phœnomena credere jubent. Sane ſal alcalinum quodcunque cuti impoſitum brevi eidem dolorem, ruborem, tumorem, paucis inflammationem inducit, quidni miasma illud ſepticum omni ſale alcalino potentius in partibus internis tenerioris longe ſtructuræ præditis idem ageret. Favent hiſce cogitatis egregie viri graves SYDENHAMUS & BAGLIVUS, qui, poſt habitis & expunctis omnibus malignitatis otioſæ fabellis, quæ nihil explicant, malignitatem in phlogiſtico humorum ſtatu ponendam eſſe aſſeverant. Prior eas febres præſertim malignas dici judicat, *in quibus intenſior eſt præ cæteris inflammationis gradus.* (*k*) Alter inter falſa Medicorum idola, ſive opiniones falſo præconceptas abuſum accuſandi fictam quandam in morbis malignitatem & ſimiolam frequenter rudioribus Medicis imponentem referens, febrium malignarum cauſſas genuinas *latentes viſcerum inflammationes* eſſe aſſeverat. (*l*) Et alibi expreſſis verbis ita ſcribit: *Febres, quæ nobis videntur malignæ, a viſcerum phlegmone aut eryſipelatode fiunt, id eſt a cauſſa evidente & manifeſta; Unde ergo illa malignitas?* (*m*) Cum BAGLIVO & SYDENHAMO conſentiunt GUALTHERUS HARRIS, BERGERUS, (*n*) HOFFMANNUS, STAHLIUS, (*o*) aliique recentiorum, quos adducere omnes ſupervacaneum duco, ſaltem adhuc adſcribam verba memoratu digniſſima experientiſſimi WEPFERI: (*p*) *Ego*, inquit, *& mecum alii non ſine valetudinis damno in cadaveribus hac febri interemptorum diſſectis pulmonum, hepatis, aliarumque partium interiorum inflammationes deprehendimus.* Fui in eo, ut ſtudioſe inquirerem, quæ tandem veteribus de formali indole febrium malignarum mens fuerit, licet enim ipſis malignitatis

(*k*) pag. 681. (*l*) Oper. p. 17. (*m*) Oper. p. 51. (*n*) diſſ. de acido inſ. §. 12. & ſeqt. (*o*) diſſ. de methodo malignas febres rite tractandi §. 15. (*p*) de cicut. aquat. hiſt. p. 53.

tis nomen, quod penitus recens eſt, non in uſu fuerit, tamen illas febres cum ſuorum ſymptomatum ſyndrome, quas hodie nos malignas dicimus, illis ſatis cognitas, ſatque frequentes fuiſſe, nemo, niſi in rebus medicis hoſpes, facile negabit. Atque inter veteres omnes Principem HIPPOCRATEM conſulendum maxime fore credidi, cujus ſcripta huic ſoli fini intentus percurriſſem ſedulo, niſi gratum mihi otium feciſſet cl. BRENDELIUS. Adſcribo propria ipſius verba: *Hippocratem alias per τὸ κακοήθες id malignum intellectum voluiſſe videtur, quod noſtro tempore diatheſin inflammatoriam hærentem in viſceribus febri mali moris ortum præbentem dicimus. Per το θεῖον vero illud ſummæ tenuitatis, atque a ſenſuum acie prorſus remotum, at ſummarum virium in morbis peſtilentialibus contagium.* (*q*) In ſinu gaudeo, Hippocratem Batavum nuper eheu! in irreparabile artis damnum extinctum, illuſtr. BOERHAAVIUM, optimum ſane veteris Hippocratis Coi interpretem, prorſus eadem ratione de febribus malignis, ad mentem primi Medicinæ parentis, explicandis ſentire. *Quando*, inquit, *vulgares Medici, qui rem non introſpexerunt, vel juniores, vel idiotæ audiunt nomen malignitatis, tum putant, quod hi, qui hoc nomen proferunt, habeant diſtinctam morbi ideam. Excuſſi ſcripta ſapientiſſimi Hippocratis, inveni duplicem intellectum hanc vocem ferre poſſe, ipſi enim deſignant, divinum ſiderans τὸ θεῖον, ſeu illud tenue inviſibile contagium ut in peſte; Sed præterea Hippocrates intellexit per malignitatem functiones a diatheſi inflammatoria læſas.* (*r*) Puto ego, viſa hac antiquioris & recentioris Medicinæ concordia, non opus eſſe, ut pluribus probare annitar, veram genuinamque malignarum indolem abſolvi ſtagnationibus & inflammationibus. Imo vero cum extiſpicia his febribus defunctorum, quod omnes Medici uno ore aſſerunt, ſphaceloſas corruptiones viſcerum humorumque putredinoſam colliquationem planam teſtatamque faciant omnino debuiſſe præcedere ſtagnationes & inflammationes, atque ab illius corruptelæ præſentia ad has prægreſſas concludendum eſſe crediderim. Sed de hac re in ſequentibus diſpiciemus fuſius. Sequitur

(*q*) Diſſ. de vanitate compluriuim remediorum. §. 11. (*r*) in comment. aph. 733.

§. 15.

Propoſ. III. Poſitis effectubus primariis miasmatis, nempe depreſſione virium, irritatione villorum, humorum ſtagnationibus & inflammationibus ſequuntur ſymptomata malignarum ſupra §. 4. enarrata. Atque ſi ſiniſtrum morbus eventum ſortiatur, ob ſanguinis grumoſi coagula, vel & ipſius colliquationes putredinoſas, quas culter anatomicus in cadaveribus detegit, neceſſaria mors.

Symptomata malignarum a tribus primariis effectubus miasmatis pendent.

Actionis & energiæ genuinæ, quam in corpus exercet miasma, prægreſſam notitiam facilem nunc ſymptomatum omnium malignis familiarium intellectum parere, certum omnino eſt. Atque unde primo virium ſumma & ſubitanea proſtratio repetenda ſit, curque pulſus valde debilis micet, ita in antecedentibus explicatum eſt, ut nulla ulteriore explicatione ſit opus. Quod urinam tenuem & parcam attinet, ſane illa ſæpiſſime malam cerebri affectionem denotat, atque ob ſtagnationes ſanguinis, qui vaſis impactus quieſcere incipit, tenuiora ſaltem, quæ urinam ſecretam conſtituunt, elementa per renes elabi, craſſioribus interim cum damno remanentibus, abunde probat. Reſpirationem difficilem & anheloſam nemo aliunde rectius, quam a deficiente ſanguinis ad quietem vergentis tranſitu per pulmones, aut plenaria ejus in vaſis pulmonalibus ſtaſi derivabit. Vigiliarum & deliriorum ortum a cerebro læſo, a ſanguine per ejus canales inordinato flumine trajecto, membranarumque ejus diatheſi inflammatoria pendere manifeſtum eſt. Anxietates a circulo per hepar & pulmones præpedito rectiſſime deducuntur, inquietudines & jactationes, obſtructiones inflammatorias fere per omne corpus adeſſe demonſtrant, ut adeo in nullo corporis poſitu æger levamen aliquod inveniat. Puſtulæ maculæque non ſane miasmatis hærentis in cute, ſed ſanguinis ſtagnantis, inflammati, gangrænoſi, ſphacelati ſunt indicia certiſſima. Tendinum ſubſultus & convulſiones, ut fere ſemper in febribus, ita & in malignis cerebrum laborare indicant, atque partim ab ejus compreſſione per ſanguinem ibi tardius motum & ſtagnantem inducta, partim a liquidi nervoſi & ſanguinei inæquali in muſculos influxu pendent. Singultus

gultus tandem ventriculi ac diaphragmatis inflammationem lethiferam clamat, animique deliquia urgentia extremam virium proſtrationem, inſtantemque motus cordis plenariam ceſſationem portendunt.

§. 16.

Phœnomenorum in Cadaveribus ætiologia.

Hæc de ſymptomatum ætiologia in malignis febribus; pergo ad ſanguinis grumoſi vel reſoluti phœnomena explicanda, quem ea quidem facie comparere ob prægreſſas ſtagnationes & inflammationes, atque ſic conſtitutum cauſſam mortis veram habendam eſſe ipſa propoſitione modo ſtabilita indicavi. Sedulo nimirum inquiſiviſſe juvat, quas demum maligna febris conditiones in corpore pariat, ſub quibus neceſſario moriendum eſt, *non* enim, ut verba Bagliviana optime huc quadrantia mea faciam, *ſimiola malignitatis ægrum jugulat, ſed gravis lymphæ ſideratio, ac concretio.* (*s*) Multa paſſim a ſcriptoribus medicis de hiſce febribus differentibus injicitur ſanguinis ita comparati mentio, ſi forte ab iis e vena viventium ægrorum miſſus, aut in cadaveribus demortuorum inſpectus fuerit: ſaltem fere omnes de eodem tractantes in duas claſſes abire obſervantur. Sunt nempe, qui ſanguinem in talibus malignis febribus unice denſum, coactum, atrum repertum fuiſſe ſcribunt, quos inter præcipue MALPIGHIUS, (*t*) RULANDUS (*u*) & Simon PAULI. (*x*) Alii vero non niſi de ſanguine reſoluto, colliquato, coccineo, juſto fluidiori, minus coagulabili, imo vero fœtido verba faciunt, ubi videre eſt apud GRAATIUM, (*y*) SYLVIUM, (*z*) HEURNIUM, (*a*) MORTONUM, (*b*) & in Nat. Curioſ. Ephemeridibus. (*c*) Quicquid ſit, ſive ſanguis in corpore febre maligna adhuc laborantis vel jam demortui reddatur naturali ſpiſſior, ſive juſto fluidior, naturalique diſſolutior; ſive in uno eodemque cadavere, quod alii volunt, interdum alibi denſus & concretus, alibi colliquatus & tenuis inveniatur. Mea quidem ſententia ita eapropter invenitur, quia ipſius ſtagnationes & inflammationes fuere prægreſſæ, atque ita tali modo apparens de ſtagnationum &

(*s*) Operum p. 51. (*t*) de polypo cordis. (*u*) de lue Hungarica (*x*) in digreſſu de febribus malignis Th. 14. (*y*) de pancreat. c 8. (*z*) Pr. Med. Lib. I. c. 23. & de meth. med. lib. II. c. 26. (*a*) de febr. malignis. (*b*) Exercit. morb. univerſ. acut. p. 26. (*c*) Dec. II. An. IX. obſ. 218.

inflammationum conſectariis liquido teſtatur. Scilicet ſimul ac vires motrices vaſorum, ut in ſuperioribus jam annotatum eſt, languidæ redduntur, atque inertes, ſanguis animalis ad quietem vergit, ac immeabilis, ſpiſſus, grumoſus evadit. Proprium vero eſt ſanguinis, quemadmodum recte animadvertit Baglivus, (*d*) quando tardiori motu procedit, ut ſerum ab ejus ſinu ſecernatur majori vel minori copia, prout motus erit magis vel minus retardatus. Scitur ergo facile, quid ſibi velint in cadaveribus grumi, quid liquamen ſeorſum. Serum vero illud quietum hærens in calore determinatorum graduum ſenſim redditur tenuius, fœtens, rancidum, acre, ſanioſum, putridum. En originem liquaminis tenuis, diffluentis, peſſimæ olentis, quod in cadaveribus deprehenditur. (*e*) Porro, quia ſanguis totus, ſi quieverit etiam quoad maximam ſuam grumoſam partem, ſola forte pauca, atra, & immeabili fœce excepta, calore reſolvitur in graveolentum, fœtidum, cadaveroſum ichorem, nunquam amplius coagulabilem, hæc reſolutio, quam cadavera exhibent, unice quoque debetur defectui motus, calori, atque degenerationi ſpontaneæ, in quam liquida animalia ſub his conditionibus ſua ſponte feruntur. Atque ex ſimplici hac deductione videtur mihi fluere ætiologia facilis phœnomenorum omnium, quæ inciſa malignis demortuorum cadavera anatomicis exhibent, ſimulque neceſſitas phyſica, cur, his conditionibus ſanguinis poſitis, ægris omnino moriendum fuerit. Namque ſi ſanguis ad quietem vergat, ſpiſſusque & grumoſus ob quietem redditus hæreat in majoribus vaſis vel in viſceribus vitalibus, neque ſolvatur arte cita, brevi actum erit de circulo omni, ergo & ſimul de vita. Porro, ſi in vaſorum alveis fluctuet ſerum putridum, ſeu ichor gangrænoſus, ſenſim is magis alcalinus, oleoſior, volatilior, acrior evadet, tumque illis in corpore vaſis, quæ omnium tenerrimam fabricam nacta ſunt, ſummum eroſionis imminebit periculum. Cum vero vaſcula minima & ſubtiliſſima ſint in cerebro, cerebello, & pulmone, horum vero eroſio & deſtructio pari paſſu ambulet cum inevitabili mortis diſcrimine, ſtatim conſpicitur ratio mortis febrem malignam ſemel natam inſequentis. Igitur ultimus effectus miaſma-

(*d*) p. 330. (*e*) Vid. chemia BOERHAAVIANA P. II. p. 305.

miasmatis maligni, ſive citius necet, ſive tardius, putredo. Quam ſapienter igitur malignas febres, quarum nomen ignorabant, ad ſynocham ſuam putridam retulere veteres Medici?

§. 17.

Auctoris a Clarorum quorundam Virorum ſententiis diſſenſus.

Atque ita illam, quam mente teneo, malignarum febrium pathologiam expoſui, ſatis certus me in ea finxiſſe nihil, nil ſuppoſuiſſe gratis, ſed ordine juſto cauſſarum & effectuum ſeriem, nexumque tradidiſſe. Puto autem facile appariturum rerum gnaris, quousque cum aliis virorum præclariſſimorum ſententiis faciam, quousque ab iisdem receſſerim. Plerique, quod bene novi, malignitatem animo concipientes, vel ejus indolem formalem, ut ſcholæ loquuntur, explicare modo intelligibili laborantes putredinem ſimul concipiunt, deque putredinoſa humorum reſolutione verba faciunt. Clare aſſerit cl. STAHLIUS miasma contagioſum veram habere energiam fermenti ad præſentiſſime exacuandam putredinem, totamque maſſam humorum ita potente & præſente putredine corripi in ejusmodi febribus, ut nulla ſpontanea & ex propria ſua textura humoribus competens putrefactio illis comparari poſſit. (*f*) Stahliique veſtigia aſſeclæ omnes fideliſſime ſequuntur de indole miasmatis fermentativo-putredinoſa ubique verba facientes. (*g*) Nec minus illuſtr. HOFFMANNUS venenatum miasmatis vaporem ejus eſſe indolis memorat, ut ſanguini, aliisque humoribus putredinoſam ſucceſſive inducat fermentationem, (*h*) formalemque adeo harum febrium rationem conſiſtere in putrida diſſolutione ſeu colliquatione ſanguinis ibidem aſſeverat. PORRO etiam VATERUS reſolutionem humorum inteſtinam ad totalem corruptionem & putredinem tendentem accuſat. (*i*) Deinde cl. HAMBERGERUS indolem malignitatis in fermentatione præternaturali maſſæ ſanguineæ reſolutionem majorem vel minorem inferente ponit. (*k*) Noſtrique ordinis Medici olim decus Godofr. KLAUNIGIUS putridæ ſanguinis corruptioni omnem inniti malignitatem edixit. (*l*) Atque in hoc argumento hodie fere Medici

(*f*) Diſſ. de febr. malign. §. 15. (*g*) conf. JUNCKER. Tab. 70. p. 568. (*h*) Med. Syſt. Tom. IV. Sect. I. c. II. p. 259. 260. (*i*) Diſſ. de febr. petech. theſ. 8. (*k*) Diſſ. de malign. §. 14. (*l*) in noſoc. charit. obſ. 25.

omnes conſentiunt, neque ego ab eorum opinionibus abhorreo, omnem malignitatem ultimo in putredinem terminari ſatis convictus, ſaltem accuratior dilucidatio, nexusque inter miasma & putredinem commonſtratio deſiderari in ipſorum aſſertionibus poſſe videtur. Scilicet viri clariſſimi omnes a me allegati (quod ſalvis ipſorum meritis, quæ veneror, atque ſuſpicio dictum velim) ſaltum faciunt in febrium malignarum ætiologia exponenda, dum effectum ultimum malignitatis, qui omnino in putredinoſa humorum diſſolutione conſiſtit, tantum allegant, intermedios vero, quos hæc diſſolutio ſupponit, aut tacent, aut nexum omnium effectuum ſecundum ordinem non monſtrant. Inde autem morbus ipſe, qui in ſtaſibus & inflammationibus ſecundum ſuam eſſentiam conſiſtit, cum cauſſa mortis a morbo excluſa, nempe reſolutione putredinoſa confunditur, nec juſtæ indicationes emergunt. Ipſe equidem in ſuperioribus commonſtravi fuſius agnovique ultro, miasma eſſe ſepticum, putridumque. Vix autem credibile habendum, immediatam actionem miasmatis in humores animales eſſe, eorundem coagulationem vel reſolutionem putridam, quemadmodum communis fert ſententia. Non enim concipi ulla ratione putredo humorum noſtrorum poteſt, niſi vel prægreſſo & ſuppoſito motu ſanguinis circulatorio naturali majore, indeque excitato calore naturali majore, vel prægreſſa & ſuppoſita ſanguinis ſtagnatione & quiete, unde rectiſſime Boerhaavius alicubi inculcat: *In omni morbo menſurari humorum putredinem, vel ab abſoluta quiete, vel a gradu caloris & motus.* (m) Quare non ſufficit dicere, miasma ciere reſolutionem humorum putridam, ſed antea commonſtrandum erat, qua ratione miasma excludat, vel motum ſanguinis naturali majorem, vel ejus quietem plenariam, cum ab his ſolis reſolutio putrida demum emergere queat, atque manente ſanguinis motu naturali locum non habeat, in hunc ergo antea vitium redundet a miasmate hauſto, quam reſolutio putrida ſuccedat neceſſum eſt. Et quid multis? ipſe cl. Hoffmannus ultro libereque confitetur, *a miasmate morboſo non primario ſanguinem in putredinem conjici, quia ſanguis, quam diu eſt in motu progreſſivo, inque orbem agitur, nullam contrahere*

(m) in Comment. aph. 84.

trahere putredinem queat. (*n*) Hæc omnia, qui mecum decenter accurateque conſideraverit, non mirabitur ſpero, quando ingenue profeſſurus ſum, omnes illas locutiones miasma habere energiam fermenti, eſſe fermentativo-putredinoſæ indolis, inducere ſanguini fermentationem putredinoſam, humores in motum inteſtinum, putridum, reſolutorium abripere craſin ejus naturalem diſſolvere &c. mihi neutiquam arridere, etſi eas viris doctiſſimis ſat multis placere video. Segreganda ſollicite eſt fermentatio & putrefactio a ſe invicem, cum toto cœlo inter ſe ambæ differant, ne tot confuſæ, ut hactenus factum eſt, ideæ in medicina oboriantur. (*o*) Sane ubi putrefactio humorum animalium, ibi motus inteſtinus putredinoſus, id verum; non vero locum habet motus inteſtinus antea, quam ſanguis extra motum ſit conſtitutus. Ergo primo debet miasma efficere, ut ſanguis ſtagnet, tumque demum motus inteſtinus putredinoſus poſſibilis, aut debet efficere, ut rapidiſſime moveatur per ſuos canales, quia ſic etiam in putredinem vergere humores incipiunt, aliter neutiquam. Eapropter omnino certiſſimum eſt, ut alia multa, ita & reſolutionem & grumeſcentiam ſanguinis in malignis eſſe effectus ſtagnationis & motus, non proxime effectus miasmatis. Male eapropter cl. BAGLIVUS aliter de ipſo ingenio malignarum, quod in latentibus viſcerum inflammationibus optime ponit, egregie ſentiens, cauſas earum modo eſſe coagulationem, modo diſſolutionem humorum aſſeruit, (*p*) quum utraque ſit cauſſa mortis non morbi, ultimumque demum malignitatis conſectarium. Fallor inſigniter! aut idem illud, quod hic urſi, eadem opera adhibita inculcat cl. BERGERUS, *in febribus malignis*, inquit, *ſi cauſſas antegreſſas, eaque omnia obſervemus, quæ & ægrotantibus eveniunt, & in defunctis deprehenduntur, fateamur neceſſe eſt ſanguinem ad diſſolutionem putridam, ad acrimoniam alcalinam, oleoſam, volatilem contendere*, (bene attendatis lectores mei oro) *ſive is in orbem rapiatur, ſive alicubi hæreat.* (*q*) En bina momenta! quæ omnis reſolutio putredinoſa conſtantiſſime ſupponit. Aque ita demum apparíturum confido, primam cauſam malignarum febrium

(*n*) Med. ſyſt. Tom. II. pag. 199. (*o*) Vid. Bœrhaav. Chem. de ferment. (*p*) Operum pag. 17. (*q*) diſſ. de acido infonte prima §. 12.

brium hauſtum miasma & ultimum effectum ejus putredinem humorum varia ſupponere intermedia, motum circulatorium vel nimis velocem, vel, qui plerumque obſervatur, admodum languidum; ſanguinis ſtagnationes, grumeſcentias, inflammationes; ſeceſſiones ſeri a coagulo grumoſo, degenerationes ſeri in eam corruptionem, in qua ſua natura fertur, coaguli grumoſi colliquationem &c.

§. 18.

Propoſ. IV. Curatio igitur vera malignarum febrium requirit, ut ſtimulus venenoſus (Prop. I.) ſtatim obtundatur, invertaturque per ſua antidota, vel quam citiſſime e corpore infecto ejiciatur. Ita enim neceſſaria ſtimuli conſectaria (Prop. II. & III.) quam optime præcavebuntur.

In Cura ſtimulus venenatus obtundendus & ejiciendus.

Remedia alexipharmaca, ad hunc finem uſurpari ſolita, nocentiſſima.

Arduum momentum propono, quando de ſtimulo venenoſo, ſeu maligno miasmate obtundendo, invertendoque verba facio. Utinam θεῖον illud ſuum haberet certum, citum, infallibile antidotum! ſed de hujus defectu conqueſta eſt antiquitas, dolentque ejus ignorantiam Medici ſeculi noſtri ſummi. Extinguunt deleterias arſenici ſumpti vires extemplo oleoſa omnia. Caſtrat aquam fortem omni ſua virulentia in inſtanti lixivia ſaponacea, vel leviter alcalica una cum abſorbentibus, utinam ea promptitudine cognito quodam remedio extingui atque annihilari poſſet formidabilis hauſti miasmatis aërei energia. Gaudet equidem per DEI gratiam medicina ſuis præſidiis, quibus aërem peſtiferum, venenoſisque corpuſculis gravidum corrigat pauliſper, quibus corpora hominum contra inſenſibilem vereque malignum hoſtium talium ingreſſum muniat, quibus ſuſceptum miasma ſtatim infringat, mitiusque reddat. At enim vero quam ſæpe omnem Medentis operam potentiſſimum illud minutiſſimæ molis venenum eludit! quam ſæpe adhibitis optimis quibuscunque, quibus ars inſtruitur, medicaminibus, immanem nihilominus inter mortales ſtragem edit. Ambigo vero, an miſericordia digna ſit an culpa, pœnisque oneranda ſancta illa Medicorum ſimplicitas, qui in bezoardicis & alexipharmacis, ut dicuntur, remediis miasmatis venenoſi antidota latere credunt, aut ingreſſum in corpus humanum id venenum talibus pharmacis ejicere ac expellere moliuntur. Dolendum, quod elogiis remedio

aliquo

aliquo affixis nemo unquam hominum ſanatus fuerit, quod inepta illa conamina plerumque vel noxia admodum, vel nimis innoxia inveniantur. Omnia ſcilicet alexipharmaca atque bezoardica remedia, ſi rite conſiderentur, vel acria ſunt & calida, vel inſulſa & terreſtria, audax vero aſſero, nec priora convenire malignis febribus nec poſteriora. Habent venena quædam certa ſua antidota, id negari nequit, quis vero eo dementiæ rueret, ut in theriaca, mithridatio, philonio, eſſentia alexipharmaca, ſcordii, pimpin. ſerpent. contrajervæ &c. tincturis bezoardicis, decoctis alexipharmacis &c. verum antidotum contra miasma malignum quæreret? Odi ego vel nomen alexipharmacorum & bezoardicorum, cum hæc talia, ſi verum malignarum ingenium reſpiciatur, prorſus ipſi non conveniant, quod ſine hæſitatione contra communem medendi methodum palam eloqui audeo. Sane omnia alexipharmaca calida nulla in nos operantur qualitate occulta antipeſtifera, antimaligna, ſed unice irritando ſua acrimonia nervos & vaſorum villos; Ergo agunt idem illud, quod agit ſtimulus venenoſus ex aëre hauſtus, tantum abeſt, ut ejus actionem impediant, inhibeantque. Ciet miasma, quoties corpus humanum ingreditur, ſtatim febrem, at facillimum eſt, creare febrem, dato alexipharmaco quocunque; inducit miasma humoribus diatheſin inflammatoriam, idem efficit remedium alexipharmacum. Vergere facit miasma ſanguinem in alcaleſcentiam & putrefactionem, idem prorſus expectandum ab alexipharmaco. Abſint igitur a malignarum curatione venenoſa illa & vere maligna alexipharmaca, quia nec cauſſæ tollendæ, nec effectubus cauſſæ morbificæ impediendis ſed juvandis potius ſerviunt, ſi ſine præjudicio conſiderentu; Quamvis mordicus ubique retineantur, & ſumma in uſu ipſorum a Medentibus locetur fiducia. Adeatis vero vos omnes, qui cœco impetu, in epidemicarum febrium medela, alexipharmaca & bezoardica miſeris veſtris ægrotantibus præſcribitis, adeatis precor Gualterum Harris atque damnoſam horum remediorum malignamque valde indolem graphice depictam videatis. En ſinceram imaginem: (*r*) *Ut primum quempiam febre epidemica correptum vident, de malignitate, neſcio qua, protinus ſomniant, atque*

Ee e *alexi-*

(*r*) de morb. infant. pag. 78. 79. edit. Amſt.

alexipharmacis & diaphoreticis haud parum calidis malignitatem illam propulſare indeſinenter contendunt. Interim febris ex ſua natura ſæpiſſime mitis, nec mali omnino moris ex ipſa methodo vere maligna (ſi quæcunque alia) ſolet effici. Etenim cum ſerum ſanguini per venas & arterias transferendo debitum ſudorificis importunis, ita penitus exhauriatur, nil mirum eſt craſſiores ſanguinis partes in motu ſuo interrumpi, ac quodammodo ſtagnare; Pulſum exinde debilitari, atque inæqualem, undoſum, tremulum, formicantem, aut intermittentem reddi. Urinas inſuper eadem de cauſa pauciſſimas eſſe, aut cruditatis ſummæ indicia exhibere; Ac denique notas malignitatis primarias, nimirum petechias, maculas purpureas, & quandoque ſtigmata peſtilentialia (varios gangrænæ fientis aut factæ gradus) ſeſe oſtendere ſolere. Nempe habitus corporis humido multo prius perfuſus, & benigno calore conſtans, ſub regimine calidiore ſtatim exareſcit, aduritur, atque æſtu acerrimo prorſus torretur: ut proinde neque lympha irrigandis continuo partibus deſtinatæ copia ſufficiens reſtet, neque ſanguis craſſior jam redditus, & paſſim ſtagnationi idoneus per vaſa circuitioni perenni ad vitam ſuſtentandam neceſſariæ inſervientia amplius fluere, aut ſatis celeriter movere poſſit. Porro, ruminatis ſerio elegantiſſimis his cogitatis Harriſianis, oro vos, evolvite BAGLIVUM, ac perpendite attenti, quid ille de horum remediorum viribus ſentiat: *Quando ego,* inquit, (*s*) *ſolus ægrotorum meorum curam incipio, & mea methodo febres curo, raro tales malignas febres obſervo, ſed quando ad curationem ab alio cœptam vocatus ſum, quoniam mente mille præjudiciis antecepta curatio febrium inſtituitur, nec oraculis naturæ & magni ſenis præceptis auſcultatur, mille differentia & gravia obſervo accidentia, quæ frequenter ſoboles ſunt methodi depravatæ, non vero naturæ morbi. Licet hæc paſſim ac quotidie in praxi ſuccedant; Succedit etiam, ut pluries vidi, dari febres nonnullas in ipſo principio graves ſtatim, ſtatim periculoſas, & periculoſis etiam ſtipatas ſymptomatibus. Has vulgus vocat malignas, id eſt a venenifero productas humore; cujus imaginarii & commentitii veneni de cauſa innumera ſtatim præſcribunt ſpirituoſa, aromatica, alexipharmaca, calida, volatilia & mille id genus inter ſe pugnantia remedia, quibus, quod præcavere volunt, periculum*

(*s*) pag. 52.

riculum advocant & augent. Si hæc omnia argumenta ſumme ſtringentia nondum ſufficiunt, evolvite cl. BERGERUM (*t*) & eadem alexipharmacis tribui elogia ab eodem deprehendetis. Porro precor videte SYDENHAMUM, malignas ſæpe non venenoſa morbi indole, ſed a therapia perperam adminiſtrata proficiſci, (*u*) malignitatemque per calida remedia augeri, per temperantia edomari diſertis verbis pronunciantem. (*x*) Rurſum legite diſſertationem STAHLIANAM *de erroribus circa curationem malignarum febrium*, in qua celeberr. auctor calidum regimen omnia in pejus mutare probat, ſimulque, quod memoratu dignum eſt, refert, conſtare ſibi ex relatione Vienna Auſtriæ ad ipſum per virum quendam cordatum delata: Omiſſionem potius tam remediorum quam regiminum æſtuoſiorum funerum frequentiam imminuiſſe, morboque epidemico vires ſubtraxiſſe, quam uſurpationem. (*y*) Tandem pervolvite illa omnia, quæ docte & fuſe de ſudorum calido regimine acribusque remediis proritatorum noxis ſummis, erudite & fuſo diſputavit cl. KANOLDUS. (*z*) O bone DEVS! quid ergo tandem ſibi vult male ſana illa in alexipharmacis ſibi placens libido, quæ, non obſtantibus tot ſeriis dehortationibus, quæ, non obſtante cognito morborum malorum ingenio, longe alia remedia & prorſus alexipharmacis contraria ſuadente nihilominus ad hunc diem inter Medicos obtinet. Scripſit cl. STAHLIUS diſſ. modo allegata, poſtquam de theriaca & Mithridatio verba fecerat: (*a*) *Inter juſta divina judicia id collocandum videri, quod nihiloſecius occæcatis potius quam obſtinatis hominum mentibus falſæ tales traditiones de protervia ſua nil remittant.* Atque neſcio ego, an juſtis Dei judiciis, an Medicorum ſocordiæ & negligentiæ receptis olim methodis medendi, ſive bonæ ſive malæ illæ fuerint, fideliter inhærenti tribuendum ſit, quod ad hunc diem abſtinere ab alexipharmacis eſſentiis, bezoardicis tincturisque acribus in febribus malignis nequeant. Abſit a me, ut virorum doctiſſimorum meritis inſultem, ut aliorum conſilia cenſuris iniquis, cavillationibusque excipiam, non poſſum interim aliter, quin pu-

(*t*) diſſ. de acido inſonte §. 13. (*u*) p. 128. & 129. (*x*) p. 682. (*y*) §. 46. 47. 48. (*z*) in den erwehnten Sendſchreiben von der Dantziger und Preußiſchen Peſt. (*a*) §. 25.

blice profitear, me ab illa epidemicarum febrium therapia, quæ, cum hæ ante binos annos in noſtra urbe graſſarentur, ſchediaſmate germanico ſuperiorum juſſu fuit propoſita, fuiſſe alieniſſimum. Dolui valde in remediorum collaudatorum catalogo eſſentiam ſcordii, pimpin. alexipharmacam STAHLII, tincturam bezoardicam, mixt. ſimpl. offendens, cum omnia hæc remedia, quicquid contradicat communis hypotheſis, prorſus incongrua & noxia rotunde declarari debeant. Sed obſtupui plane, quando eſſentiam alexipharmacam STAHLII ad drachm. 5. cum drach. 3. ſpiritus nitri dulc. miſtam, temperantem eſſentiam ſalutari, atque illam æſtu augmentum capiente, urgente cephalalgia, ingruentibusque deliriis utilem prædicari animadverti. Parum attendo ad refractas doſes, ſub quibus, qui cauti practici videri volunt, alexipharmaca temperata locum habere clamant in malignis, licet largiora præbia, & nimis calida remedia, ut vocant, itemque volatilia, omittenda eſſe largiantur. Denuo potius, quæ ſupra edixi, repeto, alexipharmaca acria ad unum omnia juvare magis quam oppugnare malignitatem, nocereque ea ſemper vel in doſi refracta, tanto autem certius in largiori. Si oleum camino aliquis infunderet integris manipulis, aliusque levi manu ſaltem, ac guttatim inſpergeret, omne utrumque igni reſtinguendo nullum attuliſſe auxilium diceremus? nonne poſterior ſuſtentaſſet minimum ſua ope incendium, quod prior ultra modum auxiſſet? ita ſane mihi videtur! Atque eadem ratione comparatum eſſe cum alexipharmacis acerrimis & pauliſper acribus, cum eſſentiarum tincturarumque largioribus, refractisque doſibus, in febrium malignarum therapia uſurpatis, res ipſa loquitur. Imo vero liceat exhibere continuationem tropi in vocis pluribus, allegoriæque huic pauliſper adhuc indulgere. Anne rideretur ille, qui vel flammam apertam, vel gliſcentem ignem reſtincturus, modo aquam, modo alcohol affunderet? ſane, ſi quid video, omnino! Verum enim vero ita de corpore ægri maligna febre correpti ſentiendum eſt, in quo, ſi non lucidis flammis ſeſe prodit, rapaciſſimus ignis, tamen ſparſus hinc inde, abſtruſus, clandeſtinus, & cineri quaſi ſuppoſitus latet, eoque periculoſius interiora adurit, quo minus ſui præſentiam notis evidentibus commonſtrat. An ergo tum conſul-

ſultum eſt, modo exhibere diluentia, modo ſpirituoſa? An ſapientiam practicam arguit, alternis forte horis præbere nunc cum pulveribus terreis nitrum, nunc eſſentias alexipharmacas? Vix capio ego artes ejuſcemodi medicinales, vix rerum gerendarum exemplar eas intuebor unquam! Sane, quæ toties laudatur inter Medicos paradoxo nomine inſignita mixtura ſimplex, confuſum mihi remedii genus videtur. Debet, ſi myſterium compoſitionis & confuſionis rite intelligo, ſpiritus vitrioli antiſepticum, antiphlogiſticum, refrigerantem edere effectum, cum interea ſpiritus theriacalis cum tartari ſpiritu æſtum neceſſario intendat, inflammatoriam diatheſin augeat, alcaleſcentiam humorum, in quam tendunt, valde juvet. Neque igitur & illam amavi hactenus, vel ſolum ſpiritum vitrioli ſuſpectum in malignis habens, aut ſaltem, ſi dilutior redditus fuerit, eum acidis vegetabilibus multum poſtponens. Sed de hac materia forte alibi.

§. 19.

Venire autem nunc ad alexipharmaca & bezoardica *inſipida terrea*, nullaque acrimonia irritante prædita debeam, eorundemque examen ſuſcipere. Enimvero, ſi ab antiquatis traditionibus recedendum eſt, ut recedere ab iis ſine dubio licet, neminem facile futurum confido, qui ſerio affirmare auſus fuerit, illa vel infringendo venenoſo ſtimulo, vel ejiciendo eodem ex corpore directe convenire. Quare ea omnia, licet innocua ſint, tamen, quia otioſa habentur, prorſus rejicienda ſunt, quum, ſi ullus morbus alius, ſane malignæ febres, remediis vera energia pollentibus indigeant. Neque moror illas virtutes precarias, quibus pulveres ex ejusmodi ineptis quisquiliis compoſitos inſtrui turba practicorum clamitat; omnes quippe futiles ſunt, & inanes, quod infra ſigillatim demonſtraturus ſum; jam interea omnia ejusmodi terreſtria pharmaca miſſa facturus. Poſtquam autem tam de noxiis quam de inutilibus remediis miasmatis & inverſioni & proſcriptioni ex corpore deſtinari in vulgus ſolitis diſputavi, poſtulat omnino rerum ordo & neceſſitas, ut de iis nonnulla colloquar, quæ vere hujusmodi intentionibus, ſi non penitus, utcunque ſaltem, ac ut ars ad ſummam ſui potentiam evecta concedit, inſervire ratiociniis & rerum uſu depre-

Remedia terrea ad hunc finem inutilia; Acida, & præcipue acetum, vere proficua.

 hen-

henduntur. Quando vero omnium malignarum phœnomena, ſive primas ipſarum remotioresque cauſſas, ſive indolem morbi ipſius decurſumque ejus ſpectes, clariſſime evincunt, miasmati eſſe ſepticum, putridumque ingenium; porro, quando nil in rerum natura offenditur, quod majorem antiputridam antiſepticamque virtutem cuſtodit, præterquam acida; in iis, ſi tempeſtive prudentiusque adhibeantur, latere aliquod antidotum contra miasma malignum, ratio & experientia loquitur. Atque eapropter commotus cl. BERGERUS, ſi ulla alia remedia, acida certe alexipharmacorum elogium promereri aſſeverat. Certaque & diuturna experientia ſe confirmatum habere profitetur illuſtr. HOFFMANNUS, acida, ſi quis iis dextre uſus fuerit, omnibus alexipharmacis palmam præripere. (*b*) Eſt ergo acidis non ficta fundamentoque lubrico hypotheſeos alicujus nitens, ſed vera, & uſu præſtans potentia obtundendi invertendique ſtimulum venenoſum, malignarum febrium. Reſtat vero ſtimuli hujus jam ſuſcepti in corpus ejectio quantocyus adminiſtranda, ad quam qualia remedia tuto potenterque ſimul factura ſint merito inquirendum. Sane halitus ſubtiliſſimi forma contagium ingredi humanum corpus certum eſt; quare vix aliud colatorium excluſioni ejus promptiſſimæ magis erit appoſitum quam cutis, in qua innumeræ portæ patulæ inveniuntur. Si ergo datur in rerum natura remedium primo ſtimuli ingenio adverſum, ſimulque perſpirationem, aut ſudorem etiam, ſine diſpendio humorum tenuiorum, ſine impetu, ſine æſtu, ſine phlogiſtica diatheſi ſanguini inducta movens; erit illud exquiſitiſſimum, omnique auro ad invertendum ejiciendumque miasma habendum carius. Eja vero tale datur! ſimplex, ubique obvium, tutiſſimum, millenis vicibus probatum: *Acetum.* Deque eo unicum ſaltem, qui inſtar omnium eſt, loquentem audiamus BOERHAAVIUM: *Ad putredinem veram corruptionemque mortiferam adeo prodeſt acetum, ut nil habeat ſimile. Sudoriferum certius efficaciusque ignoramus, quum acetum dilutum, aut merum, ſi potatur, quam maxime ſudores propellat etiam in peſte, maximeque malignis in morbis, ubi alia vix reſpondent.* (*c*) En ſummum alexipharmacum! quo

(*b*) M. S. Tom. II. p. 205. (*c*) in Chym. Tom. II. p. 185. 186.

quo majus, quo convenientius, quo certius, quo tutius medicina vetus & nova neſcit, quod ad prophylaxin æque ac curationem maligniſſimarum febrium, ſi ullum aliud, inſervit. Hoc ut ex merito egenis ægris ſatis laudaſſent; hoc ut ditioribus omni pretioſo remediorum apparatu neglecto exhibuiſſent omni tempore Medici; hoc ut meracum reliquiſſent, neque ſuis acribus radicibus unquam inquinaſſent pharmacopolia optarem. Apage cum acetis officinarum alexipharmacis, bezoardicis theriacalibus, radice helenii, ſerpentariæ, angelicæ, contrajervæ, zedoariæ, myrrha, bacc. junip. theriaca &c. corruptis. Segregandum eſt, quando de ſanitate & vita humana agitur, accuratiſſime utile a noxiis; neque ferendum, ut venenoſi aliquid veneni antidoton ingrediatur. Sufficit acetum ſimplex, fallitur que turpiter, qui adjectione radicum ejuſcemodi exaltari ejus vires ſtatuit, quas inde hebetari magis minusque ſalubres reddi, ac ſine illis futuræ erant, certum eſt. Qua in re, quod lætus animadverto, mecum conſentit cl. SCHULTZIUS: (*d*) *Experientiæ*, inquiens, *merito permittitur decidendum, an revera multam præ bono & ſimplici aceto, compoſitis iſtis acetis prærogativam tribuere liceat. Et annon certis ſubjectis & temporibus præſtet ſimplici, utpote minus calefacturo, faciliusque exſpirabili, quam vegetabilium reſinoſorum & calidorum particulis ſaturato, confidere.* Ego certe famoſæ illius *aqæ prophylacticæ Sylvii* multas libras, ne quidem unius obuli pretium æquare in prophylaxi & therapia malignarum vera, ſi acetum non haberent, firmiter perſuaſus ſum. Superat acetum ſimplex, ne quidem, ut vult Sylvius, deſtillatum, omnia illa damnoſæ præparationis artificia. Atque mirandum eſt, cur SYLVIUS ipſe ingreſſurus noſocomium, ægrosque alios peſte laborantes inviſurus, impigris hauſtubus, quam adeo laudat, non aſſumſerit aquam ſuam prophylacticam, curque neglecta eadem, ſimplex ſaltem acetum vini vulgare, vel ad ſummum calendulatum ad unciam unam alteramque expotaverit. Reſpondet appoſitiſſime modo allegatus doctiſſimus SCHULTZIUS: *Sylvium, hoc ipſo ſatis ſuperque fuiſſe teſtatum, quantum in proprio corpore ſimplicitatem artificiori formulæ præferat.* Hoc uſus evporiſto Medicus hic celeberrimus

(*d*) in prælect. de viribus & uſu medicament. pag. 2.

mus inter mortes & funera ſalvus perſtitit; Hoc ſummo cum emolumento omnium remediorum vehiculum ſagaces elegere feliciſſimi olim Roſenbergenſes Loimiatri, cl. MILDIUS noſter & cl. HOLMANNUS; (e) hoc uſi, ubi neceſſitas poſtulaverit, omnes Practici habebunt remedium vere alexipharmacum, quod cum MINDERERO, (f) & DIEMERBROECKIO, (g) viri præſtantiſſimi digniſſimis encomiis munitum commendarunt.

§. 20.

Propoſ. V. Utrumque, ſi non prorſus impetratu poſſibile, effectuum miasmatis hauſti curationem, illorumque conſectariorum præcautionem, quibus poſitis experientia teſte mors ponitur, Medicum moliri decet. Cum vero (per Propoſ. II.) effectus miasmatis primarii redeant ad dejectionem virium, ad irritationes ſolidorum, ad ſtagnationes & inflammationes; his omnibus ſollicite erit proſpiciendum. Porro cum proximæ mortis cauſſæ fundentur in coagulationibus & colliquationibus ſanguinis, totaque morbi tragœdia in putredine tandem finiatur, opus erit, ut omnia remedia, quantumvis aliis finibus dicata, ſint ſimul putredini quam oppoſitiſſima.

Effectus ſtimuli curandi, & cauſſæ mortem generantes præcavendæ.

In curanda dejectione virium febres malignas comitante abeſſe debere longiſſime omnia volatilia & nimis acria, ſub quocunque demum ſpecioſo cardiacorum prætextu collaudentur, ſponte opinor eluceſcit. Omnia ſuaveolentia, gratoque ſapore prædita, quæ nullo impetuoſæ commotionis vitio laborant, ſed leniſſimo, nervisque amiciſſimo ſtimulo agunt reficiendis viribus perquam idonea hic inveniuntur. Auſim interim dicere inter omnia analeptica febribus malignis dicata, primum locum promereri vinum Rhenanum bonæ notæ largiori aquæ ſimplicis quantitati admiſtum, cujus juſtiſſimus præco eſt cl. HOFFMANNUS. (h) Præterea, ſuccum citri, pomorum ſinenſium, granatorum, ribium, berberum, rub. id. &c. egregie languentes miſere ægros reficere, atque in hoc rerum ſtatu pro ſummis cordialibus habenda eſſe, ratio dictitat, rerumque uſus docet.

(e) Vide Kanoldi Sendſchreiben p. 132. (f) in medicina militari. (g) de peſte. (h) diſſ. de Vino Rhenano, & Med. Syſt. Tom. II. p. 205. item Tom. IV. Cap. de febribus epidemicis, & petechiali.

docet. Quorſum & ſyrupum illum ex Italia ad nos afferri ſolitum, quem acria di cedro vocant, elegantiſſimum gratiſſimumque remedii genus referendum habeo. Irritationem quod ſpectat, illa ſtimuli ſeptici putridique correctione per crebrum acidorum uſum præcipue oppugnabitur. Porro autem diluentia & demulcentia potulenta largiſſime hauſta pulcherrime proſunt. Stagnationibus obviam id aqua vel ſimplex, vel addito pauco vino rhenano ſuccisque horæorum acidulis admiſtis, medicamentoſa magis reddita, impigre ingurgitanda. Conſtanter & a me & ab aliis Medicis noſtratibus graſſante ultima epidemia obſervatum eſt, ſtrenuos potatores, helluonesque aquoſos omnium maxime ex imminenti mortis periculo evaſiſſe. Ut vero ſtagnans in vaſis immeabilis cruor non ſaltem diluatur, ſed & vere attenuetur & ſolvatur, ſaponaceis diligenter utendum eſt, ad quæ eximium illud remedium Hippocraticum, oxymel, cum ſyrupis omnibus officinalibus ex fructibus acidiuſculis paratis, referri debet. At cum illæ ſtagnationes ſint potiſſimum inflammatoriæ antiphlogiſticis diluentibus & ſaponaceis jungendum cum aceto, ſucco citri, reliquisque acidis laudatis, polychreſtum nitrum non ad gr. ij & iij. pro doſi in pulveribus forte bis vel ter per nycthimeri decurſum uſurpandis, ſed ad ſcrupulos & drachmas. Nulla ratione autem hic reticenda camphora nitro miſta, quam ſub hoc connubio generoſiſſimum ſiſtere remedium, ac prorſus egregios effectus edere, multiplici experientia conſtitit. Amavit hoc medicaminis genus admodum vir Practicotatus, Roſinus Lentilius, ut ex ejus Eteodromo paſſim conſtat. Notumque Medicis eſt, quanta fiducia illud pro ſpecifico in malignis declaraverit, quo nil deprehenderit præſtantius cl. Hoffmannus. (*i*) Nec præter rem nitrum & camphoram, fortiſſimos malignitatis debellatores, celebrat Klaunigius, (*k*) quod ipſum recentiſſime elegantiſſimis obſervationibus quibusdam inſignis Werlhofius confirmavit. (*l*) Ego poſtquam olim, imbutus Hoffmanni dulciſſimi præceptoris principiis, novellus tum Medicinæ Doctor, exercitationem de virtute camphoræ refrigerante

(*i*) Med. Syſt. Tom. III. p. 537 (*k*) in noſocom. Charit. p. 73. (*l*) Vid. Comm. litt. Norimb. A. 1734. hebd. 33. 34.

rante edere auſus fueram, multiplici deinde experientia didici illa omnia, quæ, theoreticum mere agens, expoſueram, pulcherrime in praxi ſuccedere. Neque mihi tempero, quin publice grates decernam eximio WERLHOFIO, partim quod ſupplere ſuis obſervationibus in commercio Norico mei opuſculi defectus humaniſſime voluerit, partim quod circa doſin me audaciorem multo reddiderit. Sine vanitate quippe nunc aſſerere poſſum, me & aliis morbis inflammatoriis laborantes & nonnullos febribus malignis ita affectos, ut ſub ſumma virium proſtratione, jectigationibus perpetuis, deliriis, convulſionibus &c. omnia conclamata viderentur, per DEI immortalis gratiam ſola emulſione camphorata WERLHOFIANA, ſtupentibus amicis & adſtantibus aliis, perſanaſſe; quos omnes reſtitutos mecum laudare juſſi virum præcellentiſſimum, cujus ſinceritati doctrinæque, ut alia in praxi clinica, ita & hanc methodum debeo. Atque hæc, quæ hactenus commendavi, remedia ad unum omnia perquam egregie reſpondere fini ultimo putredinis præcautioni, nemo eorum, qui perſpectas habent veras medicamentorum vires, facile in dubium eſt vocaturus. Rectiſſime veteris ævi Medici ad ſynocham ſuam putridam referebant febres illas omnes, quas malignas hodie appellare conſuevimus, quam ſæpe vero in eorum momentis mentio injiciatur de putredine, ſyrupo de limonibus, de acetoſitate citri, oxyſacharo, poſca, oxycrato &c. corrigenda, ſatis illorum lectores norunt. De Ægyptiis refert Proſp. ALPINUS, (*m*) quod in omnibus febribus peſtilentialibus potiones ex aqua pura acidoque citri, limonum, berberum, tamarindorum aliis remediis præferant, quum hæ æſtum ſitimque ſedent, vires reficiant, atque putredini illarum febrium reſiſtant. Digniſſima ſunt lectu, totidemque verbis merito hic apponi merentur, quæ de Turcis habet Gualth. HARRIS: (*n*) *Illis*, inquit, *qui malignitatis notione decepti, utpote nomine funeſtos medicaminum inflammabilium effectus tutiſſime celante, calefacientia diaphoretica in curationem omnium fere febrium ſolent adhibere, propono conſiderandam communem Turcarum praxin, a mercatoribus fide dignis mihi concreditam, indoctam quidem, ſed vere rationalem, in curanda ipſa*

(*m*) Lib. IV. de medicina Ægypt. c. 1. & 15. (*n*) de morb. infant. p. 80. edit. Amſt.

ipſa peſte, malignarum febrium facile principe, per ſuccum limonum in omne juſculum liberalius inſtillatum, per fruſta limonum ſaccharata ore frequenter maſticata, & per potum apud eos vulgatiſſimum, dictum Scherbet, (qui eſt aqua melle vel ſaccharo dulcata) hoc eſt, per ipſum regimen frigidiſſimum, utpote quibus Mithridatium, theriaca Andromachi, radix ſerpent. virginianæ & coetera noſtrorum remedia calidiſſima, alexipharmaca nuncupata, bonis auſpiciis ſunt plane incognita, aut in nullo numero ſaltem habentur. Neque igitur mirum eſt, peſtem (cujus terror noſtratium animos fulguris ad inſtar longe lateque percutit) apud illos nonnunquam minorem hominum ſtragem facere ſolere, quam mitem alias febrim iis in regionibus, in quibus graſſatur doctrina. Utinam ſimplicem hanc praxin normam intuerentur agendorum moderni Medici omnes! maxime cum inter noſtros non defuerint, qui ſumman acidorum vim in ejuscemodi febribus fuere experti. Multam illorum mentionem injicit inter alios Maur. HOFFMANNUS, (*o*) ac inter recentiſſimos cl. KRAMERUS: Acida ſpecifica in malignis vocat, atque maxime acetum vini ex multiplici experientia valde extollit. (*p*) Summa velim attentione legant, relegantque clariſſimi hujus Practici cogitata de aceto Medici noſtrates omnes: *Hodiernorum Practicorum mores*, ait, *ſatis mirari nequeo, qui ab aceto plane in morborum malignitate abſtinent, ac totum fere negotium naturæ permittunt. Pauci acido citri, limonumque, ſed tam exiguis doſibus, utuntur, ut vix ullus hinc effectus ſeſe exerat.* (*q*) Atque certe aceto ad coagula ſanguinis phlogiſtica ſolvenda, ad colliquationem putridam ſtagnantium humorum inhibendam in tota medicinali materia nullum datur remedium pulchrius! Summum ergo in eo latet morborum illorum mortisque inde metuendæ antidotum. Mallem vero uti aceto, aliisque acidis vegetabilibus, quam adhibere mineralia, ut vitrioli ſpiritum in miſtura ſimplici, & Tincturas illas vitriolicas, quia mineralia acida, ob coagulum, quod ſanguini inducunt,

(*o*) In dem Bericht, von den anſteckenden gifftigen Peſt-Fiebern. (*p*) Vide ejus conſilium medicum de morbo Caſtrenſi epidemico, quod recenſetur in Comm. litt. Norimb. 1735. hebd. 5. (*q*) In Comm. litt. Nor. A. 1735. hebd. 32.

ducunt, ſuſpecta pauliſper habeo, licet, diluta ſatis ſi exhibeantur, ea ſecuriora reddi poſſe autumem. (r) §. 21.

(r) Remedia præcipua, vera, efficacia malignarum hactenus expoſui; cumque illis adſcribi a Practicis Veſicantia norim, quæ valde laudari ſolent plerumque ad torporem excutiendum, ad fluida ſtagnantia propellenda, ad revulſionem a capite impetrandam, ad deliria inhibenda, ad convulſiones ſopiendas, & quæ ſunt reliqua, pauciſſima de iis adjici commode hoc loco poſſe videntur. Ipſe olim, quod fateri debeo, in ea fui ſententia; atque Veſicatoria aliorum Clarorum Virorum ſequens medendi methodos frequens adhibui, tamen prorſus aliter jam ſentio, cautiſſimeque mercandum eſſe cum uſu eorum in malignis, ſæpiſſime plus noxæ quam emolumenti afferente, credo. Hoc ipſum ut clare perſpiciatur, pauliſper velim Lectores mei ſpectent effectus illos, quos a veſicatoriis ſine reſpectu ad morbum quendam habito, ipſisque adeo ſolis, inſecutos fuiſſe, obſervationes & experimenta docuere. Statim ſimul ac cantharides largius præcipue applicatæ ſunt, partem, cui ſuperjacent, primo irritant & inflammant; neque tamen in externis ſuam operationem finiunt, ſed per venas abſorbentes ſeſe altius corpori inſinuant, humoribusque ſal ſuum acerrimum admiſcent. Inde igitur brevi reddunt pulſum velocem, febrilem, etiam in homine frigidiſſimo; Sequitur calor præternaturalis & anxietas; nil vero (quod elegantiſſime *in diſſ. de uſu & abuſu veſicantium* notat *Baglivus*) tam cito poſt adhibita ſupervenit veſicantia, quam ſitis cum linguæ ariditate, ſæpe vix quibuslibet remediis temperanda. Porro fauces halitum fœtidum cadaveroſum ſpirant; Urina lixiva, fœtida, acris mingitur; ſanguis in acre putridum peſſimeque olens liquamen ſolvitur: cruorem nempe, partim diſſolutum, partim nigerrimum, coagulatum, polypoſum, reperit in Cadaveribus canum, quorum antea venis jugularibus tincturam cantharidum infuderat cl. BAGLIVUS. Atque eo redeunt veſicantis effectus, etiam in corpore hominis antea ſaniſſimi. Jam an illi reſpondeant malignarum ingenio & curationi videbimus brevibus. In malignis ſubeſt ſtimulus acer; in malignis adeſt anxietas & lingua arida, in malignis ex humorum putredine mors, eademque in cadaveribus malignis demortuorum ſanguinis & humorum coagulatorum & ſolutorum facies cernitur, ac in canibus Baglivianis obſervata eſt a ſolis cantharidibus infuſis. Fallor igitur maximopere, aut veſicantia ex ſua indole minus reſpondent malignis, ſed potius deleteriam febris malignæ indolem juvant, tantum abeſt, ut inhibeant, & in melius mutent. Neque enim audiendi ſunt, qui Venenum extrahi e corpore Veſicatoriorum uſu perperam contendunt. Damnant Practici quidam circumſpecti in morbis acutis inflammatoriis uſum cantharidum, licet aliter eidem multum faveant; cum vero ingenium malignarum vere abſolvatur inflammationibus viſcerum, neſcio quomodo illis quadrare dici poſſint Cantharides. Miror cl. Baglivum in fine doctiſſimæ ſuæ diſſertationis concedere uſum in malignis ex coagulo & viſciditate humorum, quem cap. II. §. 3. recte omnino in ſtatu ſanguinis ad diſſolutionem & colliquationem tendente diſſuaſerat. Sed fluit diſtinctio hæc & uſus limitatio ex errore optimi Viri, alibi febrium malignarum cauſſas modo eſſe ſanguinis coagulationem, modo colliquationem aſſerentis; cum tamen utraque potius ſit effectus deleterius in his morbis obveniens, quibus vix competere veſicantia, ob rationes jam traditas, palam ajo. Ordinarie ad ea confugere videas Practicos, in malignis, quando ſubſultus tendinum & convulſiones ingruere obſervantur. Licet autem cum Baglivo in convulſionibus ſine febre ea interdum ſat pulchrum eſſe remedium norim, tamen convulſiones febri inflammatoriæ ſupervenientes cantharidibus vix aggreder curare, ſed

certiſſimo

§. 21.

Propoſ. VI. Ex propoſitionibus vero omnibus præmiſſis haud ſequitur, febribus omnibus epidemicis, atque ob peſſima ſymptomata pro malignis declarandis, occaſionem dediſſe miasma venenoſum ex aëre hauſtum; ſed ab aëre tantum a ſua temperie recedente, ejusque viciſſitudinibus ſubitaneis, aliisque cauſſis, valde ſæpe malignæ febres populariter etiam graſſantes oriuntur.

Malignitas febrilis ſine miasmate.

Conſentiunt Medici omnes, ſigna pathognomica febrium malignarum conſtituere Virium proſtrationem ſubitaneam, pulſumque debilem admodum & inæqualem, atque quamcunque febrem, ubi hæc ſymptomata cum aliis obſervantur, pro maligna declarandam eſſe affirmant. Ego vero in ſuperioribus monſtravi fuſius, quomodo a ſtimulo putri in aëre hoſpitante virium proſtratio, pulſusque debilitas excludatur; cum autem in febribus adeſſe poſſint vires proſtratæ, pulſusque debilis ſine ullo miasmate prævio a cauſſis prorſus aliis etiam ſine miasmate naſci poſſe febres per ſymptomatum gravitatem vere malignas, facile puto innoteſcit. Nimis notum eſt, penuriam bonorum humorum, quacunque ratione inductam, ſine omni

 con-

certiſſimo præſagio omnia pejora futura iis applicatis prædicere auderem. Multo minus, etſi Praxis communis ingruentibus vel præſentibus deliriis ad veſicatoria tanquam ad ſacram anchoram confugere jubet, ea cervici aut brachiis ægri apponi permitterem. Ratio dictat, vix poſſibile eſſe, ut tum proſint; uſusque rerum *Baglivum* docuit (diſſ. cit. Cap. II §. 4.) *delirantes ab uſu Veſicantium plures mortuos eſſe quam ſanatos.* Dignum memoratu eſt, quod ſcripſit Expertus Practicus *Thonerus* lib. I. obſ. 20. *Cum quotidiana quorundam Medicorum ſit cacoethia, ut in febribus malignis, ſi dolor capitis & deliria infeſtant, multum ſpei ponere ſoleant in applicatione Veſicatoriorum; ut mihi conſtaret de ſucceſſu, percontatus ſum Chirurgos multos, quorum relatione mihi innotuit, pleroſque, quibus illa admota ſunt, fuiſſe defunctos. Et ſane plures ipſe novi, qui ſic in tumbam fuere præcipitati.* Idem fere mihi obſervaſſe viſus ſum in epidemia noſtra ante biennium graſſata. Oro igitur Practicos, ut genuinam & veram operationem cantharidum, genuinam & veram indolem malignarum inter ſe ſollicite comparent, tumque de uſu & abuſu hujus remedii generoſi aliter, & efficacis, perite judicent. Qui nihilominus experientiam clamant, illis cogitanda permitto, quæ diſſ. de cantharidibus theſ. 17. in uſum earum in malignis inquirens doctiſſime ſcripſit *cl. Albinus. Id Medicamenti genus, quo ipſo febris artificialis inducitur, quod ſanguinem fundit, illiusque mixturam turbat, quod partes ſolidas inflammat, & magnum æſtum ciet, febrem tollere debet. Fiet ſane hoc, ſi febrem efficere & effacere fuerint ſynonyma. Quibus feliciter ſucceſſiſſe viſum eſt, fallaciam non cauſſæ pro cauſſa commiſere.*

contagio ſtatim poſt ſe trahere motuum voluntariam impotentiam, pulſusque ſegnitiem ac imbecillitatem; At quia virium proſtratio in malignis eſt ſubitanea, hominesque ſuccis & ſanguine ditiſſimi, æque debiles ac alii in inſtanti quaſi redduntur, ſine ullo prægreſſo liquidorum diſpendio, defectum laudabilium humorum inter cauſas malignarum febrium allegare vix licet. Verum enim vero ponunt omnino & pulſus validus ac æqualis, & motus muſcularis, ſive virium vitalium involuntariarum, & virium motricium voluntariarum præſentia ſanguinis circuitum liberum, facilemque, per omnia vaſa corporis, quemadmodum id capite de cardiacis perſpicue oſtendi. Quodſi igitur præſente febre ponam ſanguinem ex quacunque cauſſa redditum denſum ac immeabilem, pono etiam ſimul circulum impeditum & difficilem; adeoque ſtatim rationem ſufficientem defectus virium, ergo malignitatis. Porro quodſi ſuppoſuero ſanguinem immeabilem obſtructurum quammaxime illa vaſcula, quæ omnium in corpore ſunt exiliſſima, igitur vaſcula pulmonis & cerebri, nova atque momentoſa valde ratio naſcitur, unde virium proſtratio facili opera poteſt deduci. Imo vero, ſi ſanguine bono, fluido, ſano, eodem manente, vaſis omnibus patulis apertis etiam iiſdem manentibus, ſaltem fingam illius ingreſſum in vaſa aliena quomodocunque concitatum, atque hoc ipſum ita accidere in pulmone & cerebro maxime ſupponam; neceſſario ſimul ſupponere cogor obſtructiones vaſorum peſſimas in cerebro, ſecretionem nervoſi fluidi intercluſam, nervorum compreſſiones &c. Nonne autem ab his omnibus vires ſumme proſtratæ? Dentur vero tales errores loci, ſeu ſanguinis tranſitiones in vaſa naturaliter ſanguinem non ferentia poſita febre quacunque, nonne illa ſtatim erit maligna i. e. virium proſtratione maxima comitata, ſane ita leges motus in corpore humano obtinentes jubent. Illa vero, de qua verba feci, ſanguinis immeabilitas, illæ obſtructiones vaſorum in viſceribus vitalibus, illi errores loci adeo multum in receſſu habentes, per varias cauſſas in corpore humano ſunt poſſibiles; ergo & malignitas febrium per varias cauſſas poſſibilis, neque ſemper contagio prægreſſo eget. Optima malignitatis idea opinor in periculo ſummo ceſſaturi circuli per cerebrum, cerebellum & pulmones locatur,

catur, ut ſupra jam indicavi; Si ergo ponamus viſcerum horum vitalium vaſa opilata ſanguine immeabili, vel alienos canales ingreſſo, nonne ſtatim adeſt periculum ſummum deſituri circuitus per hæc viſcera, maxime ſi vis cordis, quæ ad ſolvendas obſtructiones maxime requiritur, ſimul langueat, quæ languere læſa cerebri cerebellique functione omnino debet. Favent egregie his cogitatis ea, quæ alicubi in commentario ſcripſit BOERHAAVIUS: (s) *Si coagulum excitet febrem, & febris ſit tam parva, ob vim vitæ debilem, ut non moveat coagulum, omnia ſtagnant, & oritur ſpecies mortis, quæ vocatur maligna.* Ex his omnibus igitur collatis accuratius cum iis, quæ in ſuperioribus adſtruxi, clariſſime apparere puto, malignarum ingenium genuinum, ſive illæ oriantur a ſtimulo ſeptico ex aëre, ſive ex aliis cauſſis ponendum eſſe in ſtagnationibus, cumque ſtagnationes facile ſequantur diatheſes inflammatoriæ ſtagnantiumque humorum abitus in corruptionem putredinoſam, jure nunc aſſerere licebit, malignas omnes corpus diſponere ad putredinem, ſive a putrido ſtimulo primo oriantur, ſive minus, colliquationemque illam putredinoſam, quæ vulgo miasmati fermenti inſtar agenti immediate tribuitur, æque oboriri in humoribus, ſine ſuppoſito fermento maligno, ut nonnullis loqui placet, ſi ſaltem ſtagnationes eorum & inflammationes fuerint prægreſſæ. His autem ſtagnationibus adeo malignis aërem, ab omni putrida ſepticaque labe vacuum, ſolo ſuo a juſta temperie receſſu ſæpe ſæpius anſam ſubminiſtrare, veriſſimum eſt. Certe aëri bene conſtituto, id eſt juſto gravitatis elaſticitatisque gradu pollenti ſummam eſſe in juvando decenti ſanguinis circuitu potentiam, ipſumque adeo liquidorum noſtrorum fluorem juſtum bonam partem aëri deberi, nemo facile negaverit. Quidni igitur aër ab illa indole ad circulum humorum ſuum requiſita quomodocunque recedens vitalis fluminis curſum varia ratione mutaret, turbaretque? idque modo rapidius plus juſto provolvi, modo lento nimis greſſu procedere, imo & ſtagnare hinc inde faceret. Viventia certe homines ſumus thermometra & barometra, atque pro elateris gravitatisque ratione aër ſanguinem noſtrum expandit, comprimit, cogit, imo vero cum non vitreis rigidisque tubulis, cruor

(s) aph. 593.

cruor noſter, ſed vaſis mollibus flexibilibusque contineatur, in hæc ipſa ſimul agit, eaque dilatat, coarctat, occludit, adeoque humorum curſum multis modis immutat. Nil dicam de ventorum noxis; neque, quod levi opera ſuccederet, fuſe ex aphoriſmis Sanctorianis deducam, ſolam perſpirationem cohibitam malignis febribus procreandis ſufficere, cum tot inde ſuffocationes humorum, oppilationesque minutiſſimorum canalium pendeant; nec de viciſſitudinibus aëris adeo epidemicis febribus faventibus multa proferam. Teſtes ſint harum rerum locupletes omnes omnium popularium morborum deſcriptiones, magno numero ubique extantes, in quibus modo inſuetas anni tempeſtatum conſtitutiones, modo aëris ſubitaneas mutationes ex calido in frigidum humidum, pluvioſum; Ex frigido, humido, pluvioſo in calidum & ſiccum &c. cauſſas eorum adæquatas allegari videas. Atque hunc aëris energiam in generandis febribus malignis facillimam conceptu crediderim. Sit enim exempli cauſa aër immodico calore æſtuans, is ſane ſanguinem multum expandet, atque rarefaciet, ac in iis minimum, quorum vaſa antea jam plena & turgida conſpiciebantur, eundem eo deducet, ut vix coërceri ſeſe canalibus ſuis patiatur. Jam autem ſubito ſequatur calidum aërem humidus & pluvioſus, is certe vaſa totius corporis omnia reddet juſto flaccidiora; Cum vero vaſa ſanguinea antea vix caperent rarefactum ſanguinem, facillimus ipſi majus ſpatium affectanti nunc pandetur tranſitus in aliena laxata. Atque ita ſubito ſæpe orientur illi errores loci, de quibus in antecedentibus paginis modo expoſui. En ergo, ſi ita loqui licet, maligniſſimas febres ſine contagio, a ſolo, quis hoc crederet primo intuitu? aëre calido & humido. Et quid multis! Ex aëre diu penitus humido ſimulque valde caleſcente, ipſam peſtem gigni inter animalia jam dudum Medicos ſcripſiſſe, nemo ignorat, putrefactionemque veram corporum vix alia cauſſa promoveri magis quam calidi aëris humiditate, adnotat Illuſtr. Boerhaavius. (*t*) Ipſe etiam, quod Medicis ſatis notum eſt, Hippocrates Pater atrociſſimam illam a Thucydide deſcriptam Peloponneſi peſtem ab aëre ſaltem auſtrino ac pluvioſo deducit. Nullum igitur dubium ſupereſt, etiam ſine putri-

(*t*) in Chem. Tom. I. p. 407.

putrido miaſmate in aëre volitante febres ſumma malignitate affligentes ſæpiſſime prognaſci. Vix vero opus, ut de harum methodo therapevtica aliquid addam, cum, manente fere eadem morborum facie, licet cauſſæ occaſionales differant, manentibusque iisdem cauſſis mortem inducentibus ſtagnationibus, inflammationibus, colliquatione putrida, alia neutiquam requiratur, quam quæ in ſuperioribus jam expoſita habetur. Dicta ergo hactenus de febribus malignis ſufficiant, ſed reſtaret adhuc peculiaris de artificiali malignitate, febribusque non ex ſuo ingenio, ſed Medicorum culpa malignis tractatio, at, cum de hac materia paſſim jam locutus fuerim, nolo amplius eadem lectorum patientiam offendere.

§. 22.

Quicunque vero nunc ruminare ſerio illa omnia voluerit, quæ fuſius de vera malignarum febrium natura, huicque convenienti genuina medendi methodo commendatus ſum, ille ſane, poſitis, ut veri ſtudioſum decet, præjudicatis opinionibus, vix capiet, qua ratione demum bezoardica terreſtria inſervire poſſe indicationibus therapevticis dicenda ſint. Certe nec in iis quomodocunque conſideratis latere veneni aërei ſtimulantis antidotum, nec ea ad veneni excluſionem juvandam apta haberi, nec virium debilitati quadrare, nec ſtagnationibus & inflammationibus ſolvendis paria eſſe, nec colliquationem putridam humorum præpedire, ſine hæſitatione puto aſſerere, adeoque eapropter talia omnia merito pro ineptis & otioſis remediis declarare licebit. Videntur interim ſibi clariſſimi quidam viri inſtrui rationibus, quibus uſum pulverum ſuorum bezoardicorum fixorum non ſaltem excuſent, defendantque, ſed & ſimul valde proficuum demonſtrare valeant. Atque ne illæ lectorum aliquem ad mea caſtra forte tranſitum parantem offendant, dubiumque teneant, argumenta omnia mihi contraria, quotquot eorum legendo reperi, diluere atque removere tenebor. Illa vero ex eorum cenſu, quæ prorſus inepta ſunt, ridicula, atque puerilia, haud moror. Quis facile vultum adeo gereret auſterum rugoſumque, ut non ſolveretur in riſum, quando terram Melitenſem eapropter alexipharmacum remedium haberi legerit, audiveritque, quod S. Paulus, cum in inſula Melita hybernaret, non ſolum ſpeluncæ huic,

Refugia inania, cur uſus terreorum in malignis prodeſit.

Ætiologiæ aniles, & fabuloſæ,

Ggg ex

ex qua terra effoditur, & in qua verſari fuerit ſolitus, dictam virtutem communicaverit, ſed etiam, poſt quam ſarmenta in ignem conjecturus viperam manu prehendiſſet, toti terræ inſulæ benedixerit, omnique reptilium venenatorum generi maledixerit, ac ſuis miraculis id effecerit, ut omnia animalia ſuam venenatam indolem ponerent, atque in tota inſula ad hunc diem nec ſerpentes, nec viperæ, nec alia venenoſa animalia inveniantur. (*u*) An ſana ratione utens eam ob rem terram Melitenſem febribus malignis curandis habilem crederet? an in eam eapropter migraſſe virtutem alexipharmacam, quando compacta & ſigillata in una parte effigiem S. Pauli tenentis viperam gladio circumvolutam ſiſtit, prudens aliquis ſibi perſuaderi pateretur? Sane valde analoga eſt narratiuncula hæc alii cuidam, quæ de ſaphiro circumfertur, cuique, quod mirandum, Ettmullerus & Hoffmannus ſubſcripſere. Poſterior ſaphirum anthraces peſtilentiales non aliter quam aqua ignem extinguere ſcribit. (*w*) Prior vero ſaphiri famoſiſſimum uſum eſſe memorat in carbunculis, quaſi magnetice curandis, in circulum nempe circumducti, nam ita eum efficere, ut brevi poſt circulus nigreſcat, & carbo integer a parte ſana ſeparatus excidat. Ignorarem adhuc undenam illa hiſtoriola, cujus vanitatem experiri omnibus Loimiatris licet, ſuum ortum nacta fuerit, niſi egregium Oswaldi Crollii libellum de ſignaturis perlegiſſem, quo, ſaphirum ſuo calore denotare anthraces, hinc (qualis conſequentia) iis mederi, homo impudentiſſimus nugatur. Sed ampliori ineptiarum hujus farinæ commemoratione tempus feriis magis deſtinatum, chartasque perdere nolo. Quando autem in conquirendis ætiologiis operationis terreorum bezoardicorum veri aliquam ſpeciem præ ſe ferentibus occupor, ſtatim animo obverſantur qualitates veterum frigidæ & ſiccæ, quibus illi inſtrui terras & bolos arbitrantur. Cum igitur boni hi viri, id quod etiam veritati ſatis reſpondet, putredinem in febribus malæ indolis accuſarent, frigidum vero & ſiccum adverſum eſſe putredini probe ſcirent, prona conſequentia terras & bolos putridis febribus opponi debere argumentabantur.

Qualitas terreorum frigida & ſicca.

Quare

(*u*) Recenſet lepidam hanc fabulam inter alios Dale in mat. med. p. 49. & Nenter in notis ad Ludovici Pharmaciam p. 86. (*w*) in clave p. 154.

Quare ad recentiora usque tempora in libris materiam medicinalem complectantibus ſat multis, ſæpius, quando de terris ſigillatis & bolis aliisque terreſtris indolis remediis prædicatur, quod ſint frigidæ & ſiccæ qualitatis, aut quod ſiccent & calorem reſtinguant, concluſionem ſtatim annexam videas, *adeoque reſiſtunt putredini.* (x) Atque verum eſt omnino, & in vulgus notum, frigus ſummum eſſe putredinis antidotum, ipſamque adeo peſtem ſummæ putredinis morbum, cujus ferociam atmosphæra calida mirifice juvat, ſi vel maxime ſævierit, remediaque eximia eluſerit, ſuperveniente hyberno frigore ſæpe ſponte manſueſcere. Neque minus Chemicis Mediciſque ſcitur, putrefactionem animalium, piſcium, vegetantium, in ſiccis nunquam fieri, ſed potius e contra, ut BOERHAAVIUS id ipſum eloquitur, omnia illa orbata integre ſua aqua, ideoque omnino arida, quam diutiſſime in aëre ſicco non corrupta conſervari, quæ, humectante madefacta aqua, quam citiſſime ſolent in abominabilem fracedinem putreſcere. (y) Eaque propter etiam cl. HOFFMANNUS appoſite cauſſam diſſolutionis intimæ corporum, quam omnis putredo ipſis inducta ſupponit, motum inteſtinum partium humidarum & copioſum materiæ agitatiſſimæ calidæ influxum ſtatuit. (z) Satis igitur certum eſt, humidum & calidum juvare putredinem, ſiccum & frigidum ipſi adverſari; nondum tamen proinde ſequitur, terras medicinales & bolos, utpote frigidas & ſiccas, adverſari febribus putridis malignis. Nolo diutius qualitates frigidas & ſiccas remediorum horum, hodie ubique exploſas, impugnare; ſed breviſſimis ſaltem noto, ipſas non abſolute, ſed reſpectu corporis ſimul conſiderari debere, valdeque opus eſſe, ut, num cauſis, quæ præſentibus malignis febribus putredinem ſanguini inducunt, removendis illa paria ſint, diligenter inquiratur. Has vero ita comparatas eſſe, ut omnem ſuppoſitam terrarum frigidam & ſiccam energiam eludant, ſponte liquet, quare his rebus non amplius immoror, maxime cum infra paulo ſpecialius de hoc etiam argumento agendi, occaſio ſit naſcitura. Pergo igitur ulterius, atque tædioſas illas querelas, quibus toties lectoribus meis gravis eſſe debui, de acido

Acidum malignum.

(x) Ita e. g. Schrœderus lib. V. claſſe I. de Cornu Cervi uſto dicit, quod vi ſua ſiccante, putredini reſiſtat. (y) in Chem. Tom. I. p. 517, 518. (z) diſſ. de putredinis doctrina §. 3.

acido perperam pro cauſſa pene omnium morborum venditato, denuo repeto. Cauſſam proximam malignarum febrium eſſe acidum volatile acre vult ETTMULLERUS, (*a*) quare non ſaltem terrea animalia, & abſorbentia in genere valde laudat, (*b*) ſed & bezoardicum minerale in ſpecie nobile eſſe remedium in febribus quibusvis malignis declarat, quod acidum malignum ab eodem figatur. (*c*) Dolendum, eousque ſuæ hypotheſi indulſiſſe ETTMULLERUM, ut in incremento morborum malignorum nil melius eſſe ſpiritu C. C. pronunciaverit. (*d*) Variæ deinde paſſim offenduntur in aliorum Practicorum monumentis inculpationes contra acidum malignum directæ. Adeo huic theoriæ inhæret RAMAZZINI, (*e*) ut pleroſque, qui de febribus his ſcripſerunt, acido cauſſam tribuere falſo aſſeveret, hocque volatilibus ejiciendum eſſe ſuadeat. Bolum armenam eapropter alexipharmacam ſtatuit Salomon Dale, (*f*) quia acidum inhibeat, atque etiam JUNCKENIUS in ſuo lexico pharmacevtico, occaſione pulveris bezoardici minoris WEDELII, de acidi maligni correctione inde impetranda verba facit. At Medicorum horum omnium placita vix hodie adeo theoriæ & praxi febrium nocitura crediderim, quum cum ipſis ſuis autoribus fautoribusque ſepulta maximam partem fuerint; vixque noſtra ætate vel ſuſpicio locum habere poſſe videatur, aliquem iisdem principiis facile ſubſcripturum. Verum enim vero vehementer fallor! ſupereſt quippe clariſſimi nominis Medicus TEICHMEYERUS, quod doleo, mirum quantum acido ad hunc diem favens, cujus quidem rei teſtimonia omni exceptione majora ex ipſius operibus recentiſſimis producere licet. Laudat is abſorbentia in malignis tanquam ant-acida & polychreſta remedia, *diſſertatione* ſua *de purpura*, (*g*) atque *hæc bezoardica fixa*, diſerte ſcribit, *in omnibus morbis malignis ſunt optima & tutiſſima, nam ſunt ant-acida.* Porro (*h*) in inſtitutionibus materiæ medicæ recenter editis capite de bezoardicis ea agere, ut ant-acida & præcipitantia, acrimoniam temperando, coagula ſanguinis reſolvendo, & motus humorum ſiſtendo, aperte eloqui-

(*a*) Tom. II. oper. pag. 324. (*b*) ibid. pag. 334. (*c*) in colleg. pharm. pag. 775. (*d*) pag. 661. (*e*) de morb. artif. c. 41. in fine. (*f*) mat. med. pag. 43. (*g*) pag. 22. 23. (*h*) pag. 114.

eloquitur. (*i*) Prorſus vero ignoro, quomodo hæc clariſſimi viri ſententia conciliari queat cum phœnomenis malignarum omnibus, quæ ipſi, ſi quid video, e diametro contrariantur. Sane ſtimulus morboſus ex aëre hauſtus certiſſime eſt putridus & ſepticus, ejusque ultimus in corpore humano laborante effectus eſt putredo; febriumque malignarum præſtantiſſima remedia ſunt acida. Quid ergo ſibi hic velit acidum pro cauſſa morbi venditatum, non capio. Nil diſputo amplius, quia ut alios, ita cl. BERGERUM (*k*) firmiſſimis & nunquam diluendis argumentis commonſtraſſe probe ſcio, malignitatem neutiquam eſſe acidam, ac falſiſſime poni acidum, ubi manifeſta eſt putredo. Abſonum ergo eſt, terrea ut ant-acida præbere in febribus malignis. Optandum potius valde, ut omnis hominum ſanguis eſſet aceto ſat forti dilutus, quando febres malignæ graſſari incipiunt, aut morbo aliquis jam prehenſus lecto affigitur. Abſint ergo terrea bezoardica ut ant-acida, ſed eheu! non abſunt! atque, ſi ob acidum non commendantur, aliis finibus in therapia horum morborum explendis pulchre inſervire communiter reputantur. Multi omnino Medicorum modernorum, dum materiam halituoſam tenuiſſimam, ſummeque activam pro cauſſa malignitatis agnoſcunt, ſtatim illam, ſimul ac corpus ingreſſa eſt, placide ejiciendam eſſe clamant, neque huic intentioni magis aliquid quadrare, quam perſpirationem auctiorem redditam, urgere ſolent; atque huc usque ſat bene. Nego vero præfracte conſequentiam: *ergo conveniunt terrea abſorbentia;* cum in ſuperioribus peculiari capite oſtenderim, nullum in rerum natura dari remedium terreſtre, quod perſpirationem augeat vel ſudorem pellat. Saluberrima eſt in principio præcipue perſpiratio, præſtantiſſima ſunt malignarum remedia eam tuto & prudenter augentia, ſed fallitur, qui terreis hoc fine utitur. Summum hic diapnoicum & ſudoriferum acetum eſt, ſub juſto regimine epotum, & diluentibus ac ſaponaceis tepide aſſumptis adjutum, nullis autem otioſis terreis abſorbentibus opus. (§. 23.) Sunt deinde alii, qui ſociatum ordinarie his febribus immenſum virium collapſum intuentes, analepticis & cardiacis

Diaphoreſis

Cardiaca

(*i*) Confer & diſſert de morb. hyemis præteritæ p. 25. ubi acidum malignum & ant-acida bezoardica etiam habentur. (*k*) diſſ. de acido inſonte prima §. 12. 13.

diacis eidem occurrendum eſſe contendunt, atque eapropter eximia ſua terreſtria cardiaca producunt. Valde ſane optandum eſſet, ut in febribus malignis gangrænoſa corruptione necantibus, & præcipue ob putridam humorum diatheſin ſumma virium proſtratione ſtipatis, terrea vere ejusmodi energia inſtruerentur, quam ipſis adſcribit cl. HILDANUS. Is nempe in libro ſuo *de gangræna* & ſphacelo ob putredinem firmandas eſſe partes principes cor, cerebrum & jecur monet, ne exhalationibus & vaporibus a putredine iſta ſubortis tententur. Eaque propter laudat lapidem bezoar, margaritas, cornu cervi uſtum, terras ſigillatas, atque os de corde cervi, cautelam magni momenti annectans, ut Medicus videat, ne decipiatur, cum in corde boum ejusmodi oſſa quoque reperiantur pro cervinis falſo vendi a Pharmacopœis ſolita, itemque cornu monocerotis; cui tamen cornu cervi haud multum cedere dicit contra venena & venenatos morbos, quia hoc æque a malignis vaporibus cor defendat. (*l*) Non opus eſſe duco, ut multis contra HILDANUM diſputem, cum, quid de his medicaminibus ſtatuendum ſit, integro de cardiacis capite jam expoſuerim. Neutiquam igitur eadem hoc fuco inſtructa tolero, ſed ridicula & inania iterum declaro. Valde placuerunt, quæ ea de re jam ante multos annos (*m*) ſcripſit Avus meus Johannes Chriſtianus TRALLES, in *exercitatione de inſufficientia exſpuitionis ſalivæ pro obtinenda gloria præſervativi univerſalis naturalis peſtis*, in qua & acidorum juſta elogia, & alia varia in illud tempus vix cadentia, hodie veriſſima, ſumma voluptate offendi. Reverentiæ ergo, quam oſſibus avitis poſt deplorabile fatum peregrina terra Varſoviæ conditis debeo, tranſcribo textum ipſum: *Eliguntur quoque pretioſa alexipharmaca, gemmæ, aurum, lapis bezoar, aliaque, cum magiſteriis coralliorum atque perlarum, quaſi cor corroborent, quo potentius hoſti inſultanti reſiſtere queat. At enim vero fruſtra fixa hæc ingeris remedia; Imo potius cum tuo damno, enervas quippe acidum vitale*, (loquitur ex hypotheſi eo tempore regnante) *quod ſal acre peſtis infringere poſſet. Quid? niſi deauratas, ſed ita quidem ſatis caras expoſcis ſedes, profecto aurum quoque ſalva conſcientia omittere potes. Suaderem tibi*

(*l*) cap. XII. (*m*) anno ſcilicet 1680.

tibi tincturam auri, modo genuinam poſſiderem. Quæ paſſim venditantur, nugæ ſunt, efficaces in tantum, in quantum ſuperadditum vel menſtruum vel vehiculum generoſum. Sane ita eſt, ab omnibus illis analepticis nil unquam levaminis miſeris ægrotantibus ſperandum. Gaudeo valde inter multos, qui his tricis a longo inde tempore ad hunc diem inhærent, tamen interdum ſurrexiſſe viros cordatos, qui publice uſui tyranno violentas manus injicere generoſo conſilio auſi ſunt. Hos inter quem referam collaudemque, adhuc habeo cl. Onuphrium BONFIGLI, qui epiſtola quadam Cracovia ad illuſtrem noſtrum CHRISTIANUM de HELWICH, *de communi errore in febrium putridarum & malignarum medela* exarata, inter alia ſequentia ſcribit: (*n*) *Quoad cardiaca remedia, nunquam illis contemperatis me oppoſui, quæ blando odore gratoque ſapore libenter accepta ſpiritus recreant, uti flores tunicæ & Jasmini ſyrupus, & conſerva, aqua citri & ſimilia. Cruſtacea, teſtacea, margaritæ, oculi cancrorum, C. C. unicornu, pretioſi lapides &c. fixa abſorbentia, quæ utpote terra damnata digeſtioni non parent, nec quicquam a ſe dimittunt, inutiliter pro alexipharmaco cordiali aſſumuntur; nam gravi tantum calce ſtomachum & inteſtina obducere, atque ipſorum meatus obſtruere valent.* Atque ita etiam ille prætextus inanis eſt, quem de explenda indicatione vitali ſolliciti videri geſtientes nonnulli Medentum allegare ſolent, quando inſipida ſua & inodora cardiaca aridis ſæpe ægrorum faucibus, vel hauſtu ſimplicis aquæ multo felicius reficiendis, obtrudunt. Nondum vero omnia exhauſi. Dixi nempe jam ſupra nonnulla de motu ſanguinis inteſtino, fermentativo, diſſolutorio, quem a miasmate induci fere omnes neotericorum ſtatuunt. Atque ex hoc fonte ſat multi energiam terreorum bezoardicorum deducere nituntur, quando horum uſu motum illum particularum inteſtinum præpediri, inhiberi, adeoque ipſam plenariam ſanguinis colliquationem putredinoſam ita coerceri caverique aliquantiſper aſſeverant. Favet huic ſententiæ quammaxime cl. STAHLIUS, (*o*) atque operæ pretium eſt, ut propria ipſius verba hic legantur: *Abſorbentia, inter quæ aliis merito præfe-*

Motus inteſtini inhibitio.

(*n*) legitur hæc epiſtola inſerta Miſc. Nat. Curioſ. Cent. VI. obſ. 92. (*o*) de erroribus practicis circa curationem malignarum §. 55.

præferimus oſtrocodermata, & his (etiam propter facile parabilem copiam, tanto magis in caſu neceſſitatis) cortices ovorum æquiparamus, licet indiſcreto copioſiore uſu etiam incommoda facere poſſint, tamen prudente uſurpatione parcioribus atque repetitis potius, quam ſimul ingeſtis doſibus habent certe uſum nequaquam contemnendum in omnibus febrilibus ſanguinis commotionibus, dum non ſolum antecedentes ex parte cauſſas bilioſo-fermentativo-acidas acres, ſed etiam effectus tales a commotione febrili humorum ſubnaſcentes, occupant: Imo etiam aliqualem, vero, modo recte intellecto, ſenſu, præcipitatoriam efficaciam ita exerunt, ut non ſolum acidas, ſed cum his etiam activiores ſulphureas partes irretiant: Uti variis experimentis etiam velut ad oculum demonſtrari poteſt. Quo nomine itaque etiam in omnibus contagioſis febribus malignis, uſus eorundem vix unquam negligendus venit. Eadem verba conſpectui ſuo inſeruit JUNCKERUS, (*p*) abſorbentium uſum in malignis ex eadem hypotheſi ſtrenue defendens. Miror autem, quem aliter a STAHLII, ejusque aſſeclarum placitis valde recedere omnes norunt, Illuſtr. HOFFMANNUM ſimilem prorſus animo fovere ſententiam. Namque de febribus epidemicis exanthematicis ſive petechizantibus agens, ita ſcribit: (*q*) *Tam ad diſſolutionem corruptivam intercipiendam, quam acrimoniam acidam obtundendam conducunt blanda diaphoretica & terrea fixiora alcalina, bolus nimirum armena, terra ſigillata, unicornu foſſile, lap. cancr. mater perl. C. C. philoſ. pulv. bez. Sennert. Ludov., noſter, Anglicanus, lap. bezoardicus & lap. de Goa.* Diſſertationeque de putredinis doctrina, ubi de malignis & petechialibus febribus verba facit: *Terrea*, inquit, *& bezoardica hoc habent peculiare, ut ſanguinis mixtionem quodammodo conſervent, atque impediant, quo minus tam cito diſſolvatur.* (*r*) Verum ſi hæc omnia curatius paulisper expendam, licet magna mihi ſit virorum horum doctiſſimorum, eaque, quæ meritis ipſorum debetur, exiſtimatio, neutiquam mihi ad ſtabiliendum uſum fixorum bezoardicorum in malignis ætiologiæ illæ facere videntur. Certe quid ſibi velint STAHLII & JUNCKERI cauſſæ malignarum bilioſo-fermentativo-acido-acres non capio. A bile oriundas febres epidemicas vix com-

(*p*) Tab. LXX. pag. 577. (*q*) Med. ſyſt. Tom. IV. Sect. I. cap. X. pag. 233. (*r*) §. 21.

commemoratas a neotericis ullibi recordor; neque ad bilem faciunt terrea, ut antecedenti capite declaravi. Fermentatio in noſtris humoribus nulla; igitur vana ſunt antizymotica & præcipitantia terreſtria. Acidum malignum merito habetur pro figmento, atque ſi in miasmate acrimonia ſubeſt ſtimulans, ut vere ſubeſt, illa magis, dum putrida eſt & ſeptica, uti clariſſimi viri ipſi alibi ſæpius docent, ad acrimoniam acidæ e diametro oppiſitam alcalinam referenda erit. Quid igitur in febribus his datur bilioſi, fermentativi, acidi? Certe vomitus illi bilioſi, virideſcentes, ſymptomatici, ipſo colore acidum in primis officinis bili admiſtum fuiſſe teſtantes, quos in peſte Dantiscana & Roſenbergenſi obſervatos Stahlius allegat, (s) morbi ipſius cauſſam bilioſo-acidam fuiſſe non probant, nec ad alias febres epidemicas pertinent, atque, licet ſymptoma hoc terrea tanquam antacida indicet, valde hallucinaretur opinor ille, qui ipſi febri, quam hoc ſymptoma comitatur, proprie competere terrea, exinde inferret, aut prorſus eorum uſum ad omnes febres exanthematicas vellet extendere. Nolo ulla ratione in dubium vocare illius pulveris ex concharum, antimon. diaph. & nitri æqualibus partibus compoſiti efficaciam, cujus intra dimidium annum novem libras ſummo cum fructu abſumſiſſe, ſeſe in curandis petechialibus febribus Stahlius eloquitur (t) Nil me felix illius uſus movet, cum, eum non a conchis, non ab antimonio diaphoretico, ſed a ſolo polychreſto nitro vi antiphlogiſtica & antiſeptica ſumma prædito deducendum eſſe, firmiſſime convictus ſim. Paucis dicam, ipſe acidorum uſus, quem Stahlius & Junckerus non ſaltem permittunt, ſed valde laudant atque extollunt acidæ cauſſæ ſuppoſitæ refragatur, abſorbentia ant-acida inania clamat. Si enim acida afferente Junckero, (u) acriores putredinoſas fermentationes in his febribus compeſcunt, quid opus ant-acidis abſorbentibus? nonne horum uſu eximia acidorum virtus minus opportune ita poterat infringi? Neque etiam decantata illa terreorum virtus, quæ ſanguinis motui fermentativo putredinoſo oppoſita creditur, quamque mixtionem ejus conſervare, quam colliquationem & diſſolutionem humorum inhibere

Hhh

(s) diſſ. cit. §. ſequ. 56. (t) diſſ. cit. §. cit. (u) Tab. de febr. malign. pag. 578.

bere dicunt, eo me deducit, ut uſum illorum ulla ratione admittam. Dixi ſupra, quid de motu illo fermentativo-putredinoſo ſanguinis cenſendum ſit, monſtravi, illum antea locum in eodem non habere, niſi ubi is quieverit & ſtagnaverit, ipſamque adeo colliquationem eſſe ſtagnationum, inflammationum effectum; gangrænoſæ, ſphaceloſæque corruptionis teſtem. Præpediturus itaque colliquationem humorum putridam, præpediat ſtagnationes, inflammationes, gangrænam; Utatur ergo diluentibus, attenuantibus, ſaponaceis, antiphlogiſticis, antiſepticis, non terreis bezoardicis. Sane ſine illis omnibus terrea hæc vel ad libras uſurpata, colliquationem, dum cauſſas ejus non tollunt, neutiquam avertent. Et bone DEVS! quid juvaret omni humorum moli, in fermentationem motumque inteſtinum per hypotheſin abreptæ, ſcrupulos quosdam terreſtris pulveris in ventriculo moras otioſas nectentis objeciſſe? Fallor igitur, aut virtute omni, ſi ſerio examinentur, carent terrea remedia in therapia malignarum, quod fere ipſe largitur STAHLIUS, quem tamen defenſorem eorundem ſe gerere ex modo dictis apparuit. Videlicet, quod bene notari velim, alia diſſertatione *de malignitate* conſcripta expreſſis verbis ita loquitur. (*x*) *Terrea licet noxia, aut abſolute inutilia non ſint, poſitivam tamen conſideratu dignam efficaciam nullam utique habent.* Atque ſi nulla conſideratu digna virtute inſtruuntur, cur in morbis conſideratu digniſſimis, ſummamque in electione pharmacorum vere utilium conſiderationem poſcentibus, uſurpari nihilominus debeant, ego quidem non video. Reſtat ergo ſola commendatio, quod ſint remedia innoxia, eo autem ſine illa laudari a quopiam poſſe, nemo facile crediderit, cum, ſegnes cunctatores & ſpectatores otioſos morborum eventus ab ullo ægro deſiderari, valde dubitem. Interim eo mihi tandem redire videtur judicium cl. CARLII, de terreorum uſu in malignis, quod non ita pridem in commercio literario Norico, (*y*) lectum hic excerpo: *Remedia terrea,* inquit CARLIUS, *potiſſimum efficacia & adæquata judicantur pro fermenti miasmatici putredinoſi in mixtionem ſanguinis inſinuati obtuſione, inverſione ac quaſi mortificatione* (quanta poſtulata!) *Sunt vero talia potiſſimum,*

Innocentia.

quæ

(*x*) cap. 9. (*y*) An. 1736. hebd. 41.

quæ in materia medica dicuntur abſorbentia, oſtracea, terreaque illa concrementa, quæ animalibus aquatilibus involucra teſtacea largiuntur, uti conchæ, mater perl, lap. cancr. teſtæ ovor. &c. Probo hic non amplius, inverſionem fermenti miasmatici ejusque obtuſionem per terrea abſorbentia pertinere ad ſuavia Medicorum inſomnia, atque ad entia rationis, cum ea de re in antecedentibus ſatis locutus ſim. Sed trado potius ea, quæ paucis interjectis CARLIUS eloquitur, ita pergens: *In genere notandum circa diverſum talem habitum diaphoreticorum ejusmodi fixorum, quod, quo tenuioris & quaſi inſipidæ naturæ ſint ejusmodi terreorum genera, eo ſecurior etiam uſus ſit deprehenſus. Unde orta eſt disquiſitio illa, de inſipidorum magna energia, experientia multa aſſerta, ut in malignis meræ potiunculæ ex C. C. ſine igne cum aquis diapnoicis ſint præſcriptæ.* (Jam obſecro, attendite Lectores) *Subeſt ſtratagema practicum artifici ignotum, quia ſub tali uſu actus avtocraticus lenis ac lentus naturæ quam minimum alteratur & turbatur.* En cui bono ſerviant terrea! Fateor ultro, ſi remediis utendum eſt, ad veras indicationes curativas ne quicquam facientibus, melius eſſe ægro dare innoxia terrea, quam dare nocentiſſimas eſſentias alexipharmacas. At ſi cum ſua potione ex aquis diapnoicis & cornu cervino ad ſuperos abeat æger, parum credo gloriæ relinquitur Medico, quod innocentibus remediis non occiderit, quem appoſitis ſervare debuiſſet, atque ſæpius potuiſſet. Itane laudandus erit Medicus, cum cujus ægris, ſive redeant ad ſanitatem, ſive diem ſuum obeant, eadem ratione actu fuiſſet, ſive ille acceſſit ad eos ſpectatum, ſive minus? Veneror ego naturæ, i. e. circulantium mechanica neceſſitate humorum avtocratiam. Novi bene ejus ope ſola a malignis reſurgere egenos ſat multos, ditioribus, quos alexipharmacorum virtute advocati Medici ſæpius ad orcum detrudunt, feliciores. Nollem tamen eapropter, abſtinens jure ab omnibus noxiis pharmacis, bona & adæquata, naturæ ſine turbis inductis amicas ſuppetias allatura omittere, pigerque & otioſus acquieſcere in iis, quæ nil agunt, ægrumque ſuo fato permittunt.

§. 24.

Terrea fere omnia a tot claris Viris in malignis rejiciuntur.

Atque ita, deterſis feliciter fallacibus coloribus argumentorum, uſui terreorum in febribus malignis faventium, ea omnia expedivi, quæ dicenda mihi eſſe arbitratus fueram. Jam, poſtquam hæc remedia in genere omnia nil boni præſtare poſſe commonſtravi, unum ſupereſt, ut ſigillatim ea rejici a viris doctis, iisque etiam interdum, qui nihilominus ea alia vice adhibent & collaudant, paucis comprobem. Prodeat itaque primo infandus ille lapis, a quo, ut recte judicat Gerhard. Goris, (z) ante ſeculum tot fore offenſi ſunt, quot a melioribus remediis adjuti, qui multis majori fuit quæſtui, quam famoſus ille lapis philoſophorum Alchymiſtis. De lapide bezoar me loqui, judicante Zwelfero, (a) ipſa raritate rariore, cum plerumque adulterinus vendatur, facile conſtat. Illum nempe, ut denuo verba Gorisiana mea faciam, (b) ubi credideris te ſincerum germanumque comparaſſe, oſſa uſta, cretam, gypſum, cineres, conchas, ſanguinem ſiccum, lapillosque minores te emiſſe comperies, convenienti liquore quodam incorporata, uti impoſtores judæi eundem fabricare ſolent. De hoc lapide bezoar non adulterino ſed vero Langius (c) equidem judicat, quod ſit ſatis quidem laudabile remedium, ſed tantis viribus non præditum, ut aliqui ſibi imaginantur. At rectius remedio, cujus effectus cum deprædicationibus & pretio neutiquam conveniunt, non indigere medicinam aſſerit cl. Ludovici. (d) Plurimosque Cæſarum, Regum, Pontificum Archiatros ac Profeſſores celeberrimos ejus uſum condemnaſſe, nullumque unquam memorabilem ex eo ſæpe & ſæpius in febribus malignis ab ipſis exhibito effectum ſeſe conſpexiſſe, notat aliquoties jam laudatus Gerh. Goris. (e) Porro inter alios Hercules Saxonia: *Ego certe*, inquit, *lapidem bezoar non absque cauſſa parvi pendo, qui toto illo tempore, quo Venetiis Medicinam feci, ipſo frequentiſſime uſus, & eo quidem optimo credito, utpote huic vel alteri Senatori Veneto a maximis Principibus dono dato, aut a Religioſis Franciſcanis accepto, quem ex Indiis Orientalibus delatum aſſerebant, ſe manibus propriis ab animalis ventre extraxiſſe; nullum*

Lapis bezoar.

(z) in medicina contempta p. 168. & 169. (a) in appendice ad animadverſiones p. 65. (b) p. 170. (c) in mat. med. oper. p. 451. (d) in pharmac. p. 156. (e) p. 170.

lum tamen inveni fructum, neque ſudorem illum conſpexi ſalutarem, ab aliis tantopere decantatum. (*f*) Et quid multis? celebris ille DIEMERBROECKIUS, cujus de peſte tractatus tanti habetur inter Medicos, ultro profitetur, optimum lapidem bezoar ſe ad drachmam dimidiam, imo ſcrupulos quatuor fruſtra adhibuiſſe. Abſit ergo a malignarum curatione lapis bezoar vel ſelectiſſimus & veriſſimus, tanto magis fraudulento artificio compactus, cum ipſius energiam, vel unum aceti meraci cochlear, vel unus citri taleolus ſuperet longiſſime. Atque ita mecum de eodem ſentit PATINUS: (*g*) Pluris faciens malum unum citreum, quam univerſa officinarum cardiaca, plus in eo ponens præſidii contra febres ex humorum putredine ortas, ipſamque peſtilentiam, quam in quovis lapide bezoar. Dignum certe adhuc eſt commemoratu, quod de Indiarium Orientalium & Occidentalium Medicaſtris recenſet Guilielm. PISO: (*h*) Eos plus præſidii repoſtum arbitrari in ſemine medullaque limonum & citreorum adverſus febres malignas, quam in lapide bezoar. Vix opus eſſe credo, ut plura de portentoſo hoc remedii genere commenter. Excipiant ergo illud *terræ ſigillatæ.* Has autem omnes in totum deſtitutas eſſe virtute ſingulari alexipharmaca, ob quam vulgo in febribus aut dyſenteria maligna extolluntur, rotunde affirmat JUNCKERUS. (*i*) Atque recentiſſime cl. FISCHERUS, in erudito tractatu *de terra medicinali Tokayenſi*, licet aliquantiſper indulgeat uſui earum, (*k*) tamen eas omnes venenis haud reſiſtere, (*l*) nec omnium primam Tokayenſem eſſe antiloimicam, (*m*) ſolide & eleganter oſtendit; illasque precarias vires omnes, quas a longo tempore ipſis tribuerunt Medici creduli, niti falſa hypotheſi de macrocoſmi & microcoſmi analogia, bene ſimul annotavit: Docet examen terrarum ſigillatarum, bolorumque chemicum tantum non omnes non nihil acidi ſtagmatis continere, (*n*) ac modo laudatus FISCHERUS phlegma acidiuſculum etiam ex Tokayenſi terra ſe obtinuiſſe notat. (*o*) Porro ejusmodi terreſtria concreta omnia calcinationi expoſita rubi-

Terræ ſigillatæ & Boli.

(*f*) de plica Podolica c. 59. (*g*) Libro de tuenda valetudine gallice ſcripto c. 2. (*h*) in hiſt. nat. & med. Ind. Occid. libr. V. c. 20. (*i*) Therap. gen. Tab. IV. p. 137. (*k*) §. 60. (*l*) §. 61. 62. 63 64. (*m*) §. 48. (*n*) Vid. JUNCK. Therap. gen. Tab. IV. p. 137. & in chem. p. 513. (*o*) §. 31.

rubicundum colorem induunt, martialique principio ita ſeſe inſtrui teſtantur. Neque aliquid miraculoſi in iis deliteſcere, aut arte eductum fuiſſe unquam, vel legiſſe in virorum cordatorum ſcriptis, vel audiviſſe recordor. Quando igitur nunc non ex ineptis fabulis, ſed ex phyſicis chemicisque principiis lis dirimenda eſt, an terræ ſint alexipharmacæ, an minus, facile inde quilibet ut puto ſeſe intricabit. Quis unquam fando percepit, martem eſſe alexipharmacacum, quis terram puram venenis reſiſtere unquam cum ratione auſus eſt aſſeverare? Si qui ſunt, qui phlegma acidiuſculum ex terris bolisque igne chemico eliciendum mihi acida magnifacienti objiciendum ducant, iis cogitanda permitto, quæ de eodem ſcripſit JUNCKERUS: *Non*, inquit, *peculiaris harum terrarum utilitas comperta eſt*, *prorſus enim ridicule ſtagma illud acidum quod per ignem ex his terris propulſum capitur, febribus malignis ajunt convenire.* (*p*) Quis ergo nexus detur inter terras ſigillatas & malignitatem, ego ſane non video. Optime ſcripſit cl. STAHLIUS: *Terræ ſigillatæ adſtringunt*, *& hic effectus eſt unicus*, *nam venenis neutiquam reſiſtunt.* (*q*) An vero adſtrictoriam virtutem febribus malignis aliquis convenire crediderit? Valde ego ea de re dubito, quin, cum malignæ febres diarrhœa critica toties leventur, non utiles, ac adiaphoras ſaltem terras ſigillatas, ſed prorſus noxias habendas eſſe, ſponte innoteſcit. Abeſſe eapropter terras has ab hoc morborum genere Practici circumſpecti jubent, ac inter recentiſſimos cl. KRAMERUS terras ſigillatas albas & rubras, omnesque inde compoſitos pulveres, alexipharmacum rubrum, bezoardicum communem, pannonicum rubrum, bezoardicum album Ludovici, tanquam adſtringentia, & diarrhœam criticam ſiſtentia remedia ab apparatu medicaminum epidemicis & caſtrenſibus febribus ſerviente excludit. (*r*) Poſtquam autem ita terras ſigillatas inanes declaratas in malignis a viris Practicotatis oſtendi, non opus eſſe duco, ut ſeorſim de bolo armena & aliis verba faciam, cum idem, ut jam dixi, terrarum ſigillatarum & bolorum ſit ingenium. Recenſet Mich. MERCATUS, (*s*) ſe ægro cuidam laboranti febre

(*p*) Therap. gen. p. 138. (*q*) mat. med Germ. p. 303. (*r*) Vid. comm. litt. Norimb. An. 1735. hebd. 5. (*s*) in metallocotheca Vaticana a Lanciſio edita, armamentario I.

febre peſtilentiali exhibuiſſe bolum Armeniæ veram, ſed fruſtra, mortuum enim eum fuiſſe, aperto dein cadavere ſe conſpexiſſe bolum adhærentem ventriculo & inteſtinis. Certe auſim ego depoſito certare pretio, ſi cultro anatomico ſubjicerentur febribus malignis demortuorum, largiterque antea terreis pulveribus cibatorum cadavera, Medicos viſuros hærentes in plicis canalis inteſtinalis pigros & otioſos ſuos pulvillos bezoardicos, quos propellendæ foras malignitati ſocordes ipſi & ſegnes deſtinaverant. Sed de his ſatis. Tranſeo ad alexipharmaca & bezoardica *cervina*, petoque, Cornua Cer-
ut lectores mei revocent in memoriam lepidam de cervo toto ale- vina.
xipharmaco fabellam, ſupra jam a me citatam. Nil huic, cum ne commemoratione quidem digna ſit, opponam, quam verba celeb. STAHLII: *Mirandum*, inquit, *unde orta eſſe potuerit audaciſſima illa adſertio, quod totus cervus ſit alexipharmacus. Audaciſſima, inquam, tam diu ad minimum, donec exemplis & experimentis non æquivocis demonſtratum fuerit, cui uni venenorum generi, nedum pluribus indifferenter, unum e toto cervi corpore remedium, nedum plura, certam atque fidam, in qua ſecure acquieſcere liceat, opem præſtet.* (*t*) Et alibi: *Wedelius & alii putant nil eſſe in cervo, quod veneno non reſiſtat, puto vero ego, ne pilum quidem in toto cervo eſſe alexipharmacum, niſi forte Ariſtoteli credere voluerimus: Cervos naribus ex cryptis terræ ſerpentes attrahere, atque hac ratione iterum rejuveneſcere.* (*u*) Clamet igitur ETTMULLERUS cum aliis, *cervum totum eſſe alexipharmacum*, (*x*) per me licet, parum ego propterea Cornu Cervi ſimpliciter præparatum, uſtum, philoſophice calcinatum, curabo: at ubi cum HOFFMANNO (*y*) affirmaverit aliquis, *integrum pomum citri eſſe alexipharmacum*, tum laudabo ſapiens effatum, ac nunquam ſine hoc eximio alexipharmaco, me ægris meis malignis morbis decumbentibus affuturum, candidus promittam. Placet valde, quod JUNCKERUS aſſerit C. C. ad malignitatem febrium vincendum & ſudorem pellendum conferre multi aſſerunt. Sed omnino perquam ambigua & occulta qualitas hæc eſt. (*z*) A cervo autem nunc jure Unicornu
defle-

(*t*) Diſſ de erroribus circa curationem malignarum § 24. (*u*) mat. med. germ. p. 378. (*x*) Tom. II. p. 334. (*y*) in clav. p. 444. ETTMULL. Tom. II, p. 334. (*z*) in Therap gen. Tab, IV. p. 140.

rum marinum & foſſile.

deflecto ad *unicornu verum, marinum & foſſile.* Liceat vero hic iterum opponere STAHLII judicium: (*a*) *Unicornu verum, cum ab antiquaria potius ad hunc diem, quam antiqua fabula in omnibus formulis præſcribi ſueverit, quod ipſum tamen in toto cognito orbe inveniri adhuc in dubio verſatur, in pharmacopoliis autem non inveniri, omnibus notum ſit; Qua fronte marinum illud, in eandem prorſus dignitatem aſſeratur & temere ſummo jure dubiæ illæ virtutes, vero olim ſive affictæ, ſive adſcriptæ velut ab inteſtato ad hoc marinum transferantur, omnium cordatiorum hominum judicio ſincero tamdiu utique commendandum erit, donec ſolida experientia demonſtratum ſit, quod hoc marinum dictum unicornu (nam de foſſili diſceptare pudet magis quam piget) ulli veneno ullum fidum & ſincerum auxilium præſtare ſoleat.* Quod de triplici hoc unicornu diffuſius eloquitur STAHLIUS, in compendio habet Gerh. GORIS: (*b*) *Unicornu verum*, inquiens, *eſt inviſibile animal, marinum & foſſile nil ſingulare præ ceteris animalium cornubus habent,* (ergo & nullam vim alexipharmacam.) De-

Calces antimoniales omnes.

venio tandem ad *calces antimoniales*, bezoardicum minerale, ſolare, lunare, ceruſſam antimonii, ſulphur antimonii, materiam perlatam, quæ omnia ad alexipharmaca relata ubique fere in Practicorum præceptis clinicis videas. Id in toto hoc paragrapho expediendum ſumſi, ut non meam de potionibus remediis pro bezoardicis habitis ſententiam ſeorſim edicerem, ſed aliorum; quare idem illud & hic agere pergo. Iterum autem cl. STAHLIUM judicem ſat gravem produco: *Nulla ſubeſt cauſſa,* inquit, *cur de bezoardicis mineralibus, ut dicuntur, adeo magnifice ſentias, ac ſi vel ſublimioribus adhuc determinationibus inſtruerentur, vere tamen nullum ſolidum effectum edunt.* Omnis *operatio chemica opus hoc eſſe valde miſerum teſtatur, an uſu adeo ſeſe commendet, cujuslibet deliberationi & experientiæ relinquitur. Nil aliud hic producitur, quam quod jam exſtitit, nec plus præſtat productum chymicum, quam non productum antea præſtitiſſet. Interim ſuperbus titulus remedii contra venena & alexipharmaci adeſt. Qui rem non melius ſciret, is credere ita tantiſper teneretur. Ego vero non credo.* (*c*) Terret quidem aliquantulum excerpendorum prolixitas.

(*a*) Diſſ. modo citat. §. 24. (*b*) in medicina contempta p. 172. (*c*) mad. med. Germ. p. 115. & 116.

xitas. Sed ſuadet uſus & demonſtrationis pondus, ut cogitationes elegantiſſimæ de calcibus antimonialibus cl. CARLII hic legantur, quæ licet etiam aliis capitibus jam ante præſens inſeri potuiſſent, ad hoc tamen præcipue, dum calces illæ otioſæ famoſis bezoardicorum titulis ſuperbiunt differri debuiſſe mihi viſæ ſunt. En ita ſolide differit vir clariſſimus: (*d*) *Pharmacopœorum famulis etiam non amplius occultum eſt, in iis non minus arcani therapeutici eſſe quærendum, quam in omni terra macra cretacea, nec inter tot numero diverſa differentiam a rei gnaro agnoſci poſſe: Apud Medicos ſpes, fides, admiratio pariter diſparuere, ut pauci experientia chymica medicaque ita vacui ſint, qui in iſtis bezoardicis mineralibus, ſolaribus, lunaribus, ceruſſa antimonii, ſulphure antimonii, ac mercurio vitæ per nitrum fixatis, materia perlata Crugneri, ſtomachio Poterii &c. myſteria ſcrutari ac vendere auſint.* Tum variis interjectis ſic loquitur: *Animus eſt, paucis indentitatem iſtarum calcium indicare, & cum in vulgatiſſimo illarum ſcil. antim. diaph. nil myſterii reconditum ſit, ita in cæteris nil arcani aut differentiæ ſpecificæ ſubeſſe monſtrare. Antimonium eſt concretum minerale ex ſulphure ac ſubſtantia regulina. Hoc antimonium materia exiſtit omnium illarum calcium panacealium. Medium ac menſtruum quaſi illius diacriſeos præparatoriæ eſt nitrum. Hoc conſtat acido ſulphureo & ſale alcali; Calces vero illas pars antimonii ſulphurea non ingreditur, ſed regulina; ſulphurea enim ſub accenſione cum nitro deſtruitur, ut ſulphuris principium inflammabile cum acido ſulphureo nitri conflictum committens utrumque ſeſe deſtruat, & e mixtione ſua diſturbet. Acidum vero ſulphuris, ut craſſius nitroſo cum ſale alcali poſt acidi expulſionem coit, ac novum mixtum ſalinum, neutrum vitriolicum tartaro vitriolato ſimile conſtituit. In calcibus igitur illis de talibus ſalibus nihil hæret, utpote quod ſub elutriatione cum nitro antimoniato oblatum. Regulina vero pars ſubſtantiam, ſubjectum, baſin, uti antim. diaph. ita cæterarum calcium format. Patet hic fundamentum genealogicum antimonii diaphoretici. Regulus, ſi cum nitro calcinetur, cum per hujus inflammabile acidum parte ſua ſulphurea metallicam faciem mixtioni inferentem orbatur, ut nil niſi vitreſcibilis pars in calce remaneat. Patet hoc, ſi calx talis vel per ſe, vel*

Iii cum

(*d*) in M. N. C. cent. I. & II. obſ. 190.

cum ſale puro in vitrum fundatur. Si τὸ φλογιςὸν reſtituatur, redit in regulinam metallicam conſiſtentiam, quod patet ex fuſione illius calcis cum carbonibus, pulvere fuſorio nigro, aut ſimili ſubſtantia pingui. Ergo antimonium diaphoreticum eſt talis reguli ſubſtantia calcaria exuſta. Ceruſſa antimonii item. Convenit identitate ſpecifica bezoardicum lunare & ſolare, cum hæc perfecta metalla a nitro non lædantur ac deſtruantur, unde ab eorum conſortio nil emolumenti iſti calci antimoniali accreſcit. Bezoardicum minerale eſt partis regulinæ per ſpiritum ſalis ſub butyroſa forma ac nomine abſtractæ mediante ſpiritu nitri facta calcinatio. Differentia nulla intercedit, præterquam quod hæc operatio in via humida contingat, uti illa in ſicca. Medium calcinationis æque, uti ibi, eſt acidum nitri ſulphureum. Mercurium vitæ nitro fixatum alio loco bezoardici mineralis ob laborioſum & pretioſum diſpendium eligunt, nec errant. Eſt enim mercurius vitæ nil niſi regulus antimonii ſpiritu ſalis diſcerptus. Sulphura antimonii diverſarum præcipitationum non eſſe vera ac pura ſulphura ſatis notum. Sed tenuiora præcipitata a menſtruo præcipitationis acceſſorio diverſo diverſam alterationem ſuſcipientia. Poſſident enim ſuam regulinam, ſuamque ſulphuream adhuc ſubſtantiam. Si cum nitro, uti in antimonio diaphoretico fit, calcinentur, convertuntur in album pulverem, id eſt calcem regulinam. Stomachicum Poterii, materia perlata Crugneri, ſimilisque indolis producta grandiloquis titulis ſaltem ab illis dictis differunt. Demonſtratio igitur hæc ſynthetica a priori ſatis clare convenientiam ac identitatem indicat. Analyſis chymica ſi expetatur: Perducas quamvis, aut ſingulas earum calcium ad fuſionem in crucibulo; Evadet vitrum flavum. Quodſi cum pulvere fuſorio nigro fundantur, redibunt in regulum. Regulum hunc funde cum ſulphure communi redibit antimonium purum. Idem hic proceſſus, ordo, in ſingulis obſervabuntur; nec ullum productum aut phœnomenon ab altero differet. Abſonum ergo eſt differentiam ſpeciei, graduum, effectuum ſomniari inter tot externo ſaltem pharmaciæ labore differentia: Et tanto magis medicinam magnam in iis quærere. Ludunt multi pharmacopœi, faciles qui ſuperſunt admiratores, dum capſulas ſuas horum arcanorum unico antimonio diaphoretico implent, ac reſtaurant. Dolum fraudulentum ſi Ariſtarchi fronte intueâris, illis non ſuccenſe, ſi te umbra oberrantem tanto magis cum pueris ſuis rideant.

§. 25.

§. 25.

Nunc vero expenſis probe his omnibus, in ſummam contrahere liceat contenta univerſo hoc paragraphoa; atque tandem integro capiti imponere coronidem. Monſtraveram paragrapho antecedenti, omnes prætextus de terreorum uſu in febribus malignis Medicis familiares eſſe vanos, inanes, ſolidoque fundamento carentes. Nunc potiora terrea bezoardica, quorum catalogum primo capitis paragrapho exhibueram, ſeorſim conſiderata rejici ob fabulas & figmenta, quibus omnis eorum uſus nititur, a viris in arte claris & cordatis oſtendi. Clamant hi ridiculum eſſe lapidem bezoardicum, inanes & ſuperſtitioſas terras medicinales & bolos. Putidiſſima habent mendacia, quæ de præparatis ex cervo circumferuntur, puerilem demonſtrant uſum unicornu veri, marini foſſilis; pudendam & ridendam a ſervulis pharmacopœorum oſtendunt præſcriptionem bezoardicorum mineralium & calcium antimonialium reliquorum omnium. Quis autem nunc Practicorum in arte ſua vir, non puer, non anus, has exortationes; quis ſibilos hos; quis has exprobrationes contueretur? qui juſtas eas eſſe pudore ingenuo ſuffuſus non agnoſceret ultro. At amabo! quis alius apparatus pulverum pro bezoardicis & antimalignis venditatorum ſupereſt? nonne ad unum omnes ex ea, quam modo ſecundum ordinem recenſui, farragine coaleſcunt. O nos Medicos miſeros, ſi cives noſtrum paucorum ſuperſtitioſam ſegnemque ignorantiam, ſi plerorumque meliora videntium, probantium, deteriora ſequentium, oſcitantiam aliquando perſpexerint! Vereor ne ſoſtra noſtra, quæ avaris parcisque manibus eheu ſolvuntur, magis indies in nihilum redigantur! ne literati alii, nos ab eruditorum hominum conſortio epidemicis minimum temporibus excludendos eſſe palam affirment. Reſpiciatis, o boni! ad catalogum pulverum bezoardicorum, quem (§. 2.) oculis veſtris exhibui, ſubjicite ſingulos ſeveriori examini. Novi hercle! ſi ſupereſt ullus in veſtris præcordiis ad artis honores ſartos tectosque ſervandos excitans zelus; ſi ullus ſupereſt in languentibus ægrorum viſceribus defixus, tenerioriique miſericordiæ affectu accenſus amor; abſtinebitis a leviſſima in graviſſimis morbis medendi methodo, plauſuque excipietis mu-

Exhortatio ad Practicos directa.

tuatam a Gerh. Goris ſolique pulvillo bezoardico Anglico ab eodem impoſitam, at pace veſtra omnibus ſine exceptione pulveribus bezoardicis terreſtribus accommodandam inſcriptionem ſequentem: *Tam magnarum & eximiarum virium atque virtutum ſunt mirabiles hi pulveres, ut ſive quis grana quinque maxima cum circumſpectione aſſumat, ſive unciam integram negligenter ſimul devoret, perinde ſit, atque res in idem redeat. O catholicos, o egregios pulveres, o Panpharmaca!*

Caput XX.

In Petechiis ſpeciatim & purpura fruſtaneos eſſe terreſtres pulveres evincit.

§. I.

De Petechiis quædam.

Expoſui, binis antecedentibus capitibus, exanthematum in genere conſideratorum, febriumque malignarum in genere conſideratarum ingenium, quorum argumentorum maximus utique inter ſe invicem habetur nexus. Videor autem mihi nunc obſtrictus, ut ſpecialiorem pauliſper petechiarum, purpuræque explanationem ſuſcipiam. Scilicet appareat neceſſum eſt, omnia, quæ in genere de exanthematibus ediſſerui, exacte omnibus eorundem ſpeciebus a levioribus ad graviores usque competere. Cumque petechiæ & purpura ad exanthemata omnium peſſima indicesque latentis malignitatis communi medicorum ſuffragio referantur, individualem & petechiarum & purpuræ faciem prorſus reſpondere modo expoſito malignitatis ingenio ut ſimul quoque commonſtrem, opus eſſe judico. Patebit ita elegantiſſime omnium harum doctrinarum conſenſus, atque ex eodem tanto magis argumentorum veritas. Ordiar a petechiis. Velim autem reminiſcantur mei lectores, me exanthematum omnium cauſſam poſuiſſe ſtagnationem liquidorum in vaſculis per omnem cutis ambitum ſerpentibus; vel ob liquidum moras nectens in ſuo proprio canali, vel ob liquidum in vas alienum transſiens, vel ob vaſcula quædam abſciſſa vel eroſa. Jam autem quam egregie vera petechiarum indoles nulli alii, ſed huic ſaltem ſoli fundamento innitatur, quam facile ex ſtabilitis in ſupe-

ſuperioribus principiis deducatur, doceat nos cl. NOGUEZ Medicus Pariſienſis, cujus verba cogitatis meis amiciſſima ſumma voluptate hic adſcribo: *Cujuscunque*, inquit, *ſpeciei fuerint peticulæ, cauſſa eſt nimia ſanguinis velocitas, vel tenuitas: Siquidem ſanguis nimia velocitate impulſus dilatat vaſa ſudorifera, quæ ſedes ſunt peticularum &c. imprimis quæ lineam rectam vel rectæ proximam cum arterioſis, e quibus oriuntur, conſtituunt. Pars rubra intra eorum cava adigitur, per orificia ſub cuticula effunditur, & nonnunquam tantus eſt ſanguinis impetus, ut vaſa disrumpantur inflammatioque ſuperveniat. Dum autem ſanguinea compages ſoluta, partiumque nexus longe ſolito minor eſt, ſanguis, utpote tum maxime diviſibilis in minimas particulas, facile vaſa ſudorifera ſubit, & ſub cuticula effunditur, aut ſaltem intra vaſa minima lymphatica colligitur, ut in ſcorbuto absque inflammatione. Nonnunquam humoribus quieſcentibus accedit putrefactio, unde humorum acrimonia.* (*e*) En veritatem ubique eandem & in omnibus ſibi ſimilem! Paucis dicam, petechiæ oriuntur vel quia ſanguis ſtagnat, in ſummis apicibus ultimarum arteriolarum ſui generis, vel quia impetu febrili in aliena vaſcula intruditur, vel quia nimis ſolutus vaſa aliena intrat, vel quia alcaleſcens, acrisque eapropter redditus, exiliſſimos canales abſcindit & erodit. Cauſſa ergo petechiarum, 1) impetus febrilis, 2) ſanguinis denſitas phlogiſtica, 3) ſanguinis phlogiſtici diſſolutio putredinoſa, ejusque adeo gangrænoſa & ſphaceloſa diatheſis. Nullum hic miasma fermentescibile, colliquefaciens, motum inteſtinum humorum turbans, allegare attinet, ſed tria citata ſufficiunt. Neque putet aliquis theoriæ iniquus oſor, ignotique nulla cupidine tractus ſpeculationes ejusmodi ad lectum ægri non pertinere, nullumque uſum adferre practico Medico. Monſtrare quippe animus eſt, ſummis practicis triplicem illum fontem oriundarum petechiarum bene fuiſſe animadverſum, artisque operibus faciendis applicatum. Memoratu digniſſimum eſt, quod in peſte Roſenbergenſi obſervavit ſuperſtes adhuc Vir Clariſſimus Chriſtianus HOLMANNUS, (*f*) poſt uſum theriacæ ſolenniter petechias mortis inſtantis nuncias exortas fuiſſe.

(*e*) in not. ad aphor. Sanctorianos ſect. I. aph. 105. (*f*) Vide Kanolds Sendſchreiben pag. 130. 131.

En accelerati ab intempeſtive aſſumpto calido acrique remedio circuli, ſanguinisque eapropter phlogiſtici redditi effectum! Sed idem illud ab iisdem cauſſis ante eum ſæpius jam annotatum eſt a Practicis. *Ab intempeſtivo cardiacorum uſu & regimine paulo calidiori* (ecce febrilem impetum) *petechiæ ſæpius effloreſcebant, ſummæ inflammationis indicium in quovis morborum acutorum genere*, adnotat Thomas SYDENHAM, (*g*) atque alibi petechias inflammationi, ægri ſanguini jam diu plus ſatis accenſo, ſuperinductas, omnino deberi contendit. (*h*) Porro petechias, quoties acutis morbis accedunt, eas ab atrociore ſanguinis inflammatione oriri, ac proinde refrigerantia indicare remedia aſſerit. (*i*) Attendi adhuc meretur curatius illud, quod de maculis petechialibus variolis ſeſe aſſociantibus refert idem auctor, quando id quammaxime eo tempore contingere enarrat, ubi ſimul ſanguinis excretioni, vel per meatus urinæ, vel per tuſſim æger afficitur. (*k*) Sane autem, ſi ex ulla re alia, ex hoc momento ſanguinis in aliena vaſa tranſitus eluceſcit, & ortum petechialium macularum in cute, & hæmorrhagiam pulmonalem renalemque excludens. Neque reticeo, in epidemia noſtra ante biennium graſſata, me vix ullum vidiſſe purpura petechiisque laborantem ægrum, qui non ſimul inflammationem albugineæ a ſolo errore loci profectam pateretur. Certum ergo eſt, petechias teſtari de impetu circuli & ſtagnationibus phlogiſticis ceu genuinis ſuis cauſſis. Reſtat adhuc cauſſa ipſarum tertia. Animadvertite autem, lectores amiciſſimi, quam belle eandem depingat cum Thoma WILLISIO Gualtherus HARRIS. Prior exanthemata malignarum omnia, atque in ſpecie petechias pro cruoris coagulati portionibus exilioribus in cute defixis, & propter ſanguinis necroſin ſeu ſiderationem in maculas purpureas concreſcentibus habet. (*l*) Poſterior, petechias maculasque purpureas primarias malignitatis notas varios eſſe gangrænæ aut fientis aut factæ gradus, ſapientiſſime declarat. (*m*) Vix novi aliquem, qui gradus hos ſecundum varios colores melius tradiderit, melius diſtinxerit cl. Joanne Nicol. PECHLINO, occaſione petechiarum ita ſcribente: *Exanthemata*

(*g*) Oper. pag. 651. (*h*) pag. 682. (*i*) pag. 418. (*k*) pag. 682. (*l*) de febr. cap. 12
(*m*) de morb. inf. pag. 79.

mata illa prout majorem minoremque putredinis gradum concipiunt, ita variis ſeſe exerunt coloribus. Ruber minus alit monſtri, inde flavedo, periculum autem a nigris maculis, livor complementum malignitatis deſignat. (n) Et alio loco ita vir doctiſſimus diſſerit: *Peſſima eſt petechiarum ratio, ubi lividæ ſunt vel nigræ, hæ enim nil aliud quam univerſi corporis gangrænam aut carbunculum referre videntur, adeo, ut cum illis ullum unquam convaluiſſe dubitem.* (o) Niſi omnia me vehementer fallunt, ipſa hæc ſententia jam animo ſedit egregio SANCTORIO; Sane is materiem gangrænoſam hærentem in cutis vaſculis imperſpirabilem quam dexterrime pro petechiis agnovit. *Peticulæ cur fiunt?* inquit, ſimulque reſpondet: *Quia maligni ichoris perſpiratio impeditur.* (p) Quis autem nunc non animadvertit clariſſime verum petechiarum ingenium, (quod in ſtagnationibus ſanguinis phlogiſtici, gangrænoſique in vaſis cutaneis exilioribus, vel adhuc integris, vel ſub epidermide diſruptis exeſisque, unice abſolvitur;) accuratiſſime convenire cum ingenio malignitatis, cujus genuinam indolem in ſtagnationibus, inflammationibus, colliquationibus gangrænoſis, putridisque humorum ſtagnantium fundari, antea luculentiſſime probavi. Quis non ultro perſpicit rationes ſufficientes, cur malignitati exanthemata petechialia adeo ſæpius jungantur; Cur, quod bonus animavertit DIEMERBROECKIUS, (q) inter excretiones in peſte petechialis ſit periculoſiſſima. Non opus eſſe duco, ut de curatione petechiarum aliqua adnectam, ultro quippe apparet, eas nulla alia remedia indicare, quam quæ indicabat malignitas; diluentia, antiphlogiſtica, antiſeptica, præcipue, quæ ſingula jam recenſita recenſere iterum ſupervacaneum eſſet. Summum inter omnia laudatiſſimum acetum! Cavebunt ſpero a SYDENHAMO refrigerantia remedia poſcente, cardiaca calida, atro carbone notante, moniti Medentes, ne ſua arte alexipharmacis & bezoardicis imprudenter adhibitis petechialem febrem faciant, ubi ſine ipſorum juvamine non erat eventura, aut actu præſentem deteriorem & graviorem reddant. At ſimul poſcere tamen morbum, atque eſſe operæ pretium, ut alia longe quam otioſa & ineptiſſima terreſtria ægris præſcribantur, nemo cordatorum confido inficiabitur.

§. 2.

(n) Lib. II. obſ. 17. (o) obſ. 18. (p) ſect. I. aph. 105. (q) lib. I. cap. 15.

§. 2.

De Purpura quadam.

Expoſita paucis petechiarum indole, tranſitum paro ad purpuram, de cujus cauſſa immediata variæ admodum inter Medicos hypotheſes circumlatæ ſunt. Nonnullis fermentum peregrinum allegatur. Aliis ſucci nervoſi vitium culpare placet. Aliqui de ſale acri volatili verba faciunt, & quid intereſt, ut omnium placita recenſeantur. Neoterici tandem fere omnes, vel miasma ſubtile ſalino-ſulphureum fermentativæ indolis vel & acidum vitioſum pro cauſſa purpuræ ſolent venditare. Priorem ſententiam Medici ad unum omnes STAHLII præcepta ſequentes defendunt. Poſteriorem poſt HAMILTONUM, ETTMULLERUM, &c. TEICHMEYERUS cum ſequacibus propugnat. Utramque demum conjungendam eſſe viſum eſt Illuſtr. FRIDERICO HOFFMANNO, namque ut in macrocoſmo corruptio liquidorum duplex eſt; una acido-vappida fixior, altera ſulphurea, fœtida, alcalina, volatilis, ita & duplex hoc vitium fluidorum in microcoſmo dari, atque ad purpuram trahendum eſſe autumat. Igitur albæ purpuræ cauſſam materialem lympham acore infectam, ſeu hujus corruptionem acido-vappidam; Rubræ autem, ſerum acre ſalino-ſulphureum, ſive hujus corruptionem ſulphuream fœtidam indolis magis alcalinæ volatilis pro cauſſa habendam eſſe aſſeverat. (r) Pace vero præceptoris amantiſſimi, aliorumque egregiorum virorum, quos veneror, nullam ex his hypotheſibus mihi ſufficere, nullam paulo rigoroſius examinatam veritati prorſus conſonam reperiri, aſſerere liceat, quod ipſum ex ſequentibus clarius ut ſpero apparebit. Quando vero aliam faciem eſſe purpuræ aſſevero, rubræ ingenium non niſi in ſtagnatione phlogiſtica, potiſſimum in glandulis cutaneis minutiſſimis reſidente, ponendum eſſe; albam vero ſerum ichoreſcens putrilaginoſum, eroſis aliquot vaſculis cutaneis ſub epidermide ſtagnans, ac eam a ſubſtratis fibrillis, canaliculisque abſciſſam in puſtulam bullulamque elevans conſtituere affirmo. Atque ne temere hoc ipſum ita aſſeruiſſe, perperamque a placitis virorum doctiſſimorum receſſiſſe videar, meum nunc erit, ut utrumque aſſertum fuſius paulo defendam, atque

(r) Vid. ejus Med. Syſt. Tom. IV. cap. de purpura & differt. de purpuræ genuina origine indole & curatione. HOFFMANNO ſubſcribit cl. SALTZMANNUS in diſſ. Argent. 1735. habita, quæ hiſtoriam purpuræ miliaris albæ exponit.

atque ſtabiliam. Agam primo de purpura rubra. Optime notat cl. Sydenhamus, purpureas maculas a regimine calidiori & intempeſtivo cardiacorum uſu ſæpius produci, atque eo in caſu inflammatoriam ſanguinis diatheſin accuſandam eſſe manifeſte eloquitur. (*s*) Neque video, quid accuſari debeat aliud ab eo, qui conſpiciens puſtulam rubram in cutis integumento exanthematum in genere conſideratorum ideam mente tenet, qui ſtagnationem humoris ad ea ſine exceptione omnia requiri, qui ſanguinem rubrum in alienis vaſis apparentem ſtatim excitare inflammationis præſentis ſuſpicionem ſciverit. Exoptatiſſimo ſuo ſuffragio cogitata mea rata habet, ac valere jubet cl. Vaterus, quod vel ſolum ſufficere arbitror, cum purpuræ rubræ geneſin adeo clare is ob oculos ponat, ut nil amplius mea quidem ſententia queat deſiderari. *Sunt*, inquit, *in ſe nil aliud maculæ iſtæ rubicundæ purpureæ, quam tot quaſi inflammationes cutis, a ſanguine intra vaſa cutis præter morem turgida, ſtagnante, uti ad oculum monſtrare poſſum in pede fœtus ſeptimeſtris, Ruyſchiana methodo præparata, qui totus purpura affectus apparet, ſed microſcopio inſpectus, nil niſi vaſa minima monſtrat.* (*t*) Habent hic, in purpura nil niſi malignum aliquod fermentum, nil niſi latens, ſubdolum venenum clamitantes, qui ſerio malignitatem ceræ Ruyſchianæ deteſtentur, aut ſi ingenuo pudore ducti ad meliorem frugem reduci ſeſe patiantur, habent unde meliora, unde ſolidiora de purpuræ ingenio ediſcant. Quam miſere autem diatheſi ſanguinis inflammatoriæ terreſtria remedia opponantur, adeo ad nauſeam usque in antecedentibus inculcavi, ut plura hic eloqui, crambemque bis coctam apponere, neceſſum haud judicem. Miſſa igitur purpura rubra accedo ad albam, quam miliarem quoque & veſicularem nonnulli vocant. Hujus vero notionem in ſero ichoreſcente, ulceroſo putredinoſo, abſciſſisque eroſisque quibusdam vaſculis cutaneis, epidemidem in bullulam elevante, fundari, jam edixi. Atque huic ſententiæ, licet nova aliquibus videri poterat, maximi certe ponderis habenda argumenta patrocinantur.

(*s*) Oper. p.651. & 682. (*t*) Diſſ. de aſthmate a depreſſione ſterni cum febre purpurata affligente theſ. 3.

Prorſus hic iterum, ut in purpura rubra, mecum ſentit cl. VATERUS: (x) *Puſtulæ albæ*, inquiens, *a ſero acri limites vaſorum tendente & cuticulam erodente oriuntur, a qua ſquamulæ poſtmodum ſecedunt.* Id certe rerum uſu conſtat, purpuram ut rubram ita & albam facile febribus inflammatoriis quibuscunque complicari, hancque præcipue in fine earundem ſurgere ſolere, atque tum plerumque funeſti exitus præſagium exiſtere, experientia practica loquitur. *In febribus inflammatoriis, vel a vulnere ortis, vel cum tumoribus parotidum ſuppurabilibus junctis, purpura multoties obſervatur, imo in pleuritide, peripnevmonia, ulcere renum &c.* ante aliquot annos ſcripſit (y) TEICHMEYERUS. Atque EYSELIUS, inter cauſſas & purpuræ rubræ & albæ proxime locum mereri unius alteriusve viſcerum inflammationem, diſertis verbis teſtatur. Nil vero puto magis probat facilem purpuræ ſpeciatimque albæ, quam nunc loquor, ad prægreſſas inflammatorias febres acceſſum, quam febrientium puerperarum conſideratio, quibus illa maxime familiaris a Practicis omnibus obſervata eſt. Summam autem hic animadverſionem meretur obſervatio Practicotati WERLHOFII, qui vix in puerperis ſe vidiſſe purpuram albam teſtatur, niſi ubi difficilius extractam ſecundinam perceperit; (z) Adeoque ubi læſio utero illata diatheſin inflammatoriam poſt ſe traxit. Quando igitur alba purpura inflammationes comitatur, aut ſubſequitur, totiesque, ubi apparuerit, mortem denunciat, ob inflammationes non aliter niſi gangræna ſphaceloque necantes; dari in ſanguine ichoroſam, fœtidam, alcalinam corruptionem, ſerumque adeo fracidum ac acre redditum ad omnes partes circuitu ſolenni delatum vaſcula exiliſſima pulmonis cerebelli, cerebri, cutis corrodere, ac in hac ſub purpuræ albæ facie in bullulis exiguis comparere, omnia ſane, ut ſtatuamus, ſuadent. Quin & a putrilaginoſo humorum ingenio ſummus ille virium languor purpuræ albæ ſolemnis quam maxime deducendus videtur. Quomodo autem in curatione albæ purpuræ ad eam ſanguinis ſerique conſtitutionem, qualem depinxi, famoſi terrei abſorbentesque pulveres quadrent, iterum hic ingenue

(x) loc. cit. (y) Diſſ. de purpura miliari §. 18. (z) in obſerv. de febribus, p. 294. in notis.

genue ignoro. Nil ſane novi aliud, quod uſui ipſorum faveat, præterquam hypotheſin, quæ ab acido albam purpuram derivat, de qua antecedentibus paginis aliqua jam in medium protuli. Fingit ſibi in morbo hoc veſiculari acidum malignum ETTMULLERUS, ac ubi ſaturatum fuit, id critice ſub forma ſalis tertii apparere in cute lepide contendit. Nemo ergo mirabitur, quando pro ſaturationis ſcopo abſorbentia ab eodem laudari viderit. (*a*) Eorundem quoque remediorum commendatio apprime reſpondet theoriæ Davidis HAMILTON; namque, dum acrimoniam ſanguinis accuſat, perbelle, ad ſanguinis ſuccique nervoſi aciditatem edulcorandam medicamenta vulgo alcalina dicta, præcipue teſtacea, oculos cancr. margaritas &c. commendare debuit. (*b*) Simili hypotheſi nixus cl. TEICHMEYERUS, longam ſeriem terreorum, imo vero vel omnium, quæ nominari poterant, recenſet, cum ad mentem ipſius optima ſint & tutiſſima, quia ant-acida. (*c*) Quodſi igitur hæc acidum purpuræ albæ cauſſam genuinam ſtatuens hypotheſis firmo ſatis ſtabilique fundamento inſtrueretur, nemo ſane ea remedia pro otioſis jure declararet, quæ acido ſunt oppoſita. Verum in alba purpura magis alcaleſcens humorum vitium accuſari debere, ſupra jam demonſtrare anniſus ſum, eaquepropter uſum terreſtrium pharmacorum tanquam vere oppoſitum ac ad genium morbi facientem admittere nequeo. Velim ut lectores mei denuo hic recordentur eorum, quæ de frequenti acceſſu purpuræ ad inflammatorias febres modo edixi. Sane nullus in corpore humor, ſolo chylo excepto, qui in acidam corruptionem ex ſuo ingenio vergeret. Serum noſtri ſanguinis æque ac albumen ovi, quod ſerum omni dote refert, detenta in calore ſani hominis brevi tempore acria volatilia, fracida, putrida redduntur, lymphaque in ſero jam præexiſtens atque ex eodem ſecreta nullius alius corruptionis capax, quam alcaleſcentis. Qua ratione igitur cum inflammationibus viſcerum, quibus tum, quando in gangrænam & ſphacelum corruptionemque mortiferam tendere incipiunt, quam maxime ſociari ſolet alba purpura, conciliaretur acidæ lymphæ vitium? quæ

(*a*) Tom. II. p. 343. 344. (*b*) de febre miliari cap. de cauſſis internis. (*c*) diſſ. de purpura miliari §. 24.

eo tempore certiſſime alcalica eſt & putrida. Merentur omnino quæ ſerio expendantur argumenta cl. Gerickii, contra eam hypotheſin directa. *Mihi ſaltem*, inquit, *quod in purpura rubra ſanguis ſulphureus & alcalinæ indolis, in alba vero idem potius acidus ſit, & inde utraque morbi hujus ſpecies prodeat, quemadmodum aliquibus placet, vel ob has rationes minus credibile videtur, quia 1) purpura rubra & alba ſimul interdum eundem ægrum vexant. 2) Utraque nonnunquam ſimul aliis febribus ſupervenit, & 3) alba modo febribus ardentibus, modo petechiis jungitur: In quibus morbis ſanguinem ſulphureum potius & alcalinum quam acidum eſſe e phænomenis omnibus haud temere colligitur.* (*d*) Cui ſuffragatur Hublerus: (*e*) *Theoria*, ait, *Hamiltoni, de ſucco nervoſo acida acrimonia peccante, hiſtoriæ morbi neutiquam reſpondet, quippe quæ evidenter docet, cum nulla alia febrium claſſe hanc veſicularem majorem alere affinitatem, quam cum catarrhalibus malignis, unde etiam febribus petechizantibus epidemice graſſantibus, petechiis, puſtulas miliares interſperſas eſſe videmus, manifeſto plane documento multum cognationis utramque inter ſe mutuo febrem alere.* Si vero inter petechias & febrem miliarem vera datur affinitas, eodem jure de purpura alba prædicare fas erit, quod ſero acri ichoroſo putrilaginoſo ortum debent, quo petechias ſupra inflammationem, gangrænam ſphacelumque humorum loqui, pollicem mihi prementibus ſummis in arte viris, aſſerere potui. Atque quid tandem dicam de febre miliari puerperarum, quæ ſi easdem adflixerit, utplurimum remanſiſſe in utero quidpiam de ſecundinis aut lochiis ad putredinem inclinans Eyselius, ſuffragante perpetua experientia aſſeverat, (*f*) quare & in purpura alba indicationem naſci, ut putredo quantum poſſibile arceatur, non ſine ratione judicat. (*g*) Ipſum adeo typum hujus puerperarum febris eundem eſſe, ac febrium ab ulcere inflammato oriundarum, graphice notavit (*h*) cl. Werlhofius, qui ſine prægreſſa læſione uterina vix eam in puerperio obſervari ſcribit. Quis vero ubi ſecundinæ remanent, ubi lochia fuere cohibita, ubi utero

(*d*) Diſſ. de morbo miliari §. 14. (*e*) Diſſ. quæ obſervationes practicas circa febrem veſicularem comprehendit. (*f*) diſſ. de purpura. theſ. 10. & 12. (*g*) theſ. 12. (*h*) obſ. de febr. p. 292. in notis.

utero violenta læſio illata, ubi in eo ulcus inflammatum reſidet, aliquam ſimul ſubeſſe acidam lymphæ vappiditatem facile aſſeveraret? Unum adhuc neceſſario proferre in medium debeo momentum practicum, quod valde acido pro cauſſæ purpuræ albæ venditato adverſatur. Habetur ſcilicet in actis phyſico-medicis Nat. Curioſ. cl. Fuchsii Medici Gothani *de ſphacelo uteri frequentiſſima mortis puerperarum cauſſa* obſervatio, (*i*) in qua inter alia lectu digniſſima vir celeberrimus, purpuram inflammationi uteri ſupervenientem nunquam ſalutarem eſſe, ſed (quod bene attendi velim) a putredinoſa humorum reſolutione natales ſuos ducere, affirmat. Dignum ſimul eſt notatu, ibidem laudatum topicum remedium, cataplaſma ad gangrænam præcavendam ex farina rad. conſolid. maj. alth. & ſigill. ſalam. cum lixivio fortiſſimo cocta, abdomini calide & humide impigro labore, ſæpius applicandum; quod & ad uteri morbum & ad purpuram inde exortam egregie valere, ſummeque utile deprehendi, nec hanc repellere, ex multorum annorum repetita experientia ſe didiciſſe auctor clariſſimus teſtatur. Atque hoc ipſum cataplaſma antigangrænoſum in duabus puerperis, prægreſſo laborioſo partu ac avulſa violenter ſecundina, ſuppreſſionem lochiorum, graviſſimamque uterinam inflammationem inter peſſima ſymptomata expertis, purpuraque ſimul alba laborantibus, toti abdomini tepide, frequenter, & continuo admotum magnæ ſtatim copiæ lochiorum purulentorum fluxum revocaſſe, ac utrasque feliciter per ſquamulas decedente purpura ſanitati exoptatæ reddidiſſe eximius Werlhofius annotavit. (*k*) Iterum autem ex his omnibus clariſſime apparare arbitror, ſphaceli in utero metuendi, humorum in putredinoſam diſſolutionem tendentium, remedii ad gangrænam, æque ac purpuram utiliſſimi deprehenſi, lochiorum purulentorum redeuntium ideas, omne vitium lymphæ acidum excludere, neque ulla ratione pati, ut hujus acori culpa febris veſicularis deferatur. Quod dein extiſpicia febri miliari demortuorum attinet, neutiquam illa patrocinari hypotheſi de acido pro cauſſa morbi perperam ſuppoſito crediderim. Annotavit Hamilton in cadaveribus his ſanguinem in vaſis quibusdam inve-

(*i*) Vol. II. obſ. 146. (*k*) in commerc. Nor. 1733. hebd. 38.

inveniri coagulatum, grumoſum, obſcurum, nigricantem, in aliis vero partibus ſeroſum, adeoque diſſolutum, ut & ipſa vaſa ſanguinea vere palleant. (*l*) Neque alii deſunt, qui rem ita omnino ſeſe habere, inque ipſis thalamis cordis ac vaſis majoribus grumos ſanguineos deprehenſos fuiſſe, aliis interim canalibus ſeroſis tenuioribusque liquidis repletis, teſtantur. Vix vero ab his phænomenis valet ad acidum argumentatio, dum ea nil aliud probant, quam prægreſſam ſanguinis antea moti quietem, ſeceſſionem ſeri a grumo, grumique ipſius ſucceſſivam reſolutionem in liquamen tenue, ichoroſum, acre, quæ omnia ſanguini omni extra motum conſtituto, in calore determinatorum graduum, ex naturali ſua indole ita accidunt. Nimis confutatam credo præcipitem aſſertionem, ſanguinem acidis ſine diſcrimine omnibus coagulari, cum ea culpa ſaltem in acida mineralia cadat, quæ ſupponere non adeo licet in humano corpore. Non ergo ſanguinis coagula illa, quæ culter anatomicus in febre veſiculari demortuis detegit, ab acido deduci debent, licet forte ægris antea acida vegetabilia & fermentata valde in deliciis fuerint, quæ ſola inter ingeſta, excluſis omnibus mineralibus, locum habent. Prorſus adſtipulatur meis aſſertis laudatus antea HÜBLERUS: *Sectiones*, inquiens, *cadaverum inſtitutæ probant quidem nimiam ſanguinis ſeroſitatem vappidam, non æque vero ſuppoſitam ſanguinis & ſucci nervoſi acrimoniam acidam. Nec obſtat, in vaſis ſanguineis majoribus ipſisque cordis ventriculis eorum, qui purpura alba mortui ſunt, ingentes ſanguinis grumos eſſe repertos. Hi enim non de acido ſanguinem coagulante teſtantur, ſed, eundem extra motum vitalem conſtitutum in coagulum tandem abire, evidenter tantum evincunt.* (*m*) Bene novi, & HAMILTONUM & alios acida remedia pro noxiis declarare, minusque congruis in hac miliari febre. Notat autem modo adductus auctor, ſe non ſine ſucceſſu ſyrupi de acetoſitate citri, mixtura ſimplici, ſpiritu nitri dulcis, aliisque talibus ſua in praxi fuiſſe uſum, (*n*) quæ omnia etiam & GERICKIO, (*o*) SALTZMANNO (*p*) aliisque commendari video. Omnia itaque dicta hacte-

(*l*) de febre miliari cap. de cauſſis internis. (*m*) diſſ. cit. ſub GOELICKII præſidio habita §. XI. (*n*) loc. cit. (*o*) diſſ. de morb. miliar. §. 29. (*p*) diſſ. de purp. mil. §. 30.

hactenus ſi curatius, ſineque præjudicio aliquis æſtimaverit, ruere omnino theoriam purpuræ albæ acidam, atque cum ea ſimul cadere uſum terreſtrium ant-acidorum facile animadvertet. Neque moror ego tranſpirationis ſucceſſum, quam urgent alii terreis pulveribus in purpuræ curatione indulgentes, quos inter aliquoties allegatus HUBLERUS medicamenta teſtacea non quidem ob [acidum deſtruendum, ut vult HAMILTON, locum habere contendit, ſed quod diaphoreſeos hic tantopere utilis & neceſſariæ negotium juvent, atque promoveant. Docui ſatis peculiari capite, quam inepta ſint pro hoc fine impetrando vel ſummis doſibus exhibita terreſtria omnia. Interim ſi convenire videantur purpuræ otioſa remedia, pulveres ex conchis, lap. cancr. matr. perl. &c. *ſine quibus*, uti ludit GERICKIUS (q) *hodie eſſe nolunt multi*, mallem eos relinquere Medicis, ob ignorantiam notionis genuinæ exanthematum, de expulſione peregrini miasmatis perpetuo confabulantibus; quam indulgere uſui alexipharmacarum eſſentiarum, quibus illi miſere ſæpe abutuntur. Quicunque interim purpuram *rubram* vere teſtari de diatheſi ſanguinis inflammatoria; *albam* de ſanguine, (prægreſſa ſtagnatione aut inflammatione) ſerum ob ſtagnationem corruptum e ſinu ſuo dimittente, itemque de ſero in tabum ulceroſum putrilaginoſum colliqueſcente vana eſſe omnia talia expectationis remedia, longeque alia indicari, ultro agnoſcet.

CAPUT XXI.

Contra inconditum uſum pulverulentorum terreſtrium in febribus intermittentibus & catarrhis declamat.

DUm de febribus continuis acutisque pluribus hucusque tractavi, nolo ſicco prorſus pede tranſire intermittentes, maxime cum & iis curandis nimis ſæpe adhiberi abſorbentia videam. Dabunt vero lectores veniam, quando & hoc argumentum, & reliqua, quæ adhuc inſecutura ſunt, urgente indies manuſcripti operis finem & — Terreorum uſus frequens in his febribus.

(q) Diſſ. de morb. mil. §. 21.

& Bibliopola & Typotheta, ea brevibus ſaltem tetigero, quæ exaſciare & perficere magis debuiſſem. Notum omnibus eſt, vix ullum in febribus intermitttentibus præſcribi a modernis practicis pulverem ſalinum, cui abſorbentia non forent intermiſta, atque eousque haud pauci quibusdam ſeorſim terreſtribus favent, ut ſpecificorum antifebrilium honores ea jure ſuo tueri arbitrentur. Equidem de omnibus in genere terreis dixerat ETTMULLERUS, quod intermittentibus conveniant, quando ita ſcripſit: *Lapilli cancrorum, qui ſale volatili temperato turgent, aut corallia, mater perlarum aliaque concreta terrea, raro in febribus intermittentibus fallunt.* (*r*) At vero ſingulari privilegio conchas præparatas gaudere credet quivis, qui eas laudari ſpeciatim a tot claris viris, raroque ad hunc diem omitti a plerisque Practicis, quando cum intermittentibus res eſt, obſervaverit. Saltem conchas in febribus omnibus cum notabili effectu adhiberi aſſerit HOFFMANNUS in clave, (*s*) virtutemque antifebrilem cum aliis multis illis adſcribere non dubitavit LUDOVICI. (*t*) Nolo prolixius recenſere ſpecifica illa antifebrilia, quæ ex terreis calcinatione parantur, calcisque vivæ ingenium ita obtinuere; quæ inter *ſpecificum antifebrile Corallianum* ex teſtis oblongis cochlearum calcinatis & *Strobelbergerianum* ex matre perlarum calcinata paratum, præcipue referri debent. Non abludunt ab his margaritæ in calcem redactæ, quas ſpecificum eſſe in quartana, & ſibi & Medicis Orientalibus per experientiam conſtitiſſe enarrat HERRMANNUS; (*u*) neque opus eſt, ut pretioſum adeo ſpecificum antifebrile citatis haud ſuperius, ex iis calcinando præparetur. Neſcio quoque, quæ ſingularis virtus cranio humano igne aperto vel in crucibulo calcinato præ aliis terreis ita tractatis inſit, quod tanquam egregium antifebrile laudatum video in *Miſc. Nat. Curioſ.* (*x*) Sane ſi calces antifebriles ſunt, Strobelbergeriana & Crolliana ſufficit, neque aliis opus. Harum vero & his ſimilium, ut & aliorum terreorum inſipidorum vires in curatione febrium intermittentium, ut rite dijudicemus, opus omnino erit, ut paucis de illarum theoria vera cogitemus. Abſit, ut omnes antiquiorum recentiorumque hypo-

Theoria Intermittentium.

(*r*) Tom. II, p. 269. (*s*) p. 699. (*t*) in Pharmac. p. 150. (*u*) Cynoſ. mat. med. Part. II. p. 31. (*x*) Dec. III, An. 2. Obſ. 79.

hypotheſes, quibus ſpiſſum volumen facile implerem, compilare ſuſcipiam. Abſit veterum bilis intemperata in ventre infimo extra venas nidulata, ibidemque putreſcens; abſit eorum ſuccus melancholicus extra vaſa in putredinem abiens, cum omni præconceptarum ſententiarum recentiori ævo defenſarum apparatu. Omnium certe veriſſima, in ſterili ſane & multis difficultatibus ſepto argumento, protulit, primus medicinæ mechanicæ ſtator, Laurentius Bellini, qui febris intermittentis originem a ſanguinis lentore, me judice, rectiſſime, deduxit. (y) Adeo vero hujus aſſertum veritati conſonum eſt, ut ii etiam, quibus quammaxime mechanica in arte ratiocinia diſplicent, quique, Stahlio auctore, otioſa naturæ allegatione obſcurum per æque obſcurum toties explicant, tamen pro cauſſa materiali humorem viſcidum, lentum, mucidum, vel in primis viis, vel in vaſis meſaraicis, vel alrius in viſceribus hærentem, aſſumere haud dubitaverint. Dum autem hi, motus febriles a principio quodam vitali ſuſcipi ob lentam & viſcidam materiam, gratis aſſerunt; alii, qui ſtructuram corporis mechanicam legesque motuumque in ſolo corpore reperiundas fundamentum ſuarum demonſtrationum aſſumunt, rectius ab ipſa viſcida & lenta materia febriles motus ſuſcitari probant. Hac via incedentem videas celeb. Freindium, qui a lentore ſanguinis & intermittentium ortum, & paroxyſmi decurſum, ejusque ſtatis temporibus reditum egregie deducere laborat. (z) Tota dein theoria intermittentium celeb. Boerhaavii his principiis ſuperſtruitur, quem viſcoſitate liquidi arterioſi ſuperveniente, poſtea cauſſa quacunque velocioris & fortioris contractionis cordis atque reſolutionis ejus, quod ſtagma ferat, accuſare, ex inſpectu aureorum ipſius aphoriſmorum patet. (*) Hujus ſummi Medici an diſcipulus extiterit, qui explanationem aphoriſmorum medicinæ ſtaticæ Sanctorianæ nitide ſcripſit, cl. Noguez, ego quidem ignoro, ſaltem explicatio aphoriſmi: *In febribus intermittentibus cur perſpiratio inſenſibilis prohibetur? quia humor peccans eſt in ambitu corporis*, (a) exacte Boerhaavianis principiis accommodata viſitur, itaque comparata eſt, ut clariorem febris intermittentis, omniumque ſymptomatum concomitantium

LI   ætio-

(y) Tractatu de febribus. (z) in Emmenol. cap. 7. (*) aph. 755. (a) Sect. I. aph. 95.

ætiologiam nullibi lectam recorder. Laudat vir clariſſimus merito SANCTORIUM, quod carens phyſica & anatome, nihilominus veram dudum genuinamque indicaverit intermittentium cauſſam, ſuppoſitoque humore craſſo, vel omnino ſtagnante, vel lentiſſime moto in capillaribus, & frigoris febrilis originem & calorem ſubſequentem, & ad unum omnia ſymptomata ea dexteritate inde elicit, ut neminem ſine eximia voluptate lecturum ſpondeam, quæ ego ſumma delectatione lecta ſæpius relegi. Favet omnino huic de febrium intermittentium ingenio pronunciatæ ſententiæ communis obſervatio, tertianas ciborum viſcidorum, ſolutionique in ventriculo ægre auſcultantium ingluviem, ac cohibitam perſpirationem fere ſemper præcedere; Quartanarum radicem, conſentientibus Medicis omnibus, pendere a viſcidis denſisque humoribus alveos viſcerum imi ventris obſtruentibus, ac tempeſtatis autumnalis inclementia Sanctorianum perſpirabile reprimente. Igitur a lentore humorum maxime capillaria vaſa infarciente optime theoriam intermittentium deduci res ipſa dictat, licet illi interdum accedere adhuc poſſe ſtimulantem acrimoniam nullus negem, ad unam omnes febres a ſtimulo & reſiſtentia jure repeti, pulchre gnarus.

§. 2.

Praxis intermittentium. Atque eapropter indicationes ſequentes ſolas valere in curatione intermittentium hactenus credidi:

1. Ut fomes lentoris, cruditates viſcidæ in primis digeſtionis officinis ſtabulantes ejiciantur.
2. Ut lentor ſanguini jam inductus, vel mobilior adhuc, vel viſceribus pertinacius impactus, ſolvatur, & attenuetur.
3. Ut vaſa omnia corporis, a majoribus ad minutiſſima usque, motibus febrilibus valde debilitata, eaque propter lentori humorum ſuſtentando, febrique adeo ipſi alendæ faventia, roborentur.

Ergo tandem patet accuratiſſime, quæ remedia pro antifebrilibus haberi debeant; quibus finibus cogantur inſervire, ſi vere illud elogium tueri poſſe cenſenda ſint. Jam vero ſi omnia illa pharmaca attentius contueamur, quæ a longiſſimo tempore a Medicis peritis pro antifebrilibus fuere declarata, quæque, accedente teſte experien-

tia,

tia, vere facere ad ſanationem earundem obſervantur, miſſis iis, quæ vel per vomitum vel per alvi ſeceſſum primas vias canalemque inteſtinorum repurgant, univerſa, vel lentorum ſolvendo, vel fibras roborando, agere deprehendemus. Quid amabo prodeſſent febre decumbenti famoſa illa ſalia antifebrilia, abſynthii, cardui benedicti, centaur. min. nil inter ſe diverſa; tartarus vitriolatus, arcanum duplicat. nitr. antimoniat. ſal ammoniac. ſal polychr. & alia ſalina omnia, niſi villos vaſorum exſtimularent, ut in adhæreſcentem lentorem agerent fortius, eandemque moverent, ac excuterent. Quæ ratio? cur plantæ radiceſque acres, amaræ, gentiana, abſynth. card. ben. cent. min. trifol. fibrin. &c. habeantur antifebriles, non ſane alia, quam quod illæ omnes ſua ſaponacea & ſtimulante virtute viſcidum ſolvant. Neque hercle! aliter, ſi quid video, agit febrifugum illud magnum, laudatiſſimus cortex peruvianus, quam dividendo & attenuando amaricante ſuo ingenio lentorem, & ſtringente potentia roborando dejectum partium tonum. Cum igitur nullam in terreis abſorbentibus videam virtutem ſolventem incidentemque; cum nulla roborans virtus ipſis jure adſignari valeat, nullam etiam ipſis eſſe energiam antifebrilem, prona conſequentia aſſerere licebit. Nil certe novi aliud, quod illorum uſum poſceret, aut permitteret in intermittentibus, quam acidum ſimul præſens in ventriculo; interim, febrem per ſe ac directe indicare abſorbentia, nego atque pernego; & hujus acidi ſolius reſpectu ſcripſiſſe credo amiciſſimum meum WERLHOFIUM in elegantiſſimis ſuis obſervationibus de febribus: *Laude ſua haud indigna ſunt, ſed regulis de uſu & abuſu per quam obnoxia abſorbentia & terrea varia.* (b) Atque ſi regulæ inſuper habeantur, ſi ſine diſcrimine ſive acidum vere adfuerit in primis officinis, ſive minus, nihilominus magnis & repetitis doſibus conchæ illæ ſecundum hypotheſin plerorumque antifebriles cum aliis otioſis terreis exhibeantur, peſſima mala inde oboriri debere, & ſana ratio dictat, & rerum eventus loquitur. Recte inquit cl. JUNCKERUS: *Abſorbentia, ſive cum aliis, ſive ſolitarie ingeſta, lentorem materiæ febrilis augent, ita ut facile typum quartanæ in lentum vel ſubcontinuum transmutent,* (c) *febresque inter-*

(b) pag. 45. (c) Tab. LXXX. pag. 662.

intermittentes eorum uſu corrumpi alio loco diſerte aſſerit. Neque minus illuſtr. HOFFMANNUS, de benignorum remediorum uſu & abuſu (*d*) agens, præcipitantia in intermittentibus & quartana præcipue noxia habenda eſſe declarat. Parum ergo virtutis, vel nullam penitus ineſſe terreis abſorbentibus largietur is, qui ingenium febris intermittentis noverit, ſuisque præſtabilitis diu formulis antifebrilibus piger non inhæſerit. Valde miror, haud defuiſſe inter Medicos, qui, ante paroxyſmum conducere terrea data, perſuadere legentibus auſi ſunt. Certe, ſi conſideraverimus paulo curatius phyſicam ipſius febris indolem, nulla alia ratione fore poſſibile perſpiciemus, ut ingruens febris avertatur, quam ſi vel motus conſopiatur, vel lentor jamjam colligi ſtagnare incipiens in capillaribus ſudore elicito tempeſtive excutiatur, vel utrumque ſimul præſtetur. Uterque hic curationis modus vetuſtiſſimo jam tempore obtinuit, quod enim motuum conſopitionem ſpectat, uſum anodynorum peritum & tempeſtivum in curandis febribus intermittentibus antiquiſſimis Medicis familiarem extitiſſe, vel ſola oſtendit diſſertatio doctiſſima cl. SCHULTZII *de febrium intermittentium curationibus antiquis*. Neque ignoratur noſtra ætate celebratiſſimas eo fine fuiſſe pilulas Wildeganſianas, quas JUNCKERUS adeo, licet parum opio favens, collaudare non dubitavit. (*e*) Ipſeque ego febrem tertianam cum ſpasmis horrendis affligentem theriacæ cœleſtis ante paroxyſmum, & poſt eum corticis uſu profligatam; Pertinaciſſimamque quartanam, nec ipſi cortici doſi larga juſto tempore ex artis regulis exhibito auſcultantem, ſæpius dato ante invaſionem diaſcordio Fracaſt. pulchre perſanatam recordor; Qui aliter etiam, ſi opus eſſe viſum fuerit, conſilium PITCARNII, corticem quovis tempore citius ac perfectius debellari febrem, aſſerentis, ſi laudanum medicamento febrifugo admiſceatur, ſequi ſoleo. Hanc autem virtutem inhibendi motuum febrilium ingreſſum terrea etiam exercere poſſe, ſi vel ut antiſpaſtica conſiderentur, vix aliquem ſibi perſuaderi paſſurum crediderim. Reſtat vero altera methodus per ſudorem ante paroxyſmum elicitum febrem fugans. Cui inter recen-

(*d*) diſſ. nimirum de benignorum remediorum abuſu §. 18. (*e*) in conſpect. Tab. LXXIX. pag. 652.

centiſſimos Illuſtr. BOERHAAVIUM multum tribuere conſtat. Atque & illa antiquarum Medentum molimina videtur imitari, quos in externis remediis poros aperientibus cutimque relaxantibus adhibendis valde operoſos fuiſſe evoluta ipſorum monumenta probant. Pulchre interdum ſuccedere vidi uſum ſudoriferi illius antipyrectici raro fallentis, a BOERHAAVIO laudati; neque ſemper fefellit, licet bis fruſtra tentata methodus viri clariſſimi, quam in chemia docuit, (*f*) quaque tertianas fere ſemper tuto & commode ſanari, etiam in ſenili corpore, ſcribit, niſi forte ſcirrhoſi aut ſuppurati quid adfuerit. At vero, num terreo remedio ad diaphoreſin promovendam dato, ante præviſam febrem ea tolli queat, valde dubito, ſaltem diaphoreticam terreorum virtutem ad entia rationis referens, ea hoc fine nunquam uſurpavi. Bene novi ETTMVLLERVM lapides cancrorum, contra febres quaſcunque præmiſſo vomitu ante paroxyſmum exhibitos, pro optimis remediis declarare in quartanis etiam, cum ad illius mentem agitationem maſſæ ſanguineæ impediant, (*g*) fidem vero ut afferto adjiciam, vix a me impetro. Nec me latet, HOFFMANNVM citare conchas, hora una ante paroxyſmum in aqua Cardui benedicti ſumendas, cum ſudore injuncto. (*h*) Prorſus autem paradoxum mihi videtur, quod refert cortice ſatis uſus MORTONVS: *Sæpe granis ſeptem antimonii diaph. in vehiculo quocunque convenienti exhibitis paulo ante inſultum paroxyſmi febrem intermittentem tertianam ſimplicem & hemitritæam absque ſenſibili evacuatione humorum ſuſtuli.* (*i*) Sane ab antimonio diaph. ſi non ablutum etiam ſupponam, ſeptem granis dato ſine evacuatione febrem curari poſſe, vix credet aliquis, qui ſudore curatam febrem vidit, atque regimen conveniens liquidorum calidorum, potum aſſiduum, ipſumque ſudorem largiſſimum requiri, ut res ex voto ſuccedat, expertus fuerit. Namque illum arte callida, dexteritateque accuratiſſima motum, appropinquante ſtato paroxyſmi tempore, non ſine tædio, doloreque fruſtra impenſæ operæ, evaneſcentem vidi. Qui igitur ab inſipido terreo ſudor febrem fugaturus excitari, protrahique ad tempus

 poſſit,

(*f*) Part. II. pag. 140. 141. (*g*) Oper. pag. 692. (*h*) in clave pag. 699. (*i*) Tom. II. oper. exercit. I. cap. 6.

poſſit, aut quomodo nucaciſſimum antimonium diaphoreticum lentorem certo præſentem in capillaribus ſine evacuatione qualitate occulta queat diſſolvere, non intelligo. Majores omnino vires his finibus ſervientes, Calcinatis terreis, ut ſpecifico Strobelbergeriano & Crolliano ineſſe largior, quæ utraque eapropter laudari novi. De ſpecifico quippe antifebrili Crollii SCHROEDERUS auctor eſt, quod ſudorem ſat largiter cieat, adeoque, inſtante paroxyſmo tertiano exhibitum, febres ſolvat. (*k*) Attamen licet in hoc remedio, æque ac in calce viva, ſit virtus ſtimulans impellensque liquida, quæ juncta aliis, juſtoque regimine adjuta ſudorem queat promovere, tamen, quia ipſe ETTMULLERUS, (*l*) & alii multi, ut ſupra cap. I. jam docui, recte urgent, inſecurum eſſe talium calcinatorum acrium uſum, nollem iis uti, ſed, ſi fugare etiam febrem ſudore eſſet animus, ſecuriora, certiora eligere mallem. Omnia interim, ut practicis nimis notum eſt, remedia, ſæpe ſæpius eludit protervia febrium, niſi cortex in uſum vocetur, qui ſolus laudari meretur ſpecificum, cui præ reliquis omnibus obedientiam præſtat. Rejiciant divinum remedium, quicunque volent; calumnientur uſum illius minus experti; negligant cunctatores otioſi, morborumque ſpectatores; erit nihilominus præſidium ſummum, cui paria ſi in aliis ægritudinibus ars poſſideret, quam felices eſſemus Medici, quam bene ageretur cum miſeris ægrotantibus! Adeant, qui adhuc ſuſpenſa manu corticem hunc præbendum cenſent, atque inter ſpem & metum præbent, obſervationes de febribus abſolutiſſimas viri eximii Pauli Theoph. WERLHOFII. Eæ niſi lectorem Medicum a præjudicatis opinionibus liberent, nimis is immerſum ſeſe opinionum, hypotheſiumque tenebris credat; quo minus talpa oculis captus humoque affixus ſurſum circumſpicere, fulgentiſſimoque veritatis jubare moveri excitarique ſeſe patiatur.

§. 3.

Catarrhorum remedia trivialia, & Theoria.

Sequatur utcunque abſolutam de febribus intermittentibus tractationem, brevis doctrina de catarrhis. His qualis connexio intercedat cum pulveribus terreis abſorbentibusque magna mole ægris præſcribi in praxi triviali ſolitis, penitus me latere haud diffiteor.

(*k*) Lib. V. claſſ. III. (*l*) diſſ. de uſu & abuſu præcipitantium. cap. III. §. 7.

fiteor. Cum vulgo, Medicorum etiam vulgum ſuccinum præparatum unanimi conſenſu pro remedio anticatarrhali agnoſcere, atque eo fine ordinarie catarrhis laborantibus porrigere, nimis ubique notum. Monſtravi autem peculiari capite de antiſpasmodicis agente, quid ſit ſuccinum officinarum præparat., quaque ratione agat, nempe ut macra terra, non aliter. Non ergo ſuccino præparato aliqua prærogativa præ cornu cervi ſine igne, antimonio diaph. lap. cancr. bezoard. miner. & aliis communiter pro anticatarrhalibus habitis, atque in libris materiam medicinalem complectentibus fideliter pro his uſibus collaudatis. Crediderim hercle! hæc talia a plerisque Practicorum hodie uſurpari, quia mos antiquus ita fert, neque curare eos valde an proſint catarrhoſis, an prodeſſe poſſint, quodſi enim vel ulla tenerentur ſollicitudine indagandi catarrhi indolem, formandique veras ex indole cognita indicationes therapevticas, vix puto locum ullum in curatione catarrhi terreis remediis concederent, inanibusque prætextubus ſeſe paterentur decipi. Scripſit ETTMULLERUS catarrhum fieri, quando glandulæ irritarentur ad copioſiorem ſeri effuſionem, cauſſamque irritantem eſſe quidem variam, ſpeciatim tamen acidum acre, quod defluxioni catarrhali occaſionem ſubminiſtret. (*m*) Coryzam ſæpiſſime oriri ex errore externo, imprimis ex vitio aëris, aërem vero hybernum effluviis acidis acutis videri impraegnatum. (*n*) En rationem genuinam, cur catarrhus indicet ant-acida! Valde vero vereor, ut aliquis hodie ETTMULLERIANIS placitis ſubſcribat, ſerumque catarrhale vere eſſe acidum, aëremque frigidum acribus acidisque particulis refertum probet. Neque illa ætiologia melior, quæ ab antiquis jam temporibus a ſeri in catarrhis colluvie vique adſtringendi & ſiccandi terreſtrium remediorum fuit deſumpta, licet illi recentiori quoque tempeſtate inhærere nonnullos videam. Cornu cervi uſtum, notante pharmacopœia Argentoratenſi, ſiccat & adſtringit, hinc catarrhos inhibet. (*o*) Quotusquisque vero adſtrictionem vaſorum exſiccationemque luxuriantis ſeri idoneam catarrho curationem, atque ab exiguis pulvillis facile obtinendam, reputaret? Nonne rideretur, qui rapidum macro-

cro-

(*m*) Tom. II. pag. 676. (*n*) Tom. II. pag. 687. (*o*) pag. 229.

crocoſmi fluvium ſuis alveis elabentem aggeſto exiguæ molis aggere coërcere machinaretur? Nonne ridendus? qui in microcoſmo exundantis catarrhoſi fluminis ſcaturigines terreo pulvere reſiccare atque inhibere laborat? Prudentiorem fateor operam impendunt, qui tranſpiratione aucta diſſipare luxurians ſerum atque declinare a glandulis illis, per quæ ocyus exſtillat, moliuntur; at, dum fixis ſuis diapnoicis id aggrediuntur exequi, terreaque varia fruſtra pro diaphoreticis habita gratis ægris ingerenda exhibent, & hos & ſe ipſos fallunt. Mira res eſt, ea remedia, quæ vere nil agunt, eapropter, quod vere auctus quomodocunque perſpirationis ſucceſſus in ſenſus non incurrat, adeoque vere diapnoici remedii virtus & operatio ſemper lateat, callide toties dici diapnoica: Sique perſpiratione, vel remediis, vel motu corporis, vel regimine, vere aucta ceſſet catarrhus, hoc ipſum otioſis tribui terreſtribus pulveribus antea aſſumptis. (*p*) Age, ut eo melius innoteſcat, quam inepta ſint otioſa ejuscemodi diapnoica, imo vero quanta reſtrictione vel vera diaphoretica locum inveniant in ſanatione catarrhi, brevibus ejusdem genuinam indolem deſcribere aggrediar. Lepida certe veterum fuit fabula, catarrhos a frigida ventriculi & calida jecoris intemperie derivari. Stomachum quippe inter coquendum calefactum ab hepate jugiter vapores ad caput mittere, cerebrum vero eſſe natura ſua frigidum, ſeſeque habere inſtar operculi bullienti ollæ ſuperimpoſiti, alembici vice, in quem vapores adſcendant, & coquantur in aquam. Hanc vero, dum naturaliter defluere debeat, amplam & generalem ſuggerere catarrhis materiem, quæ ſi in oculos, aures, fauces, dentes depluat, ophthalmias, epiphoras, otalgias, ſi in pulmonem tuſſim, aſthmata, tabem, ſi in ſtomachum ſuæ culpæ pœnas luentem, apepſiam, cruditates vomitus orexes, cardialgias, diarrhœas &c. oboriri. Certe innumera volumina practica ineptiſſimis ejuscemodi tricis referta ſunt, atque millies humoribus a cerebro frigida intemperie laborante in alias partes depluentibus innocentiſſime innumerorum malorum culpa adſignatur. Ipſe adhuc RIVERIUS, catarrhum definit, quod ſit humo-

(*p*) Certe de his omnibus remediis dicit BOERHAAVE inſtit. 1189. quod nil agant, tum vero diaphoretica dicantur.

humoris excrementitii e capite in ſubjectas partes effluxus, ut alios ſat multos recentiorique ævo propinquiores Practicos eadem chorda oberrantes taceam. Notum vero eſt Lectoribus Helmontianorum operum, quam acriter hic auctor ſcholarum theoriam, quam de catarrho a cerebro delabente finxerant, derideat atque perſtringat. (*q*) Neque latet Medicos, quam graphice illam in vaſto de catarrhis opere confutet SCHNEIDERUS, quam docte vanitatem hujus hypotheſeos demonſtraverit LOWERUS. (*r*) Miſſis igitur præjudicatis & diu exploſis opinionibus, Schneiderique etiam deſcriptione poſthabita utpote vage nimis catarrhum ſymptoma præter naturam excretorum e maſſa ſanguinea dicentis, (*ſ*) præeunte potiſſimum cl. PITCARNIO rectius illum quem loquor affectum, *inſolitum effluxum ſeri & glandulis circa caput, & fauces* (*t*) definiam. Reſtringo effluxum ſeri catarrhoſi ad glandulas ſaltem capitis & faucium, quum Medicos modernos, ubi de catarrhis colloquuntur, vix ultra has partes limites eorum extendere norim; interim ſi aliquis diarrhœam catarrhum inteſtinorum, fluorem album catarrhum uteri, gonorrhœam ſimplicem catarrhum proſtatarum & urethræ nuncupare voluerit, me neutiquam diſſentientem, ſed facile annuentem eſt habiturus. De catarrho autem ita latius extenſo jam ſermo mihi non injicietur, ſed limites Pitcarnianos hac vice haud excedam. Tales vero capitis & faucium catarrhos ordinarie fere a perſpiratione cohibita ortum ſuum trahere, & communis obſervatio loquitur, & cum aliis Medicis LOWERUS, & PITCARNIUS notant, omnium vero optime egregius SANCTORIUS demonſtrat. Clariſſime inde ſcitur, cur Catarrhi omnium fere morborum habeantur frequentiſſimi, cum facillime in tenuioris texturæ hominibus perſpiratio ſuſpendatur, ejusque ſaluberrimus ſucceſſus plerumque flocci faciatur vel admodum negligenter obſervetur. Longe lateque eapropter autumnali vernoque tempore graſſantur inter homines catarrhi, quod atmoſphæra modo tepens modo frigida, modo humida, modo ventoſa varie tum

(*q*) in tractatu, quem inſcribit catarrhorum deliramenta. (*r*) in anatome cordis cap. VI. quod de catarrhis agit. (*ſ*) Lib. IV. Sect. I. cap. 2. (*t*) Element. libr. II. c. 8.

corticem corporis afficiat, diametroſque vaſorum cutaneorum multis vicibus immutet, adeoque mirifice perſpirationem turbet. Patent, quod experientia teſtatur, omnium maxime catarrhis & pueri & ſenes, utrique ob ſolum tranſpirationis ſucceſſum non libere jugiterque continuatum. Pueris habitus corporis laxus, rarus, ſenſibilis a levi frigore ſtringitur, recluſisque ita meatubus cutaneis perſpirabile Sanctorianum retinetur. Senibus ut canalium omnium ita & perſpirationi in cute dicatorum rigor & anguſtia, ſerum in auras exhalaturum moratur & cohibet; inde eſt, quod catarrhoſi communiter viſantur. Ecce igitur quanta ſoli perſpirationi minus recte ſuccedenti potentia in procreandis catarrhis! Nec mirum! Eſt certe inſenſibilis hæc excretio omnium in corpore humano maxima, cœterasque evacuationes omnes multum ſuperat; hac igitur minuta aut prohibita penitus neceſſario fluidorum in corpore copia augebitur. Niſi igitur ſtatim, poſtquam ſuppreſſum eſt perſpirabile ſerum inſenſibili excretione exterminandum, illud per aliud colatorium excretione vicaria ſenſibili e corpore eliminetur, id eſt, niſi lotium copioſius fluat, aut per glandulas inteſtinales largior ſecretio contingat, aderit in ſanguinis oceano major ſeri quantitas, quam quæ ſalva ſanitate ferri queat. Data vero in corpore ſeri copia juſto majori, mox ponitur diſpoſitio faciens ad geneſin catarrhi. Serum nempe nullibi magis, nullibi facilius colligitur, quam in glandulis; deinde glandulæ eo numero circa caput conſitæ viſuntur, ut inſignem ſeri quantitatem queant capere, tandemque motus ſanguinis nullibi languidior, nullibique minor reſiſtentia, quam in capite interiori ejusque glandulis circa nares, os, fauces, laryngem conſitis: hinc, rectiſſime ita ſentiente PITCARNIO, accumulato in vaſis ſero ultro copiam ſolitam, ipſius pars maxima neceſſario aliquot circulationibus accumulabitur intra caput ſeu cerebrum, cum hoc ſit viribus minimis inſtructum, quibus ſero reſiſtat, aut admiſſum expellat, adeoque videbitur cerebrum ipſum peccare, cum ſanguis & alia peccent. (*u*) Illam ipſam autem ſeri ſuperflui in glandulis collectionem, moram, ſtagnationem multum juvat lentor, ipſi, ubi retentum eſt, ſtatim induci ſolitus.

(*u*) Element. lib. II. c 8.

tus. Poſita quippe liquidorum retentorum copia juſto majori, vaſa nimis repleta gravantur, diſtenduntur, hinc, quo debiliora ſunt, eo magis eorum contractio perit, quare fluida in iis non ut decebat mota & promota ſpiſſiora redduntur, lentoremque contrahunt, atque maxime in capillaribus hærent, adeo ſæpe, ut partim ob ſtaſin viſcidioris ſeri, partim ob acrimoniam irritantem illius ſimul præſentem, accedat febris, quam catarrhalem tum Medici ſalutant. Hæc ergo vera catarrhi facies naturalibus coloribus picta, atque mutationibus in corpore humano poſt perſpirationem ſufflaminatam neceſſario evenientibus, apprime reſpondens.

§. 4.

Quæ igitur genuinæ indicationes pharmacevticæ ad ſanationem catarrhi vere inſervituræ? Sane mihi quidem omne ſanationis punctum latere videtur in eximia explicatione, quam dedit cl. Noguez ad aphoriſmum medicinæ ſtaticæ Sanctorianæ ſectionis primæ quadrageſimum tertium. *Ex imminuta perſpiratione ſequitur ſemper nimia liquidorum copia, excretione ſenſibili aliqua copioſiori tantum tollenda; Ea enim ratione ſuperfluum aufertur, atque hoc modo liquidorum copia & reſiſtentia nimia peccantium circuitus integre reſtituitur.* Paucis dicam nato ob perſpirabile ſuppreſſum catarrho nulla ſanitas, niſi corpus reducatur ad priſtinum pondus, ergo 1) moles nimia, humorum congrua excretione proritata, minuenda, 2) nixus eorum a glandulis, in quibus hæret, catarrhus revellendus. 3) Lentor obſtruens minutiſſimos canaliculos tollendus. Dixi primo de minuenda humorum mole per excretionem congruam inductam. Plurimis Medicis catarrhum curaturis, dum ipſum a perſpiratione ſuppreſſa recte deducunt, nulla magis conveniens videtur excretio, quam reſtitutio perſpirationis, hujusque auctior ſucceſſus, aut ad ſummum ſudoris expreſſio. Ita ratiocinatur vulgus C. C. uſtum & ſuccinum præpar. anatica portione emptum ſibi ipſi medicinam facturum devorans; ita ratiocinantur, ita agunt, cum pulveribus ſuis diaphoreticis fixis, non niſi nomine a vulgo recedentes Medici. Diſcant autem hi velim, excretionem periphericam congruam catarrho futuram, ſi ſerum perſpiratione exterminandum, quod repreſſum ſupponimus, manſiſſet

Catarrhorum ſanatio.

 perſpi-

perſpirabile, ſed illud jam eſt ſpiſſum & lentum, adeoque perſpirare omnino negat, quare minus congruam excretionem molitur Medicus per perſpirationem. Porro cogitent velim illi, qui diaphoreſin hic urgent, ea quæ elegantiſſime huc facientia ſcripſit PITCARNIUS: *Per ſudores nec tam cito, nec tam tuto evacuatur materia catarrhi, quippe quæ ſive ventriculi non coquentis vitio accumulata, ſive tranſpiratione impedita orta, quantumvis calida vel tenuis videatur, attamen nimis craſſa & viſcidior eſt, quam ut poſſit facile & absque periculo febris ad eam tenuitatem reduci, quæ vaſculis ſudoriferis permeandis ſufficit & requiritur. Inſuper experientia quotidiana docet Practicos, difficulter in ſudorem reduci eos, qui catarrho gravi laborant.* Quando autem nihilominus, orto per ſuppreſſam perſpirationem catarrho, excretionem moliri opus eſt, aliud colatorium, ſero lenteſcenti evacuando magis par, quam cutis cribrum, eligendum eſſe facile ſequitur. Cum igitur etiamſi cohibita fuerit perſpiratio, non tamen coortus fuiſſet catarrhus, ſi ſaltem mox fluxiſſet alvus, aut uberiori quantitate redditum fuiſſet lotium; porro cum glandulæ inteſtinales & renum vaſa ſerum mora ſpiſſius lentumque redditum facilius transmittant ad vaſa cutanea, nulla etiam judicabitur, nato jam catarrho, ad molem humorum lentorum minuendam excretio convenientior, quam vel renalis, vel alvina. Atque in hoc ipſo aſſerto mecum conſentientem habeo PITCARNIUM, qui purgationem fortem aliis remediis eſſe præferendam ultero aſſeverat, (*x*) pariterque mecum facit cl. LOWERUS: *Si propter ſeri abundantiam*, inquiens, *catarrhus pertinax & moleſtus fuerit, nihil præſtantius, quam ut, præmiſſis catarcticis per alvum ducentibus, deinde exhibitis diureticis, ſerum ſanguinis per renes propellatur, quippe qui in omni catarrho ob ſeri in partes ſuperiores metaſtaſin illud ſolito modo non ſecernunt.* (*y*) Auſim vero aſſerere, ſola catharſi, ſola diureſi concitata omnibus tribus indicationibus ſimul proſpici, quas ſolas ſupra facere ad catarrhi therapiam edixi. Namque ita moles humorum minuitur, deinde illorum a ventre ſuperiori revulſio impetratur, tandem minuta mole libertas actioni vaſorum reſtituitur, ut lentorem liquidis inhærentem diſſolvat &

(*x*) loc. cit. (*y*) loc. cit.

& attenuet. Nullis autem diaphoreticis opus, aut, ſi ea adhibere animus eſt non citius erunt adhibenda, quam ubi præmiſſa fuerit liberalior catharſis aut diureſis, id eſt, quando minuta jam humorum quantitate lentor eousque attenuari ſeſe patitur, ut liquida iterum reddantur perſpirabilia, quod ante molem minutam non erat poſſibile. Ea vero tum diaphoretica maxime erunt eligenda, quæ actionem vaſorum pauliſper excitant, circulumque aliquantulum accelerant, quæ humores lentos ſolvunt, quæ cutanea vaſa laxant. Igitur infuſa radicum plantarumque pauliſper acrium tepidi haurienda, quia hæc omnes has dotes continent, reliquis omnibus diaphoreticis erunt præferenda. Abſint autem macra terreſtria nulli horum finium, tamen quammaxime requiſitorum, reſpondentia! quæ diaphoreticorum elogium nec his in caſibus nec ulla alia ratione tuentur, atque proinde inter deliramenta catarrhorum ab Helmontio caſtrigata pertinent. De catarrhi pertinaciſſimi remediis fontanellis, veſicatoriis & ſetaceis nil dicam, neque, ut de robore glandulis affectis reddendo fuſius diſſeram, meum jam inſtitutum patitur, quod ipſum, ubi diutius malum duraverit, obſervaſſe in curatione non pœnitebit.

CAPVT XXII.

Arthritidis & Rhevmatiſmi medelam fruſtra terreis committi probat.

§. I.

NOn viderer mihi cucurriſſe per totum ſtadium, quod ſemel eram ingreſſus, ſi arthriticos & rhevmaticos dolores haud attingerem, quare in eo ſum, ut paucis de illis exponam. Nullam opinor veritati vim illaturus ſim, quando ingenue profeſſus fuero, immenſum terreorum apparatum quotannis abſumi adhunc diem a practicis, in therapia & curatione palliativa horum morborum occupatis; multumque boni illos ab uſu horum medicaminum communiter ſibi promittere. Cryſtallum montanam atterere calculum totius corporis, eaquepropter prodeſſe etiam podagricis

Terrea ex falſa pathologia ſuppoſita perperam arthritidi dicantur.

aſſeruerat SCHROEDERUS, (z) atque hoc ipſum de verbo ad verbum in clavem ſuam tranſtulit HOFFMANNUS. (a) De coralliis rubris JUNCKERUS auctor eſt, *non negari poſſe ea ob craſin terream multum valere in abſorbendo, ac tonum languentem nonnihil reſtaurando, aptaque eapropter ea & ſalubria eſſe ægris ſpaſtico artuum dolore correptis.* (b) Paſſim deinde bezoardica & diaphoretica fixa collaudare & præſcribere videas MOELLENBROCCIUM, in tractatu de variis & arthritide vaga ſcorbutica. Variosque variorum auctorum pulveres compoſitos contra arthritidem paſſim exſtare, nemo practicorum ignorat. Inter illos ingentem hinc inde ſtrepitum edidit *pulvis arthriticus Wepferi*, præter ſal ſuccini, oleumque nucis moſchatæ & lumbricos mera terrea C. C. philoſ. præpar. cryſtall. mont. lap. cancr. matr. perl. & ungul. alc. præp. continens; quem pulverem, quod valde miror, cl. LENTILIUS efficaciorem fieri judicat, ſi ad ſcrupulos duos addatur antimonii diaphoretici ſcrupulus dimidius, & ſi ſimul adſint convulſiones ad ſingulas doſes granum unum cinnabaris nativæ. (c) Nil prodeſt ire per omnes libros, qui in certas claſſes ſecundum vires ſuas, quas exerunt, digeſta remedia exhibent. Sane in ſyllabo materiæ medicæ ſelectioris Wedeliano inter arthritica remedia fideliter bezoardicum martiale, oſſa humana calcinata, lapides cancrorum referuntur. Ac in recentiſſima materia medica a cl. TEICHMEYRO edita, quod de antarthriticis tractat caput, C. C. uſt. lap. cancr. antim. mart. bezoard. miner. magneſiam albam, pulv. bez. Wedel. pulverem Marchionis illorum ordini adſcribit. Valde miror, JANCKIUM inſignem terreorum fautorem in ſuorum anthartriticorum catalogum nulla alia præterquam magneſiam & ſuccinum alb. præpar. retuliſſe. Nolo autem plura hac de re proferre in medium, cum ſatis certum, atque ad praxin trivialem attendentibus nimis notum ſit, neotericorum plurimos in arthritide & rheumatiſmo multum tribuere terreis, ad quorum opera in omnium manibus exſtantia provocaſſe ſufficiat. Miſerrimi vero hujus præjudicii originem non aliunde poſſe repeti, quam a ſola acidi peccantis inculpatione, curatius paulisper attendentibus ultro innoteſcit. *Quis ille humor in podagra tam*

(z) Libr. III. c. 7. (a) p. 178. (b) therap. gen. Tab. XV. p. 426. (c) in Eteodr. p. 812.

tam immani dolore moleſtus? clamat HELLMONTIUS! *Ego quidem*, reſpondet, *alibi probavi eſſe acidum, quo acidior, eo atrocior dolor & calor.* (*d*) Porro *ſynovia*, inquit, *ſemel acore infecta, partes ejus aqueæ difflantur, reſiduum autem ſenſim areſcit in ultimam tophi ſiccitatem & duritiem.* (*e*) *Quicquid ſubtilem aciditatem in ſpiritu vitali principiat, maturat, auget, aut promovet, illud etiam podagræ acceſſum ſtimulat, ut vina acidula parum vini multum aceti continentia.* (*f*) Helmontianæ hypotheſi prorſus reſpondet SYLVII ſententia, qui humorem acrem acidum pro cauſſa arthritidis declarat, ejusque geneſin in pancreate ponit. (*g*) Cum quo iterum facit TACHENIUS (*h*) in eo ſaltem differens, quod ex ventriculo fomitem arthritidis acidum derivet. Ne latum unguem ab HELMONTIO, SYLVIO, TACHENIO recedit ETTMULLERUS, quando hunc optime acidum volatile ſpirituoſum ſui generis accuſaſſe libere profitetur. (*i*) ipſamque adeo podagram hæreditariam ab odore acido podagrico cum ſpiritu influo genitali fœtui communicato derivat. (*k*) Quæ igitur ex hac theoria ſuppoſita praxis fluat facile licet colligere. Brevibus methodum Ettmüllerianam videamus: *In artuum doloribus*, ait, *cum acidum peccet interne, ante omnia obſervandum eſt, ut deſtruatur vel per fixa abſorbentia anodynis miſta, partim per ſudorifera, ut animalium partes duras, ſalia volatilia alcalina.* (*l*) *Ingruente podagra vomitus & abſorbentia ex lap. cancr. oſteocolla, & ſale tartari conveniunt; nam acidum ejus oritur in ſtomacho, vel purgantia miſtis acidum temperantibus, v. gr. oſſibus calcinatis danda.* (*m*) Quin & prophylactico ſcopo cancr. lapides bibacibus arthritidi obnoxiis optime conducere per diureſin acidum vini evacuando ETTMULLERUS aſſeverat. (*n*) Atque, ne hanc de acido cauſſa univerſali athritidem excludente opinionem hodie exploſam aliquis putet, poſt Cloptonem HAVERS, humorem peccantem in morbo hoc articulari communiter eſſe acidum aſſerentem, (*o*) allegandus mihi adhuc venit cl. TEICMEYERUS; Is nempe, in doctiſſima de arthri-

tide

(*d*) in tract. ſcholarum humoriſtarum deceptio Oper. p. 115. (*e*) de lithiaſi c. 3. (*f*) in tract. Volupe viventium morbus. Oper. p. 242. (*g*) tract. de arthritide. (*h*) Vid. ejus tract. de morborum principe & Hippocr. chym. c. 15. (*i*) Oper. Tom. II. p. 775. (*k*) ibid. (*l*) loc. cit. (*m*) ibid. p. 777. (*n*) in colleg. pharm. in Schrœd. p. 692. (*o*) Oſteolog. novæ cap. de arthrit.

tide diſſertatione, primario acidum auſterum in eadem peccare ſtatuit, (*p*) omnesque partes animalium duras, C. C. dentem apri, hippopot. mandib. luc. unicornu, cornu rhinocer. ung. alc. lap. manat. lap. cancr. percar. carpion. matr. perl. conchas, perlas, chelas cancr. in cura arthritidis locum invenire, quoniam in ſe continent terram ſubtilem abſorbentem ant-acidam, affirmat. (*q*)

§. 2.

Pathologia & Therapia arthritidis vera.

Licet vero, hanc clariſſimorum virorum theoriam de arthritide prorſus rejiciendam eſſe, nullus afferam, tamen eam, ſi rite conſideretur, nimis mancam haberi, morbique ingenium neutiquam exhaurire certiſſimum eſt, quod ipſum conſiderato eodem accuratius clariſſime animadvertemus. Subjectum omnis ægritudinis conſtituere articulos partesque omnes circa articulos locatas, in quas ſenſatio cadit, nominatimque (prout ordine elegantiſſime recenſentur a TEICHMEYERO (*r*)) perioſtia, perichondria, ligamenta tendines, vaginulas tendinum, tendinum aponevroſes, glandulas mucilaginoſas, nemo opinor facile ambigit. Cum vero omnis dolor involvat intentatam ſolutionem continui, arthritidem etiam ceu affectum ſumme doloroſum illam involvere, ſeu tenſionem fibrarum vaſorumque ſummam cum metu rupturæ, imo vero ad ipſam usque rupturam ſæpe evectam ſupponere, per ſe clarum eſt. Hanc vero tenſionem, ubi arthritis adeſt, non in vaſis fibrillisque perioſtiorum, perichondriorum, ligamentorum &c. minoribus, ſed in minutiſſimis, & omnium ultimis, id eſt, nervis, proprie ponendum eſſe, omnia ſuadent, quod ipſum nemo rectius explicavit, urſitque illuſtri BOERHAAVIO. Quoniam autem in vaſculis his ultimis nervoſis nulla concipi poteſt tenſio, quamdiu liquidorum ipſis propriorum liber datur & jugis tranſitus, neceſſario in arthritide ponendam fore liquidorum in vaſculis ultimis ſtagnationem, clariſſime me judice innoteſcit. Quomodocunque vero circumſpicio, nullos alios modos video, per quos hæc ſtagnatio ſit poſſibilis, præterquam ſequentes, 1) ſi liquidum per ultimum vaſculum movendum ſit tam ſpiſſum, ut permeare illud neget. 2) Si liquidum trajiciendum adeo ſit acre acutumque, ut parietibus vaſculi hæreat

(*p*) §. 16. (*q*) §. 33. diſſert. cit. (*r*) diſſ. cit. §. 6.

hæreat impactum. 3) Si vaſculum ſit adeo laxum & debile, ut ſui liquidi omnimodam quietem facillime patiatur. 4) Si vaſculum ſit adeo rigidum, eapropter adeo anguſtum, ut ſui liquidi naturali etiam fluore gaudentis tranſitum tamen haud permittat. Atque in his momentis verſantur certe proximiores cauſſæ arthritidis cujuscunque, omnesque remotiores, quæ huic morbo occaſionem ſubminiſtrare experientia teſte obſervantur, eo tandem tendunt, ut in vaſis corporis humani ultimis minutiſſimis, vel in humoribus ultimæ elaborationis eas conditiones excludant, quas proxime facere ad geneſin ipſius morbi modo animadverti. Atque ſi per analogiam ratiocinari licet, idem illud, quod eſt inflammatio ſanguinea in vaſis primi generis, ſine dubio arthritis eſt in vaſis ultimi generis, quam adeo tanquam inflammationem nervoſam ſeu ſpirituoſam concipere optimo puto jure licebit. Utraque inflammatio ſanguinea & nervoſa hoc habent commune, quod vel culpa vaſorum, vel culpa liquidorum excludantur, quod ſymptomata & inter ea præcipue dolor maxime pendeant ab impetu vis vitæ, licet exitus utriusque diſcrepent. Magna interim inter tophos cretamque arthritidis, interque ſuppurationem inflammationis ſanguineæ datur convenientia, uterque eventus ponit vaſa, in quibus ſtagnarat liquidum, diſrupta. His vero ita prælibatis, facile jam apparere credo, quam illi ſe ipſos aliosque fallant, qui perpetuo acidum in arthritide clamant. Quid enim minutiſſimis vaſculis vel juſto laxioribus, vel juſto rigidioribus cum acido? quid liquido ultimo nimis viſcido a ſola omnium viſcerum actione debiliori in ingeſta ortum ſuum trahente, cum acido? Sane id uni ſaltem ex momentis quatuor ſupra indicatis, acrimoniæ nempe humoris ad ultima vaſcula pertingentis applicari poſſe, nemo non animadvertit. Id ſatis novi, nimium acidorum ingeſtorum uſum diſponere ad arthritidem, ſed illud etiam non ignoro, millenos homines acidorum eſculentorum & potulentorum oſores, a cauſſis remotioribus longe aliis, nilque prorſus commercii cum acido alentibus, frigore, venere, lucubrationibus, victu lauto, potu generoſo miſere nihilominus hoc morbo excruciari. Magna inſuper acidorum vis, ſuperansque omnem viſcerum ac ſanguinis vitalis actionem ordinarie ſtatim acida humorum ocea-

num ingreſſa toties ita immutantem, ut aliud prorſus ingenium, in ammoniacale &, quod mirum, in alcaleſcens tandem vergens induant, neceſſario ſupponi debet, antequam ab acida humorum acrimonia enaſci arthritis valeat. Talem a perpetua vinorum acidorum ingurgitatione ſæpe coortam dolent ſuæ intemperantiæ pœnas luentes. Talem ſibi ipſi creaverat TACHENIVS, qui, ut valido prophylactico contra peſtem ſeſe muniret, ſpiritum ſulphuris, per campanam acidum acerrimum, per multum tempus crebrius aſſumſit, ejusque uſu obtinuit, ut ſanus inter multos, quos viſitabat, ægros verſaretur; ſed violenta deinde arthritide fuit correptus, a qua ant-acido remedio ſale volatili viperarum ſeſe liberavit. Utut autem aliquando arthritis ab abuſu acidorum progignatur, utut tum ant-acidis ſit curabilis, tamen nondum nimis præcipiti conſilio arthritidem ſine exceptione omnem ab acido deducere, atque ant-acida ſine diſcrimine crepare remedia ant-arthritica licebit. Memori menſe velim teneant, qui acidum arthriticum perpetuo loquuntur, ea, quæ occaſione ſalis vegetantium acris alcalini ſapientiſſime ſcripſit BOERHAAVIUS: *Utique illa podagræ ſpecies, quæ acido nimio ortum debet, forte vix curatur felicius, quam parco hujus ſalis ſed diu protracto uſu: Non tamen vel ideo univerſale antipodagricum ſtatim laudari debet.* (s) Ita ſane limites juſtos ſtatuere juvat morborum cauſſis, morborumque remediis. Qui igitur miſera illa terrea abſorbentia audire poterunt ant-arthritica pharmaca, quæ nulla alia, ſi vel armatis oculis adſpiciantur, quam acidum deſtruendi virtute inſtruuntur? Imo vero ſi vel vere anſam dederit dolori arthritico diæta in acidorum uſu peccans, atque ant-acida remedia ita indicentur, ſalia alcalina fixa & volatilia multis modis præferenda fore terreis abſorbentibus, quis non videt? Illa certe a liquidis noſtris facile ſolvenda non ſaltem potenter acidum ubique corrigunt, ſed & in exiliſſima vaſcula penetrare apta acrimoniam hærentem amovent, materiemque colligi & ſtagnare circa articulos incipientem excutiunt, tranſpirationeque promota, qua non datur majus ad curam & prophylaxin arthritidis remedium, feliciter expellunt. Jacent interea otioſa abſorbentia in ventriculo, dumque ſolvi renuunt,

(s) in chym. Tom. II. pag. 52.

nuunt, extra primarum viarum terminos nunquam progrediuntur, ſique aliquid boni præſtant, ad præcavendam magis arthritidem ab acido ingeſto olim metuendam, quam ad curandam eam faciunt. Quantis igitur limitibus circumſcripta obſervatur terreſtrium atque abſorbentium vis medelæ arthritidis ſerviens! neque enim tenacitatem liquidorum, neque vitiatam ſolidorum indolem vel laxitate vel rigore peccantem, a quibus toties arthritis fovetur, ulla ratione impedire aut impugnare valent. Vix igitur capio in quotiam ingredientium pulveris Marchionis reſideat virtus antipodagrica, de qua miram recenſionem legi in prælectionibus cl. SCHULTZII *de viribus & uſu medicamentorum:* (*t*) *Memini*, inquit, *illuſtrem quondam Medicum, Joannem Mauritium Hoffmannum, cujus ſenectutem podagrici dolores valde affligebant, mihi dicere, ſe a nulla medicina diriſſimorum dolorum majus & ſecurius ſolatium percipere, quam ab hac crebrioribus intervallis ſumta.* Sane videtur mihi pulvis Marchionis in podagra egregium remedium expectationis, & patientiæ! de antiſpasmodica enim & anodyna ejus virtute æque ego magnifice ſentio, ac de cordialibus dotibus pulverum ſolarium atque eſſentiæ dulcis. Illam antiſpasmodicam virtutem ſuperiori de antiſpasmodicis capite ſatis opinor confutavi. Majori ſine dubio jure levamen dolorum arthriticorum expectare licet a diæta lactea, quæ ſola meretur dici ſpecificum antipodagricum, quaque feliciſſime olim uſus eſt alius Medicus podagricus cl. BRUNNERUS. Lac ſane, omnibus in hoc malo indicationibus ſatisfaciens, lentorem humorum attenuat, acrimoniam obtundit & mulcet, laxiores fibrillas roborat, rigidiores juſto emollit, omnibusque forte arthriticis gravius vexatis utiliſſimum ſub juſtis cautelis remedium præbet, ſi eos excipias, qui ab acidorum abuſu morbum contraxere.

§. 3.

Antequam finiam, pauca adhuc proferre meditor de rheumatismo, multum certe affinitatis cum arthritide alente. Sedes ipſi propria maxime eſt in membranis muſculorum & vaginis tendinum, in quibus, quoties hic morbus adeſt, arteriæ lymphaticæ obſtructio- *De Rheumatismo nonnulla.*

(*t*) pag. 255.

ctionem inflammationemque patiuntur. (*u*) Neſcio vero, an vera morbi indoles rite, ut decebat, conſideretur a Practicis, cum cœco impetu pleroſque ægris ſuis chartaceas capſulas terra ſatua repletas porrigere ſatis norim, cui ne quidem ad tenera vaſcula, quæ obſtructa ſunt, datur acceſſus, tantum abeſt, ut liquidum obſtruens loco moveat, & in circulum iterum deducat, ſine quo tamen impetrato nulla ſanatio poſſibilis. Abſonum prorſus eſt a perſpiratione ſuppreſſa, ut ſæpe fit, excluſum rheumatismum fixis diapnoicis, ut terrea inertia communiter ſalutari ſolent, curare velle; quis enim mente ſana utens lentum humorem lymphaticas arterias obſtruentem attenuari & perſpirabilem reddi poſſe, datis terreis pulveribus crederet? Quis molem humorum nimiam, quæ tum ſæpe peccat, ſineque qua minuta, nulla lentoris ſolutio impetratur, cum ſuffocatis liquidis antea ſpatium liberum præſtandum ſit, antequam fluere iterum ſine remora valeant, quis, inquam, molem humorum eo fine minuendam pulveribus diapnoicis fixis vere minui poſſe, ſibi pateretur perſuaderi. Interim ſub diſcuſſionis, reſolutionis & movendæ perſpirationis prætextu gratis toto die tales pulveres uſurpantur ab iis maxime, qui ſine hæſitatione, ſine rubore, vi vitæ ſola curatos morbos otioſis ſuis medicaminibus profligatos eſſe audaci ignorantia conſpicui affirmare haud verentur. Crediderim interea, quod nunquam forte cœpiſſet uſus terreſtrium abſorbentium in curatione rheumatismi, niſi præjudicata opinio de acido, omnium morborum cauſſa, introducta olim in pathologiam fuiſſet, quæ omnes illas turbas infelici ſidere produxit. Dabo protinus, miſſis aliis obiterque ſaltim allegato Willisio, liquorem nerveum acetoſum hic culpante, (*x*) hujus rei inſigne admodum documentum. Deſcripturus in ſua oſteologia nova rheumatismi generationem curationemque doctiſſimus Anglus Clopton Havers omnem lapidem movet, mireque ſe torquet, ut ejus originem ab acido deducat. Ante omnia nimirum aſſumit humorem peccantem communiſſime eſſe acidum corroſivum, ac, ut hoc aſſertum probet, provocat

(*u*) Vid. Bœrhaav. aph. 1493. Ex iisdem principiis prorſus egregie generationem rheumatismi, quam leviter hic tango, exponit diſſert. clar. Schultzii præſidio Halæ A. 1737. habita §. 13. quam cum cura hic legi velim. (*x*) de ſcorbuto cap. 9.

vocat primo ad Drelincurtium, quem in perſona rheumatiſmo defuncta galatinam concretam in ſuperficie muſculorum duos aut tres ducatos denſitate adæquantem inveniſſe recenſet. Illam vero mucilaginoſam materiem in rheumatiſmis peccantem ab acido ita coagulari aſſerit; frigusque ipſum adeo, a quo plerumque rheumatiſmus proritatur, nitroſa ſua aciditate mobiles particulas figendo, coagulum æque in ſanguine producere putat, ac in lacte chylo ſanguini quotidie admiſto, ſimili, acidum omne ciere coagulum obſervamus. Dolores igitur omnes ab acido corroſivo pungente deducendos aſſeverat, & quoniam cauſſam rheumatiſmi omnium frequentiſſimam acidum habet, quoad curationem ſic loquitur: *Merito commendari debet ſal tartari, cujus naturam talem eſſe novimus, ut corrigat acidum. Hinc etiam corallia & pulveres teſtacei pro congruis & ſpecificis remediis haberi poſſunt, quamvis enim notum ſit, hæc medicamenta coagulum haud diſſolvere, attamen corrigendo acidum in parte affecta mitigabunt dolores, & illam materiæ morbificæ partem, quæ nondum a maſſa ſanguinis excluſa eſt, alterando præcident illam ſuppeditationem, quæ aleret, ſi ita loqui fas eſt, & protraheret morbum.* (y) At quam miſere ſemetipſum illa deductione fallit vir cœteroquin doctiſſimus, cur enim a lentore humorum per ſolam quietem eorum excluſum ſtatim argumentaremur ad acidum? Quis in frigore, quod nil aliud, quam caloris abſentia eſt, jure acidum ſtatueret? Quis hodie lac acidis admiſtis coagulari videns, idem etiam ſanguini ita accidere debere præceps nimis, experimentis elegantiſſimis aliud prorſus docentibus, concluderet? Ecce fundamenti lubricitatem, cui terreorum abſorbentium uſus in rheumatiſmis ſuperſtruitur! Fœde certe ſe in curatione decipiet Medicus, & nil boni unquam obtinebit, niſi forte levius malum vis vitæ ſuperaverit, qui acidum imaginarium oppugnabit. In illa rheumatiſmi ſpecie, quam cum febre acuta affligentem tanquam morbum inflammatorium, quia cruor emiſſus pleuritico ſimillimus eſt, deſcribunt SYDENHAMUS & BOERHAAVIUS. Phlebotomia & catharſis antiphlogiſtica pro re nata repetitæ, opiata veſpertina, diluentia ſerum lactis, emulſiones papaveraceæ, oleum amygdalinum præcipua

(y) Vide de his omnibus oſteologiæ caput illud, quod agit de rheumatiſmo.

pua ſunt remedia, quæ, qui rite adhibere ſciverit, reliquis omnibus lubens carebit. Eadem fere proderunt plethoricis ſine febre ab externo frigore rheumatismos patientibus, fœminisque ob menſium recentem ſuppreſſionem aut ceſſationem hoc morbo adflictis. Hæmorrhoidariis hirudines ſæpe ſubitaneum levamen adferunt. In rheumatismo veteribus frigido dicto ſeroſo, viſcido, cachectico, chronico purgatio mercurialis, decocta lignorum, radicis bardanæ ſaturatiſſimum ſolius ligni quajaci, antipodagricum Viennenſe, antiſcorbutica dicta, acria omnia, ſæpe ſine diſcrimine uſurpata & laudata, veluti rad. valerianæ, itemque ariſtolochia rotunda adeo a Klaunigio commendata, (z) veſicatoria, frictiones & pauca chemica primas tenent. Venereus rheumatismus curationem poſcit ſui extirpandæ dicatam, ligna potiſſimum & mercurium. Nobile hic electuarium mundificans Werlhofianum in tractatu de limitanda febris laude (a) deſcriptum, vel ſolum, vel interpoſitis ſubinde exiguis doſibus mercurii dulcis. Rheumatici dolores periodici ſtatis aliquando horis ſine febre complicata redeuntes, aut intermittentibus ſuccedentes, aliis omnibus irritis ſanantur cortice peruviano. Qui bene diſtinguit, bene curat. In omnibus ſpeciebus rheumatismi, quia omnes ſtagnationes ſupponunt. Veræ indicationes ſunt copiam humorum minuere evacuantibus, obſtruens reſolvere ſeu meabile reddere, poros cutaneos aperire; Vaſa primo laxare, dein roborare. Nulli harum quadrant ineptiſſima terrea!

(z) in noſoc. charit. pag. 90. (a) pag. 84.

Cap. XXIII.

Caput XXIII.

Valde ridiculum uſum pulverulentorum terreſtrium ad ſanguinis coagula ſolvenda exhiberi ſolitorum jure meritoque perſtringit, ſimulque alias quasdam Pulverum inertium vires precarias breviter refutat.

§. I.

DUm ad finem operis tendo, quod, DEO ſint grates, fere abſolutum jam contueor, ſubit memoriam, quam fere prætermiſiſſem, methodus diu obtinens medendi luxationibus fracturisque oſſium, ægrisque caſum ab alto perpeſſis, contuſis, vulneratis. Ad mala hæc omnia perſananda cum trahi ad hunc diem terrea quoque remedia videam; licet uſus ſit ſumme paradoxus, ac vere cum ſana ratione pugnans, non poſſum hoc argumentum ſilentio præterire, ſed aliqua de eodem ediſſerere teneor. Magna in hiſce caſibus Medicos exercet ſollicitudo de ſolvendo coagulato grumoſoque ſanguine, & recte omnino; dolendum ſaltem famoſa, quæ huic fini ſervire communiter reputantur, remedia, rhabarbarum, ſanguinem hirci, lapidem hæmatitem, rubiam tinctorum, ſperma ceti, mumiam transmarinam, & quæ ſunt reliqua, miſere ſatis concredito ſuo officio defungi, ſatisque imprudenter ſelecta inveniri. Hæc omnia interim ad præſentem inquiſitionem directe haud ſpectant, ſed cum neſcio quo fato terrea varia eundem catalogum, ante longum tempus quoque ingreſſa ſint, ea ſola conſiderationi accuratiori ſubjiciam. Neſcivi fateor, primo, qua demum ratione factum ſit, ut remedia ejusmodi a vulnerum, contuſionum, luxationum ideis penitus abhorrentia nihilominus luxatis, contuſis, vulneratis præberi cœperint. Inveni vero ſinceram uſus originem deberi Arabibus; Meſue quippe & Avicenna primi, quod ſciam, lapſis & contuſis pro reſolvendo ſanguine rhabarbarum, mumiam, bolum armenam, rubiam ex vino rubro adſtringente commendarunt; at recentiori ætate multarum ineptiarum genetrix pathologia acida ad vulnera adeo & contuſiones, de quo vix per ſomnium hodie quis cogitaret, extenſa

Vana terreorum elogia in Contuſionibus.

tenſa ant-acida terrea ad curationem popoſcit. Ipſa igitur elogia eorum pauciſſimis ſpectemus. Scripſit inter alios SCHROEDERUS, bolum armenam ſanguinem coagulatum reſolvere, margamque prodeſſe ex alto devolutis HOFFMANNUS aſſeruit, (*b*) atque cum ſanguinem coagulatum reſolvat, non ſaltem his, ſed & iis, quibus os quoddam fractum eſt, dari eandem ad cuſpidem cultri LANGIUS (*c*) annotavit. Eandem margam, quam alias medullam Saxorum vocant, egregiam eſſe in grumis ſanguinis diſſolvendis, caſu ab alto, contuſione vertebrarum affirmat ETTMULLERUS. (*d*) Maxima autem commemoratione fere honorantur cancr. lapides, de quibus locus huc faciens apud Helmontium extat, ita in extenſo ſeſe habens: *Si fundum vulneris vel labra acor putredinis index invadit, fit pus. Quapropter omnis potio vulneraria occultum alcali & quidem volatile in ſe contineat oportet, ſi accedentibus ex corruptione acoris natis reſiſtere debeat, quatenus alcali quodvis omnem aciditatem, quam attingit, perimit. Sic nempe lapis cancr. diureticus eſt & vulnerarius, quod ſatis conſtat.* (*e*) De vulnerariis etiam agens LUDOVICI expreſſis verbis, inquit, ex animali regno merito huc referuntur oc. cancr. C. C. mandib. lucii &c. (*f*) Porro HERRMANNUS lap. cancr. in congrumato ſanguine, reſolvendo ſpecificam habere virtutem declarat. (*g*) Tandemque ETTMULLERUS, eos in caſu ab alto remedium eſſe expertiſſimum, imprimis quando ſanguis coagulatus eſt ab acido, mireque convenire in febribus, quæ vulneribus & ulceribus ſuperveniunt, quia acidum arcent in primis viis, ne ex ejus abundantia & corrupta maſſa ſanguinea augeatur eroſio in vulneribus & ulceribus, exclamat, (*h*) imo vero eousque procedit, ut lapidem cancr. in ventriculo abſorbendo acidum ſaporem, (*i*) vulneris etiam in pede ardorem, ruborem & inflammationem ſiſtere, pronunciet. Pene ſilentio prætermiſiſſem, JUNCKERUM adeo favere videri, terreorum uſui in contuſionibus, de lapidibus quippe percarum ſcribit, *quod e tenuibus terreis & ſalinis particulis facultatem petant abſtergentem, & leniter diureticam, eapropter eos magnifieri in ſanguine coagu-*

(*b*) in clav. p. 135. (*c*) oper. p. 286. (*d*) oper. Tom. I. p. 712. (*e*) in Tr. Blas humanum oper. p. 118. (*f*) in pharmacia p. 434. (*g*) in cynoſ. mat. med. Part. II. p. 19. (*h*) oper. Tom. I. p. 692. (*i*) diſſ. de uſu & abuſu præcipit. p. 260.

coagulato, & in ſtaſi ex caſu ab alto. (*k*) Ex his autem ita conſideratis clariſſime eluceſcit genealogia tot abſurdorum remediorum, quæ ſub titulo *pulverum ad caſum* ad hunc diem in officinis reſervantur. Exſtat ſcilicet & uſurpatur ſæpiuſcule *pulvis ad caſum Auguſtanorum* ex terra ſigillata, ſanguine Draconis, mumia, ſpermate ceti & rhabarbaro compoſitus. Datur porro *pulvis ad caſum* Zwelferi, (*l*) quem ſangu. dracon. ſangu. hirc. lap. cancr. terra ſigill. myrrha rubra & nux moſchata ingreditur. Rurſum talis habetur *in pharmacopœia Argentoratenſi* ex terra ſigillata, ſangu. dracon. mumia, ſpermate ceti & rhabarbaro concinnatus, qui expreſſis verbis *diſſolvere grumos ſanguinis, hinc præcipitatis, ruptis, contuſis, fractis exhiberi* ibidem dicitur. *Diſpenſatorium* quoque *Brandenburgicum pulverem ad caſum* ex bolo armena, lap. hæmatite, ſangu. drac. hirc. mum. lap. cancr. ſperm. cet. & rhab. elect. exhibet. Talibus vero egregiis pulveribus, qui monſtra ſunt compoſitionum pharmacevticarum, & ſuperſtitionis ac ignorantiæ auctorum ſuorum teſtes omni exceptione majores, indulſiſſe nihilominus viros quosdam doctiſſimos, ego quidem non ſatis mirari poſſum. Certe eruditiſſimum Pechlinum ægro cuidam vulnerato præſcripſiſſe aliquando, ad ſanguinis ſtagnantis coagulum impediendum, pulverem ex antimonio diaphoret. lap. cancr. fl. ſulph. ſperm. cet. & mum. Alex. vix cogitaſſem, niſi ipſam hanc formulam in ejus operibus legerem. (*m*) Neque credidiſſem facile, cl. Fischerum, pulverum ad caſum patronum, deque corrigendis remediis nullam correctionem admittentibus, ſollicitum futurum, ac pulverem talem correctum ex rad. ſigill. Salom. mumia transmarina, nitro depurato, cinnab. ſperm. cet. terra medicata Tokayenſi, lap. hæmat. ſangu. drac. gumm. ammon. & camphora ſuppeditaturum fuiſſe, niſi eum in eleganti ejus de terra medicinali Tokayenſi tractatu offenderem. (*n*) Multo minus virum inſignem Laurent. Heisterum ſuo calculo adjecto hæc medicamenta certe inania commendaturum ſuſpicatus eſſem, interim ſperma ceti, ſanguinem hirci, mumiam, lap. cancr. itemque pulveres officinales ad caſum egregia remedia nuncupari ab eo in contuſionibus curandis video. (*o*)

Ooo §. 2.

(*k*) therap. gen. Tab. V. p. 209. (*l*) in pharm. reg. p. 100. (*m*) in ephemeride vulneris thoracis p. 18. (*n*) §. 70. (*o*) in chirurgia cap. de contuſionibus §. 13.

§. 2.

Ingenium verum Contuſionum, & huic ſuperſtructa therapia.

At vero quilibet omnino, qui directo obtutu veram contuſionis indolem, faciendorum & fugiendorum fidelem normam, utilium & inutilium judicem ſeveriſſimum conſideraverit, ſtatim ultro animadvertet, male agi cum contuſis ægris, ſalutemque eorum caſui committi, quando pulveres ad caſum deglutire a ſuis Medicis jubentur. Elegantiſſime BOERHAAVIUS ideam contuſionis ponit in accumulatione vulnuſculorum cum attritu ſolidorum & vaſculorum, effectumque ſolutione continui lacerante, deſtructione plurium conterente, effuſione liquoris in inania vicina, vel facta, abſolvi, ſapienter ſtatuit. (*p*) Neque aliter judicare licet, quando læſionem partis mollis, a corpore duro & obtuſo, vel moto, vel reſiſtente, alliſu, preſſu, tritu, morſu, coarctatu, inductam mente concipimus, quidque poſtea accidiſſe parti affectæ deprehenditur, ſollicite conſideramus. Has vero conditiones omnes ſi quis variis corporis locis applicaverit, atque obtinere in capite, thorace, abdomine, artubus, cute ſola, muſculis, oſſibus, nervis, viſceribus, ſuppoſuerit, multum eas pro partium affectarum differentiis in receſſu habere, ſummaque & vere potentia efflagitare remedia, mox animadvertet. Poſita quippe vaſculorum laceratione & detritione, ſtatim eorum liquida effundentur, ſtagnabunt, coagulabuntur, ſuamque ſequentia naturalem indolem putreſcent; partisque contuſæ inflammatio, ſuppuratio, ulcus; mollium gangræna; durarum caries; glandularum ſcirrhus inſequetur. Quæ omnia ſane mala innumera inducunt, ocyusque vel tardius mortem ſæpe accerſunt. Nemo vero non clariſſime hic animadvertit, cuncta, ſi vel peſſima & cito lethalia fuerint, eſſe conſectaria ſolius ſtagnationis liquidorum, corruptionisque ipſis ob ſtagnationem inductæ. Quicunque igitur contuſionem quamcunque, hærentemque ubicunque in corpore, recte curare ſatagit, is efficere tenebitur, I) ut liquidorum effuſorum ſtagnantiumque corruptio putredinoſa, in quam omnia vergunt, caveatur. II) Ut ſtagnantia liquida loco moveantur & diſcutiantur. Utrumque ſi arte obtineatur, ne ullum quidem pravum contuſionis conſectarium erit metuendum, ſed omnia ex voto avertentur.

(*p*) aph. 322. 323.

tentur. *Primæ indicationi* nil melius ſatisfacit applicatione perpetua fomentorum ex talibus concinnatorum, quæ longo uſu ad inhibendam putredinem omnium maxime conducere deprehenſa ſunt, nempe ex herbis aromaticis, ſale, vino, aceto, quibus adeo, ad gangrænam ipſam jam præſentem inhibendam, nil in hoc univerſo datur præſtantius. *Secundam indicationem* de ſtagnantium diſcuſſione ſollicitam quod attinet, illius ſucceſſum felicem ſupponere ſequentia, ſineque his eſſe impetratu impoſſibilem, ſponte apparet, 1) ut ex laceratis læſæ partis arteriolis nulla amplius liquida effluant. 2) Ut jam effuſa & ſtagnantia vel venulis bibulis reſorbeantur, vel exhalent. 3) Ut, quo exhalare vel reſorberi poſſint, ſatis ſint attenuata. *Primum momentum* unice abſolvitur impetu arterioſi ſanguinis debilitato per VS. & purgationes antiphlogiſticas pro re nata repetendas. *Secundo & tertio* fomenta ad primam indicationem facientia ſimul elegantiſſime ſerviunt, uſurpatis ſimul interne diluentibus, attenuantibus, ſolventibus, nitroſis maxime & ſaponaceis. Ergo tandem omnis rei cardo in contuſionibus dextre curandis verſatur in VS., purgantibus, fomentis, & paucorum internorum vere attenuantium & liquida coagulata ſolventium uſu. Quid vero tandem ad coagulum abſorbentia terrea? Quid ineptius excogitari potuit unquam, quam accuſatio acidi in coagulo a contuſione orto? Anne enim corpus contundens ſanguini immiſcuit acidum? An ſanguis ſua ſtagnatione acidum generat? Sane utrumque abſonum eſt, & ridiculum, talis igitur etiam uſus ipſe abſorbentium ſoli acido ſuppoſito nitens. Prodeſt ſæpiſſime & pulcherrime, contuſis etiam, ad vulgi conſilium, epotum acetum, reſolvens coaguli ſummum. Laudare illud & ſolent & debent omnino Medici, etiam ultra vulgum ſapientes & eruditi. Neſcio vero quid ſibi velit lapidum cancr. cum aceto aſſumendorum frequens commendatio, quam adeo in diſſertatione, ſub cl SCHULTZII præſidio, de uſu cancrorum fluviatilium, habita, offendo, ubi uſus horum lapidum reſolutorius præſtantiſſimus declaratur, ſi lapſis, contuſis, vulneratis drachma una, aceti boni uncia una vel altera mixta per intervalla crebra exhibeatur. (*q*) Certe lapides cancr. tum non agunt ut lapides cancr. nec acetum ut

(*q*) §. 18.

acetum; ergo illi hic nec laudari,nec vituperari poſſunt,ſed,ſi bonus effectus ſubſequatur, is tribuendus liquamini ſalſo & amaricanti ex concurſu aceti & lap. cancr. enati. Cum vero ejus actio aliorum omnium ſalium ſalſorum neutrorumque actioni nulla ratione ſit ſuperior, taliumque lixivium idem præſtet, quod præſtat illud liquamen; neſcio cur opus ſit,per intervalla drachmas terræ fatuæ ſtomachum gravaturæ fruſtra ægro porrigere. Vanum ſane eſt, crepare in contuſionibus ſpecifica, neque, quod obiter noto, recentioribus adeo decantata arnica, majus elogium meretur, quam infuſa & decocta herbarum aliarum leni ſtimulo agentium quarumcunque, veronicæ, ſalviæ, hyſſopi, betonicæ &c. Utinam Medici ſervaſſent ægris contuſis oxymel, quod Galenus jam, bene hoc annotante Wedelio, (r) per ſe absque alio adjuncto hauſtum, ſanguinem concretum diſſecare expertus eſt, quo certe ad ſolvendum coagulum nullum remedium datur præſtantius. Utinam Arabibus ſolis relinqueremus rubiam, rhabarbarum, mumiam, bolum armenam, utinam Helmontio ſanguinem hirci, utinam neotericis lapides cancr. cum aliis terreis, quæ omnia nil proſunt. Summa præſtat,& unice valet in contuſionibus methodus cordati Sydenhami, ſolam VS. & catharſin cum decocto quodam & linimento (cui tamen fomentum antiſepticum præferendum) commendantis, & contra ineptiſſima ſpecifica acriter declamantis. *Dolendum ſane eſt*, inquit, *medicinam artem nobiliſſimam bujusmodi nugis, quæ ſive ab inſcitia, ſive a pravitate ſcriptorum credulis objiciuntur, usque adeo deturpari; cum in omni fere morborum genere bujusmodi aliquid a nugivendulis tanquam Θεῶν χεῖρες decantetur pleno ore. Et, quod eſt magis mirandum, quod non tantum in morbis typo indutis bujusmodi deliramenta obtineant, ſed & in minime formatis, qui ab organorum læſione aliqua aut προφάσει externa producuntur, viris etiam cætera cordatis imponant. Atque boc ſatis evincunt ſpecifica in contuſionibus vulgo prædicata, qualia ſunt ſperma ceti, tegula Hibernica &c. quæ omnia id tantum præſtant, ut methodum, qua tractari debuerat bic affectus, divertant, prout illi ſatis conſtabit, qui experiri voluerit; quanto tutius atque ocyus ſanabitur is, qui VS. ac purgationibus utetur alternatis, usque dum bene babuerit,*

(r) in amœnit. mat. med. cap. de reſolventibus p. 376.

buerit, neglectis prorſus levidenſibus iſtis, quæ pro more poſt ſanguinem ſemel eductum ſæpe exhibentur, atque etiam ea ſudorum ſollicitatione, quæ pari paſſu cum eorum uſu ſolet procedere; a qua partium jam diu ad inflammationem propenſarum excalefactione æger ſine cauſſa in vitæ periculum adducitur. (*s*) Huic methodo apprime reſpondet, ſed multo adhuc perfectior, imo abſolutiſſima eſt curatio contuſionum inclyti BOERHAAVII, qui largam miſſionem ſanguinis, purgationem fortem nec inflammantem, fomentum penetrans, laxans, reſolvens, parti impoſitum, frictionem calidam ad partem, interna reſolventia, ſudorifera, diuretica prodeſſe dicit, (*t*) atque in commentario aperte ſcribit: Omnia, quæ hic vulgo commendantur, oleum magna copia aſſumptum, ſanguis hirci, decoctum rubiæ, nullius ſunt momenti, nec quicquam juvant. (*u*) Accedit, vir in utraque Medicina verſatiſſimus, cl. HEISTERUS, prorſus eadem remedia commendans, atque, licet antea decantatis ſpecificis pauliſper indulſerit, tamen de internarum partium contuſionibus graphice inculcans, quod pulveribus abſorbentibus, lap. cancr. ſanguini hirci, C. C. pulveribusque ad caſum ſecundum malam aliquorum conſuetudinem neutiquam hic fidendum ſit. (*x*) Hæc ergo de contuſionibus prolata hac vice ſunto ſufficientia.

§. 3.

Reſtarent vires aliæ, quas terreis pharmacis affinxerunt olim, quas hodie paſſim ratas habent præjudicatæ practicorum opiniones; Nolo autem, cum amplam conſiderationem ne quidem mereantur, de illis multa diſputare, poſtquam ſat diu tædioſus forte fui meis lectoribus, quos, ſi nondum de inani uſu terreorum convicero, me in aliis convicturum eſſe diffido. Conſiderent cordatiores illorum & dijudicent ipſi, quid ſtatuendum ſit de mira illa virtute oſteocollæ, quæ eapropter, quod oſſis figuram æmuletur, calli generationem in fractis oſſibus, eorumque conſolidationem promovere dicitur. Norunt credo ſatis intelligentes, oſſium fractorum conglutinationem, ipſamque calli geneſin, poſt eorum exactam in ſitum naturalem repoſitionem, ac impedimentorum geneſin illam inhibituro-

De aliis quibusdam pulveribus otioſis pauca.

De Oſteocolla.

(*s*) Sydenh. Oper. p. 603. (*t*) aph. 334. (*u*) ad aph. 336. (*x*) in chirurg. cap. de contuſ. §. 18.

biturorum remotionem prudentem, non ab emplaſtris remediisque aliis a Chirurgo admotis, ſed ab eſſe ipſo, vaſisque per ejus lamellas ſerpentibus, ſuccosque nutritios, ſi ſana æger fruatur temperie, advehentibus, pendere. Vanus certe eſt cœteroquin doctiſſimus HILDANUS, præſtantiam oſteocollæ intus aſſumptæ, extusque admotæ in fracturis oſſium, peculiari obſervatione commonſtraturus, ac alia inſequente, abuſum hujus remedii nimiam etiam excreſcentiam calli producere poſſe, probaturus. (*y*) Nemo, opinor, facile ipſius aſſertis fidem adjiciet, qui ſaltem cl. PETITI elegantem de calli generatione explicationem legere voluerit. (*z*) Porro precor, docti Medici penſitare haud graventur, an ſana ratione concipi poſſit terreorum quorundam decantata potentia medendi ſtrumis, deformitatemque inde natam feliciter tollendi. Equidem lapidem ſpongiæ tam crudum quam calcinatum egregii uſus eſſe in ſtrumis, illasque abſumere, & inſenſibiliter reſolvere, ſi ſub lunæ decrementis uſurpetur, cum multis aliis ſcribit ETTMULLERUS; (*a*) ipſaque pharmacopœia Argentoratenſis, ut alios hujus furfuris taceam, compoſitum exhibet *pulverem ſtrumalem* ex ſpongiis uſtis, lap. ſpecul. pumicis, pila marina combuſta, lap. ſpongiæ, oſſe ſepiæ, pipere longo nigro, zingibere, cinamomo, ſale gemmæ, pyrethr. & gallis, quem luna decreſcente præſertim in uſum trahendum dicit. Certe & tempus ipſius uſus & remedium ipſum nil prorſus in receſſu habere, ſi absque præjudicio æſtimentur, per ſe clarum eſt. Egregie ſatis demonſtravit Petrus GERICKE, influxum lunæ in corpus humanum eſſe nullum, atque perperam de ea aſſeri, quod humoribus noſtris augmentum & turgeſcentiam ſub certis phaſibus inducat. Talibusque hercle! argumentis uſus eſt vir doctiſſimus, quæ omnibus in contrarium nitentibus ſuffectura credo. (*b*) Et o bone DEVS! quis glandulæ fabricam contuitus, ſcirrhique & tumoris tunicati ingenium ſincera imagine ſibi repræſentans, pulverem lapidis ſpongiæ, pumicis &c. per vaſculorum exilium glomos ſerpere, lentosque humores iis impactos atque cum ipſis vaſculis ſæpe in unum corpus concretos expedire facile ſtatueret? cum terra

De Pulveribus ad Strumas.

(*y*) Cent. I. obſ. 90. & 91. (*z*) de morb. oſſium Part. II. cap. 1. (*a*) in colleg. pharm. p. 775. (*b*) diſſ. de influxu lunæ in corpus human.

terra ſua inerti obſtructiones canaliculorum potius augeret, firmaretque, ſi ex ventriculo, ubi, poſtquam aſſumptus eſt, moras otioſas nectit, eo vere ablegaretur. Sane niſi ſtrumas curet fuligo pulverem antrophicum Scretæ ingrediens, quem is multum ad ſtrumas laudat; (c) niſi ſapo Venetus, gummi ammon. ſquilla, lignum guajacum auxilio ſint, nulla amplius ſpes, niſi in mercurio, in quo optimam latere tumoris ſtrumoſi medelam jure aſſeruit cl. Klaunigius. (d) Ridendi ſunt, qui ineptis pulveribus ad ſtrumas utuntur creſcente ſive decreſcente luna. Nil poſt ſtrumales pulveres dicam de *pulveribus ad vermes*, quos C. C. uſt. pro anthelmintico habitum gratis ingreditur, quod aut inane, aut ignavum ſaltem remedii genus eo magis negligi debet, quo magis certiora proſtant, amara, dulcia, oleoſa, ſalina, vitriolica, acida, volatilia, urinoſa, martialia, mercurialia. Pauca ſaltem monebo de pulveribus terreis galactopoeis. Puerile opinor eſt, terram illam friabilem, quam lac lunæ dicunt, cum in aqua facile ſolvatur, eamque lacteo colore tingat, ad lac augendum mulierculis exhiberi. Stupens vidi cl. Hoffmannum in Clave non veritum fuiſſe aſſerere, ſi lac lunæ drachmæ unius pondere ex juſculo præbeatur, mamillas ſtatim evidenter turgeſcere. Easdem vires præter rem adſignari etiam cryſtallo montanæ, in vulgus notum eſt, notavitque de ea laudatus Hoffmannus, quod intus adhibita lactis abundantiam præbeat, ſin autem in tergo e regione mamillarum applicetur, quod tum lac imminuat. Certe ex eadem lacteque lunæ, una cum lap. cancr. matr. perl. ſem. anis. fœnic. lumbr. terreſtr. & ſacch. canarienſi concinnaſſe diſpenſ. Brand. pulverem, quem ſecundum excellentiam galactopoeum vocavit, valde omnino eſt ridiculum. Prorſus vero cachinnos & ſibilos meretur pulvis Zwelferianus, lacti generando ab auctore deſtinatus, qui poſt radices & ſemina, poſt lapidem lacteum, corallia, lapides cancr. magiſt. matris perl. ſapientiſſimo certe invento carnem uberis vaccæ juvenculæ in alembico vitreo exſiccatum ſimul recipit. Servent ſibi, quicunque volent, myſteriis hujusmodi referta, & ob ſignaturam atque occultas qualitates lac procreantia pharmaca,

De uſu C. C. uſti anthelmintico.

De Pulveribus galactopoeis.

(c) Vid. Lentilii miſcell. part. III. p. 59. (d) in act. phyſ. med. Nat. Curioſ. Volum. II. obſ. 12.

maca, ego certe ſine illis omnibus, niſi vitium conformationis adfuerit, certo proſpiciam tenellorum appetitui, matrumque deſideriis, ſi materiem lactis victum blandum nutrientemque commendavero; ſi ventriculo & digeſtioni rite proſpexero; ſi humores ad mammas invitavero, earumque tubulos patulos & minus reſiſtentes reddidero; ſi ad cauſſas defectum lactis ſuſtentantis cognitas, v. gr. lochia nimia, ſudores, fluores alvi, morbos varios, bene attentus fuero. Hac ſola methodo deficiens lac generatur, nulla alia.

De Pulveribus animi pathematibus perculſis porrigi ſolitis, vulgo Zufall-Pulver.

Supereſt adhuc, ut de pulveribus, qui vehementiori animi pathemate ſubito percuſſis a Medentibus porriguntur, frequentiſſimique in praxi vulgari uſus ſunt, nonnulla adhuc adnectam. Animi commotiones inſignes, iracundiam vel in apertum loquacemque furorem erumpentem, vel tacite compreſſam, terrorem inopinato exorientem, mœrorem diuturnum ac ubique comitem valde omnino ſanitatem lædere, motusque in corpore ad hanc tuendam neceſſarios miſere turbare & confundere, quotidianis experimentis ſcimus. Atque ita hæc veritas unicuique obvia & perſpectu eſt, ut ſtatim, ubi quis animi motum ſurrexiſſe animadvertit, de damnis inde ſibi imminentibus metuat, medicique auxilium ſæpe imploret. Ac talis quidem prophylaxin ſtatim urgens ſollicitudo non prorſus vana eſt, ſed tolerari poteſt, cum malis e longinquo appropinquantibus, quantum per artis limites licet, obviam incedat. An vero illa multorum practicorum methodus terrea fatua inepte præſcribentium, aut præſtabilitis ſuis pulveribus terreis, quos Zufall-Pulver communiter vocare ſolent, ſive aliquis mero turgens bella ferendo ira excanduerit; ſive alius ob rei familiaris damnum ſubito terrore perculſus fuerit; ſive alius immaturum nati funus lugeat; ſine diſcrimine fidentium, an illa, inquam, methodus laudanda ſit, alia quæſtio eſt. Nituntur interim ejusmodi practica conamina quandoque virorum doctorum adeo præceptis, quos inter ipſe JUNCKERUS in iram pronis præſervative ſuadet drachmas duas lapidum cancrorum, ſucceſſive ſumendas. (e) Ex quo fundamento, ego quidem parum intelligo. Favent illis diſpenſatoria recentiora, in quibus paſſim mœſtis, & luctu vires ſuas depreſſas dolentibus ſuadentur

(e) in conſp. p. 506.

tur pulveres terrei cordiales; in quibus ad terrorem, præſertim gravidarum, lepidæ ſatis pulverum nugivendulorum formulæ inveniuntur. (*f*) Vix vero capio, quid vere ad animi pathemata faciant terrei pulveres, quorum curatio maximam partem moralis exiſtit, atque ad Medicum ne quidem ſpectat. Princeps hic labor eſt, ratiociniis a religione & philoſophia ſuppeditatis ſedare natum affectum, ipſique e diametro contrarium omni opera inducere; id niſi obtineatur, parum omnino Medici efficient. Horum interim officium poſcit, dum in animam ipſis nullum jus eſt, dum anima ad eos haud pertinet, ut motus anomalos per animi affectum quomodocunque in corpore obortos, & ſecundum differentem affectus indolem valde diverſos placent, componantque, ac ad juſtam temperiem, ordinemque illum, qui præſente ſanitate obtinet, iterum reducant. Diverſa igitur valde ab iis diverſis temporibus diverſisque ſubjectis porrigi debebunt remedia. Aucto robore, dum ira flagrat, crebeṙrimisque ictubus ſaliunt arteriæ, ſanguinemque ad extrema ſumma vi pellunt; ergo anodynis, nitroſis, diluentibus & demulcentibus hic opus erit, non lapidibus cancr. aut aliis terreis. Subitaneo & inverſo motu ab externis ad interiora humores urget terror, eosque in vaſis figit, & intus circa cor & pulmones nimia quantitate detinet; ergo, ut motus ſanitati prorſus contrarius ſopiatur, ſanguis ad capillaria iterum vehatur, ac ſtagnationibus ſolutis liber ubique circulus præſtetur, opiata, nitroſa, diluentia, potus calidi, tandemque lenia irritantia proderunt. Moeſtitia præſente, quando omnis circulus cum pendentibus inde ſecretionibus languet, quando appetitus perit, quando viſcerum functiones deficiunt, nulla alia pharmaca, poſtquam erectus utcunque fuit animus, indicabuntur, quam excitantia, analeptica, gratoque ſtimulo in nervos agentia, quorſum terrea, quæ non niſi ab ignaris pro nervinis habentur, neutiquam certe pertinent. Ac ita quidem illas virtutes ſine exceptione omnes, quas Practici terreſtribus remediis perperam adſignant, dextre a me conſideratas, rigide examinatas & ſevere confutatas fuiſſe duco. Neque ullum facile eorum omiſi, quæ vere non alio quam terreo elemento agere in corpora noſtra deprehenduntur. De ſola *magneſia* vix alicubi ex De Magneſia alba.

Ppp

(*f*) Talis e. gr. legitur in diſp. Brandenb.

ex inſtituto egi, cum præcipua ipſius vis alvum benigne laxans habeatur; mihique terrea ſaltem conſideraturo de purgantibus, quibus aliter ea haud annumerantur, præciſe agendum non fuerit. Nollem interim libenter, poſtquam tot hucusque cum fiducia uſurpatis medicaminibus larvam fucumque detraxi, magneſiæ relinquere illa elogia, quæ ipſi gratis ad hunc diem tribuere haud paucos novi, quare de eadem, antequam finem dicendorum facio, pauciſſima adhuc annectam. Eſſe illam medicamentum pulverulentum inodorum & inſipidum, ex lixivio nitri productum, diverſis methodis præparandum, omnibus notum autumo. Vix vero dici poteſt, quam inſignes dotes ipſi recens invento pharmaco in Italia Anglia & Germania adſcriptæ fuerint. De magneſia novo & innoxio purgante & polychreſto medicamento peculiarem diſſertationem Jenæ Ao. M DCC IX. habuit SLEVOGTIUS, in cujus ſtatim præfatione epiſtola ad Leibnizium a Valentino Profeſſore Giſſenſi exarata citatur, qui, ob incomparabiles, quas generi humano præſtat, utilitates, maximi habendum eſſe id remedii genus, affirmat. Porro etiam eximium legitur elogium eidem affixum in pharmacopœia Argentoratenſi: *Magneſia*, inquiunt auctores, *eſt remedium alcalinum, omnem acorem, acredinem & ſalſedinem viſcidam humorum in corpore humano abſorbens, invertens, edulcorans. Mundificat quoque ſanguinem, atque ad balſamicam ſuam dulcedinem reducit.* Fateor ingenue, me omnes illas dotes non capere. Falſo dicitur magneſia remedium alcalinum, quum inſipida terra ſit, neque a terræ efferveſcentia cum acido valet argumentatio ad indolem alcalinam, quæ ſalis ſat ſapidi manifeſtam præſentiam involvit. Quod omnem acorem abſorbeat, cum quo congredi poteſt, magneſia, id certum eſt, neutiquam autem veritati reſpondet, quod omnem acredinem, ſalſedinem & viſciditatem humorum corrigat, cum acredo humorum varii ſit ingenui, ſalſedo minime terra ſeſe cicurari patiatur, viſciditatem vero terreſtri pharmaco incidere velle prorſus ſit abſonum. Dulcedo ſanguinis balſamica eſt inanis terminus, cujus ideam ſine ulteriori explicatione nemo adſequitur; ſi dulcedo illum ſanguinis ſtatum deſignare debet, quo præſente nulli ſales præter naturam ipſi inſunt, nemo non animadvertit, ſolis ſalibus

acidis

acidis corrigendis, ſi darentur in ſanguine, magneſiam inſervituram. Cum vero rariſſime acidum detur in ſanguine, atque, ſi etiam ſanguis acidus ſupponatur, magneſia ceu terreum remedium vix ultra primas vias agat, ultro ſequitur, nulla ratione eam dulcedinem ſanguinis, ſi ita loqui cogor, poſſe reſtituere. Sane, quicquid demum etiam de eadem loquantur Medici, ſi ſine præjudicio conſiderationem juſtam inſtituam, magneſia remedium mere terreſtre nulla alia virtute inſtructa eſt, quam abſorbente & ant-acida, neque vel tantillum prærogativæ meretur, præ lapid. cancr. conch. præpar. matr. perl. &c. Atque ab illa ſola virtute abſorbente unice pendet vis purgans, quæ tamen valde limitata eſt, atque, quod ipſe ego ex mea propria, & aliorum experientia centenis vicibus obſervavi, nunquam ſeſe exerit, niſi in ventriculo acidum offendat, cum quo congrediatur, cum quo poſt finitum conflictum generet ſal amarum purgans. Eundem vero effectum non a ſola magneſia, ſed ab omnibus ſine diſcrimine abſorbentibus obſervamus, quando, ubi ea aſſumuntur, certo conſtat, adeſſe acidum in ventriculo; tum enim, ſemper alvum ſolito ſæpius moveri, certum eſt. (*g*) Prorſus cum meis cogitatis conſpirat ſententia Illuſtr. HOFFMANNI, (*h*) quam data opera integram adſcribo: *Conſtat pulverem magneſiæ ad unam vel duas drachmas cum quovis vehiculo ſumtum potenter ſatis exercere alvum, in quibusdam quinque vel ſex ſedes movendo, quum in aliis eadem doſi exhibitus nihil præter conatum egerendi efficiat. Cujus diverſi effectus ratio ex iis, quæ modo dicta ſunt, haud obſcure apparet: Luculenter nimirum hinc perſpicitur, hunc pulverem terreum minime in ſe recondere principium quoddam catharcticum, quale, præter ſalinum penetrans acre, ego quidem non aliud agnoſco, ſed demum in ipſo corpore pro diſpoſitione humorum ibi hoſpitantium, virtutem ejus reſultare purgantem, quia nempe, ſi offendit acidos humores in cavitate ventriculi & inteſtinorum, in ſal neutrum demigrat, acris ſalini ſaporis & ſtimulantis effectus, quemadmodum videmus manifeſto, ſal valde acre exſurgere, ſi hæc medicina cum ſpiritu acido v. gr. vitrioli miſceatur. Salia vero media, quæ ſaporis amaricantis ſunt, liberalius*

(*g*) Vid. Hoffmanni Medic. Syſt. Tom. III. (*h*) in obſervat. chym. lib. II. obſ. 1. pag. 117. 118.

data, alvum ad aliquot ſedes ſollicitare, experientia confirmatum habemus, idque etiam a nobis latius deductum eſt in diſſert. de ſalium mediorum excellente & purgante virtute. Non itaque mirum eſt, interdum hunc pulverem carere effectu catharctico, ſi videlicet prima regio non acidi copia, ſed pituita viſcida ſcatet, quæ impedit, quo minus ſolvi & in ſal ſtimulans converti poſſit. Prorſus vero ita de magneſia ſentit STABELIUS: (*i*) *Uſus hujus medicamenti*, inquiens, *internus, quando a ſcrupulo uno ad drachmam unam &c. p. d. legitime adhibetur, ſatis egregius eſt. Conducit vero imprimis hypochondriacis atque hyſtericis, quando cruditates acidæ in primis viis peccant, nam tum iſtas corrigit, cum illis ſimul in ſubſtantiam mediam tranſit, tumque potiſſimum excretionem alvinam, ſimul vero etiam diureſin ac tranſpirationem promovet. Ubi vero acidum in primis viis deficit, hæc nullos laudabiles, ſed potius perverſos præſtat effectus, dum terreo-calcarea talis ſubſtantia tunc plicis ventriculi inhæret, & actum digeſtionis turbat.* En ergo vim magneſiæ purgantem arctiſſimis limitibus circumſcriptam! quæ a virtute abſorbente acidum demum reſultat. Hæc autem mihi ſane in magneſia videtur unica, aliasque omnes perperam ipſi aſſignari credo, niſi quatenus hujus ſunt confectaria. Rectisſime certe de eadem judicat Brandenburgicum diſpenſatorium: *Magneſia, quia ſperatos illos eximios effectus ab ejus fautoribus de prædicatos non exhibuit, ſucceſſive eviletcere incepit.* (*k*) Ominor eadem fata omnibus illis terreis pharmacis, omnibus ex iisdem compoſitis medicaminibus, quæ toto hoc tractatu ad cujus exoptatam metam jam tendo, non laſcivia & culpabili pruritu ductus, ſed tenero artis, quam exerceo, amore incitatus caſtigavi. Id ſaltem in votis habeo, ut aliquantulum praxi medicæ a ſordibus & ineptiis liberandæ ſuſceptus labor ſerviat; quem ambigens finio, an in hodierna ſcientiæ medicæ luce ſeculum noſtrum pulverulentum magis excipi mereatur cachinno ridentis Democriti, an lachrumis flentis Heracliti.

(*i*) in chym. dogm. experim. p. 309. (*k*) Conf. acta phyſ. med. Vrat. Ao. 1725. menſ. Maj. claſſ. IV. art. 24. & Büchneri miſcell. 1727. menſ. Febr. claſſ. IV. art. 5.

(o)

Indi-

Indiculus
Medicorum celeberrimorum, quorum in hoc opere mentio facta eſt honorifica.

A.

Adolphi.
Agricola.
Alberti.
Albertus *Magnus.*
Alpinus *Proſp.*

B.

Baco *Rogerius.*
Baglivus *Georg.*
Bartholinus.
Bauhinus.
Beckerus *Daniel.*
Bellini *Laurentius.*
Benedictus.
de Berger *Io. Samuel.*
Bergerus *Ioa. Godofr.*
Blancardus *Stephanus.*
Bœclerus.
Bœrhaavius *Hermannus.*
Bœtius de Boodt.
Bohnius.
Bontekœ *Cornelius.*
Bontius.
Brendelius.
Brunnerus.

C.

Cæſalpinus *Andreas.*
Camerarius.
Carlius.
Cnœffelius *Andreas.*
Coſchwitzius.
Craanen *Theodorus.*
Crato.
Crollius *Oſwaldus.*
Crugerus.

D.

Dale *Samuel.*
Deckerus.
Deodatus.
Deuſingius.
Diemerbrœckius.
Dioſcorides.

E.

Ebnsina.
Ettmullerus.
Eyſelius.

F.

Faghius.
Febure.

Fracaſtorius.
Freindius *Ioann.*
Fuchſius.
Furſtenauius.

G.

Galenus.
Ganſius.
a Gehema *Ioann. Abraham.*
Gerickius.
Gerſtmannus.
Glauberus.
Gœritzius.
Gœtzius.
Goris *Gerhardus.*
Grabius *Io. Andreas.*
Graatius.
Grulingius.
Gutmannus.

H.

Hambergerus.
Harris *Gualtherus.*
Harvæus *Gideon.*
Hauptmannus.
Havers *Clopton.*
Heiſterus *Laurentius.*
Helmontius.
Helvetius.
Herelius.
Hermannus.
Heucherus *Jo. Henricus.*
Heurnius
Hildanus.
Hippocrates.
Hochſteterus.
Hœferus.
Hoffmannus *Frider.*
Hublerus.

I.

Janckius.
Junckenius.
Junckerus.

K.

Kanoldus.
Kergerus.
Kerkringius.
Kircherus.
Klaunigius *Godofredus.*
Kœnigius *Emanuel.*
Kramerus.

L.

Lanciſius.
Langius.
Ledelius *Samuel.*
Lentilius *Roſinus.*
Lindanus.
Liſterus.
Lowerus.
Ludovici *Daniel.*

M.

Malpighius *Marcellus.*
Menzelius.
Mercatus *Michael.*
Mercatus *Ludovic.*
Michaelis.
Minderus.
Montanus *Joann.*
Morley.
Mortonus.

N.

Nenterus.
Neumannus.
Noguez.
Nuckius *Antonius.*

P.

Paræus.
Pauli *Simon.*
Pechlinus *Nicol.*

Petitus

Petitus.
Piſo.
Pitcarnius *Archiboldus.*
Poterius *Petrus.*

R.

Ramazzini.
Riverius *Lazarus.*
Rivinus.
Rothius *Godofredus.*
Rulandus.

S.

Sachſius.
Salmuthus.
Salzmannus.
Sanctorius.
Santorinus.
Saxonia *Hercules.*
Schelhammerus.
Schreiberus.
Schrœderus.
Schultzius.
Schwenckfeldius *Caſp.*
Screta.
Sendivogius.
Sennertus *Daniel.*
Slevogtius.
Sommerus.
Stabelius.
Stahlius.
Stentzelius.
Sydenhamus *Thomas.*
Sylvius *Franciſcus.*

T.

Tachenius *Otto.*
Teichmeyerus.
Theophraſtus.
Thomſon.
Trewius.

V.

Valeriola.
Valliſnerius *Antonius.*
Vaterus.
Verulamius.
Volckhammerus.

W.

Waldtſchmidtius *Jo. Jac.*
Waltherus.
Wedelius.
Wepferus.
Werlhofius *Paul. Theophil.*
Williſius *Thomas.*

Z.

Zwelferus.

In-

Index
Rerum hoc in opere memorabilium, quarum numerus *primus* Caput, *ſecundus* paragraphum, *tertius* paginam indicat.

A.

Abortum (ad) an roborantia ſint terrea XI, 5, 168. ſqq.
Abſorbentium ſollers examen inſtituendum eſt Medico V, 4, 44
- - ſelectio neceſſaria ib. 5, 45
- - uſus prudens in morbis infantum utilis ib. 7, 50
Acidum morborum omnium cauſſa erronea III, 3, 30
- - maxima infantilium morborum cauſſa V, 6, 47. ſqq.
- - non eſt impedimentum diureſeos, VIII, 4, 106
- - non eſt cauſſa orgaſmi XIII, 6, 224
Acidi pathologiæ fautores reliqui, III, 5, 31
- - ex pathologicis ejectio, IV, 1, 36
- - pathologiæ domitores IV, 2. 36. 37. 38
- - & *Alcali* particularum in ſanguine conflictus, redolet antiquetam fermentationis theoriam XIII, 6, 227
Acido-ſalſæ pathologiæ conditor Otto Tachenius ib.
Aer contagioſus febrium malignarum cauſſa XIX, 6, 380. ſqq.
Alcis ungulæ vis antepileptica iners, X, 5, 152
- morbus fictus ib.
Alexipharmacorum remediorum nomen quid? XIX, 3, 374
Animale regnum apparatum medicamentorum terreorum præbet, I, 2, 2
Antifebrile Crollii ſpecificum remedium inſecurum I, 5, 7
Antimonii diaphoretici de viribus diſcordes ſententiæ VII, 2, 67. ſqq.
Antiſpasmodicorum remediorum dotes neceſſariæ IX, 5, 120. ſqq.
Aqua tepida, antiſpasmodicum eſt excellens IX, 10, 132
Arthritidi falſo dicantur terrea XXII, 1, 461. ſqq.
Arthritidis pathologia & therapia vera ib. 2, 464. ſqq.
Atrophia VI, 1, 54
Attritus corporum caloris cauſſa primaria XIII, 2, 216. ſqq.
- - conditiones ad calorem excitandum aptæ ib.
Auri in medicinam introducti hiſtoria XII, 8, 203
Auro vis cardiaca nulla ineſt XII, 8, 205

B.

Baglivius pathologiæ acidi domitor IV, 2, 37
Bergerus pathologiæ acidi domitor. ib.
Bezoardicorum remediorum nomen quid? XIX, 3, 374

Bilis morborum cauſſa ex mente Sylvii III, 4, 31
- - febrium cauſſa ſæpius falſo ſtatuitur XVII, 7, 328
- - febrium cauſſa quousque habenda ſit ib. 8, 330. ſqq.
- - non eſt cauſſa febrium, ab iracundia natarum ib. 9, 333. ſqq.
Blancardus pathologiæ acidi fautor notatus III, 6, 32
Boerhaavius pathologiæ acidi domitor IV, 2, 37
Boli Armenæ virtutes XI, 1, 161
- - virtus in hæmorrhagiis ſanandis XIV, 1, 233

C.

Calcinatio medicamentorum terreſtrium in calcem vivam I, 5, 6
- - philoſophica I, 6, 8
- - corroſiva I, 7, 8
Calculi theoria vera XVI, 3, 290
- - curatio rationalis ib. 5, 305. ſqq.
- - curatio in paroxyſmo ib. 6, 309. ſqq.
Caloris præternaturalis cauſſæ XIII, 2, 215
- - cauſſa primaria attritus corporum XIII, 2, 216
- - corporis humani theoria ib. 3, 218. ſqq.
- - in corpore humano cauſſa eſt motus perennis ſanguinis ib. 3, 219
- - in corpore animali conditiones ib.
- - cauſſa adæquata non eſt fermentatio ib. 6, 226
Camphoræ vires antipleuriticæ XV, 5, 278
Cancrorum lapidum virtutes hyperbolicæ II, 1, 19
- - lapidibus vis diuretica male adſcribitur VIII, 1, 97
Cardiacæ vires terreorum nimium laudatæ XII, 1, 176
- - dijudicatæ & caſtigatæ XII, 2, 179. ſqq.
Cardiacorum theoria ib. 6, 193. ſqq.
- - terreſtrium rejectio ib. 7, 200
Cardialgiæ, ex diætæ vitio enatæ, uſus terreorum conducens V, 2, 42
Caſtoreum antiſpasmodicum IX, 8, 125
Catarrhorum remedia trivialia XXI, 3, 454
- - theoria ib. 457
- - ſanatio ib. 459
Cephalicum ſpecificum *Michaelis* in morbis infantum medicamentum ineptum V, 6, 49
Cervi deſcriptio phyſico-medico-chymica *Grabii* II, 1, 20
Chemica ars apparatum remediorum terreorum auxit I, 2, 3
Chemicorum deſcriptio terræ I, 1, 1
- - remediorum catalogus I, 2, 3
Cinamomum XII, 6, 197
Contuſionibus nihil proſunt terrea XXIII, 1, 471. ſqq.
Contuſionum ingenium ib. 2, 474. ſqq.
Convulſio differt a ſpasmo IX, 4, 117
Convulſiones infantum morbus frequentior V, 6, 49
Convulſionis definitio IX, 4, 117
Convulſionum cauſſæ X, 2, 141. ſqq.

- - therapia per remedia terrea fatua ib. 3, 143
Coralliorum hiſtoria a Ganſio conſcripta II, 1, 19
- - virtutes hyperbolicæ ib.
- - virtutes in ſanandis hæmorrhagiis XIV, 1, 236
Corallium planta ſubſtantiæ lapideæ I, 2, 2
- - ſolum eſt medicamentum terreum inter vegetabilia ibid.
Cornu cervi uſibus medicis diverſimode adaptatum I, 10, 15
- - pharmacum ineptum ib.
Corporum inquiſitio diverſam vim remediorum probat I, 1, 2
Cortex Peruvianus remedium præſtantisſimum in genere nervoſo roborando IX, 6, 121. ſqq.
Craanius pathologiæ acidi fautor notatus III, 6, 32
Cranium humanum remedium terreum I, 2, 2
- - non eſt antepilepticum X, 5, 153
Crocus antiſpasmodicum IX, 8, 125.
Crollii ſpecificum antifebrile remedium inſecurum I, 5, 7

Cryſtalla Cap.1.§.2. p.3.§.4.p.5.

D.

Debilitatis in corpore humano cauſſæ XII, 5, 188. ſqq.
Dentis hippopotami virtutes in hæmorrhoidibus XIV, 1, 235
Diætæ vitium parit cardialgiam V, 2, 42
Diaphoreſin moturorum remediorum requiſita vera VII, 4, 78. ſqq.
Diaphoretica varia terrea a Medicis peritis rejiciuntur VII, 7, 91
- - evadunt terrea per accidens VII, 8, 93
Diureſeos impedimentum non eſt acidum VIII, 4, 106
Diuretica remedia falſo habentur varia terreſtria VIII, 1, 97
- - per accidens evadunt terrea VIII, 5, 108
Diureticas vires variis terreſtribus tribuens error refutatus VIII, 4, 105
Diuretici remedii dotes neceſſariæ VIII, 3, 103. ſqq.
Draconis ſanguinis virtutes in hæmorrhagiis XIV, 1, 234
Dyſenteriæ an remedium adſtringens præbeant terrea XI, 3, 163. ſqq.

E.

Epilepſia infantum morbus frequentior V, 6, 49
Epilepſiæ curationi terrea inepta X, 1, 137
- - theoria ib. 2, 140
- - ingenium ib. 4, 147
- - curatio inanis per terreſtria ibid.
Epilepticus pulvis *Marchionis* infantilium morborum curationi ineptus V, 6, 50
Epileptici pulveres varii recenſentur X, 1, 138
Eſſentia dulcis in morbis infantum medicamen ineptum V, 6, 49
Exanthematibus febrium ordinarie dicantur terrea XVIII, 1, 336
Exanthematum febrilium cutaneorum ingenium ib. 2. 338. ſqq.
- - cauſſæ ib. 3, 340
- - indicationes ib. 4, 343. ſqq.

inter-

- - internorum ingenium ib. 5, 345
- - cauſſæ erroneæ ib. 6,347. ſqq.
- - circa prognoſin errores ib. 7, 352
- - curatio erronea ib. 8,353. ſqq.

F.

Febres bilioſæ XVII, 6. 326. ſqq.
Febribus intermittentibus terreorum uſus prudens conducit V, 2, 42
Febrium theoria precaria XVII, 2. 313
- - theoria vera ib. 3, 314
- - curatio rationalis ib. 4, 316. ſqq.
- - curationis per terrea practicorum refugia ib. 5, 320. ſqq.
- - exanthematibus ordinarie dicantur terrea XVIII, 1, 336
- - malignarum curatio per terrea fruſtranea XIX, 1, 365. ſqq.
- - facies externa ib. 4, 376
- - ætiologia inepta ib. 5, 377
- - cauſſa genuina aer contagioſus ib. 6, 380
- - theoria ib. 7, 381. ſqq.
- - ſymptomata ib. 15, 394
- - curatio ib. 18, 400
- - per remedia terrea inutilis ib. 19, 405
- - per acida proficua ib. 406. ſqq.
Fermentatio ſæpe calorem gignit XIII, 6, 225
- - quid ſit chymicis? ib. 6, 226
- - non eſt cauſſa caloris adæquata ibid.
Fermentationis requiſita ib.
- - theoriam antiquatam redolet acidi & alcali particularum in ſanguine conflictus ib. 6, 227
Fluori albo non conducunt terrea XI, 7, 175. ſeqq.
Fullerus negat tranſitum terreorum in ventriculum VI, 3, 57
Fulleri pulvis edulcorans ib.

G.

Galactopœi pulveres XXIII, 3, 479
Gemmarum in Medicinam introductarum hiſtoria XII, 8, 205
Gonorrhœæ non conducunt terrea XI, 7, 175, ſqq.
Gutmanni pulvis ſtegnoticus XIV, 1, 235

H.

Hæmatitis lapidis virtutes in hæmorrhagiis XIV, 1, 234
Hæmoptyſis varii fontes ib. 3, 241
Hæmoptyſis quid ſit? ib. 242
- - curatio rationalis ib. 4, 243. ſqq.
- - in paroxyſmo locum habet venæ ſectio ib. 245
- - curandæ molimina inania ib. 5, 249
Hæmoptyſi medetur nitrum ib. 246
- - medetur opium ib. 247
Hæmorrhagiarum natura XIV, 2, 237
- - theoria veteris ævi ib.
- - proxima cauſſa eſt inæqualis fluxus arterioſus ib. 238
- - cauſſæ procatarcticæ ib.
- - ſpecies ib. 6, 263
- - medicatio per remedia terreſtria maxime laudatur a Practicis ib. 233
Hæmorrhoides oris XIV, 3, 241
Hæmorrhoidibus nimium fluentibus mede-

medetur dens hippopotami ib. 1, 235
Helmontius primus terreſtrium remediorum fautor ibid.
Helmontii character III, 2, 29
Heurnii pulvis XIV, 1, 236
Hippopotami dentis virtutes in hæmorrhoidibus ib. 235
Hoffmannus pathologiæ acidi domitor IV, 2, 36
Hypochondriacis uſus terreorum prudens conducit V, 2, 42

I.

Infantilium morborum cauſſæ V, 6, 47
- - ſcriptores ib. 48
- - curationi inepta medicamina ib. 49
- - medicamina aptiſſima ib. 7, 52
Infantum morbis terreorum uſus conducens maxime V, 3, 43
- - atrophicorum affectuum causſa VI, 1, 54
- - morbi frequentiores, convulſiones & epilepſia V, 6, 49
Inflammationis ſanguineæ theoria XV, 2, 267
- - reſolvendæ cautelæ ib. 268
Inflammationibus cur terrea olim oppoſita fuerint? ib. 3, 269
Inflammationum curatio per terrea laudatur nimium ib. I, 265
- - curationis per terrea prætextus hodiernus ib. 4, 271
Irritationis vocabulum quid ſit? IX, 4, 118
- - cauſſæ potiores ib. 119. ſqq.

L.

Lactis prava conſtitutio infantilium morborum cauſſa occaſionalis V, 6, 47
Langius pathologiæ acidi fautor notatus III, 71, 34
Lapides pretioſi, & minus pretioſi ad terreſtria mineralis regni remedia pertinent I, 2, 3
- - eorundem catalogus ibid.
Lapidis hæmatitis virtutes in hæmorrhagiis XIV, 1. 234
Laxantia blandiora medentur hæmoptyſi ib. 4, 247
Lindani electuarium ad hæmorrhagiam uteri ib. 1, 236

M.

Magneſia XXIII, 3, 481
Malignitas febrilis quid ſit? XIX, 21, 413
Malignitatis febrilis facies externa XIX, 4. 376.
Marchionis pulvis epilepticus in morbis infantum ineptum medicamen V, 6. 50, litt. p.
Margaritæ præparatæ in morbis infantum abſorbens ridiculum ibid.
Margaritarum vis cardiaca nulla, XII, 8, 209
Martis remedium in genere nervoſo roborando laude digniſſimum IX, 6, 121
- - quando adhibendum ibid. 122
Medicamenta terrea quid ſint? I, 1,
- - inter vegetabilia non reperiuntur ib. 2, 2

Medi-

Medicamentorum terreorum apparatus in regno animali reperitur, ibid.
- - in regno minerali ibid. 3
Miasma quid? XIX, 6, 381
Michaelis ſpecificum cephalicum in morbis infantum ineptum V, 6, 49
Mictus cruentus XIV, 6, 263
Minerale regnum multa ſuppeditat medicamenta terreſtria 1, 2, 3
Morborum omnium cauſſa acidum ex mente *Tachenii* III, 3, 30
- - cauſſæ, acidum, pituita & bilis ex mente *Sylvii* III, 4, 31
Motus in corpore pendet a neruis IX, 8, 124
- - inteſtinus ſanguinis XIII, 6, 228
- - perennis ſanguinis cauſſa eſt caloris in corpore humano ib. 3, 219
- - ſubjectum proximum in corpore humano quid ſit? XII, 4, 186
Motu omnes actiones, in quibus vita & ſanitas ponitur, abſolvuntur XI, 4, 185

N.

Nervi motuum in corpore cauſſæ IX, 8, 124
Nitrum in hæmoptyſi remedium probatum XIV, 4, 246

O.

Obſtructionum in vaſis ſanguiferis cauſſæ XII, 6, 200
Opium antiſpaſmodicum IX, 8, 126
- - in hæmoptyſi remedium eximium XIV, 4, 247
Orgaſmus quid ſit? XIII, 2, 215. ſeqq.
- - falſo deducitur ab acido ib. 6, 224
Oris hœmorrhoides XIV, 3, 241
Oſteocollæ dijudicatio XXIII, 3, 477

P.

Peruvianus cortex remedium in genere nervoſo roborando præſtantiſſimum IX, 6, 121
- - quando adhibendum ib. 122
Petechiarum cauſſæ XX, 1, 436, ſeqq.
Pharmaceutica terreorum medicamentorum præparatio in genere I, 3, 4
- - ſimplex per contuſionem & trituram ib. 4, 5
Phyſicorum deſcriptio terræ ib. 1, 1
Pitcarnius pathologiæ acidæ domitor IV, 2, 27
Pituita morborum cauſa ex mente *Sylvii* III, 4, 31
Plantarum vires medicatæ quomodo exprimantur I, 2, 2
Pleuritidi curandæ camphora optime convenit XV, 5, 278, lit. ff.
Præparatio terreorum arcana exploſa I, 8, 10
Prærogativa terreorum controverſæ ib. 10, 13, ſeqq.
Pulvis ſtrumalis XXIII, 3, 478
- - ad vermes ibid. 479
- - *Heurnii* XIV, 1, 236
- - ſtegnoticus *Gutmanni* XIV, 1, 235
- - edulcorans *Fulleri* VI, 3, 57
- - abſorbens citratus diſpenſ. Brandenburg. fruſtraneus I, 9, 13
- - epilepticus *Marchionis* in infan-

ſantum morbis ineptus V, 6, 50
Pulveris Marchionis vt antiſpaſmodici cenſura IX, 9, 129
Pulveres bezoardici an pro diaphoreticis haberi poſſint? VII, 5, 81
- - diaphoretici & bezoardici nihil faciunt ad calorem reſtinguendum XIII, 7, 233
- - galactopoei XXIII, 3, 479
- - animi pathematibus percul-ſis porrigi ſoliti ib. 480
Pulverulenta omnia terreſtrium medicamentorum nomine veniunt I, 1, 1
Pulverulentorum deſcriptio ibid. 2
Purpuræ cauſſa XX, 2, 440

R.

Refrigerantium remediorum dotes XIII, 4, 220
- - terreorum vanitas ib. 5, 222, ſeqq.
- - terreorum cauſſæ vulgo redditæ refutantur ib. 6, 223
Regnum animale quænam medicamenta præbeat I, 2, 2
- - minerale multa ſuppeditat medicamenta terrea ib. 3
Rheumatiſmus XXII, 3, 467
Remediorum diaphoreſin moturorum requiſita vera VII, 4, 78, ſeqq.
- - diverſam vim probant vſus & corporum inquiſitio I, 1, 2

S.

Sal volatile in omnibus animalibus & mineralibus perperam ſupponitur VIII, 4, 107
- - alcali fixum in terreis concretis concedi poſſe probatur ibid.
Salia volatilia an antepileptica ſint X, 5, 155, litt. f.
Sanguis fermentationi perſe eſt ineptus XIII, 6, 227, litt. g.
Sanguinis motus inteſtinus ib. 228
- - boni defectus debilitatis in corpore humano cauſſa XII, 5 190
- - denſitas atque immeabilitas ib. 191
- - motus cauſſa eſt caloris in corpore humano XIII, 3, 219
- - Draconis virtutes in hæmorrhagiis XIV, 1, 234
Sanguini particulas acidi & alcali ineſſe ſtatuunt neoterici XIII, 6, 227
Saturatio terreorum cum ſucco citri I, 9, 11
- - de hac judicium auctoris I, 9, 12
Sigillatarum terrarum vires XI, 1, 159
Smaragdi virtutes in hæmorrhagiis vteri XIV, 1, 235
Spaſmus in corpore generatur irritatione IX, 4, 118
Spaſmi vocabulum Græcum ibid. 114
- - & convulſionis differentia ib. X, 2, 140
- - definitio ibid.
- - modus demonſtratus ib. 117, 118
Strigonienſis terra XII, 8, 204
Strobelbergeri antifebrile remedium inſecurum I, 5, 7
Strumalis pulveris dijudicatio XXIII. 3, 478

Succi.

Succinum præparatum an antiſpasmodicum IX, 11, 132, ſeqq.
- - terreis mineralis regni remediis adnumerandum I, 2, 3

Sylvius tres facit morborum cauſſas III, 4, 31

T.

Tachenius pathologiæ acido-ſalſæ conditor III, 3, 30

Teichmeyerus pathologiæ acidi fautor III, 7, 35

Terræ elementaris deſcriptio phyſica & chemiſtica I. 1, 1

Terrarum ſigillatarum vires XI, 1, 159

Terrea an ſolvantur in ventriculo VI, 2, 55
- - an ſoluta pergant ibid.
- - an roborantia ſint ad abortum XI, 5, 168, ſeq.
- - arthritidi falſo dicantur XXII, 1, 461, ſeqq.
- - communi conſenſu ad diaphoretica male referuntur VII, 1, 62, ſeqq.
- - febrium exanthematibus ordinarie dicantur XVIII, 1, 336
- - in curatione febrium malignarum fruſtra adhibentur XIX. 1, 365, ſeqq.
- - in contuſionibus vana XXIII, 1, 471
- - laudantur ad ſtuporem à practicis II, 1, 17
- - medicamenta inter vegetabilia non reperiuntur I, 2, 2
- - per accidens evadunt diaphoretica VII, 8, 93
- - per accidens evadunt diuretica VIII, 5, 108
- - pro tonicis habentur XI, 1, 158
- - pro refrigerantibus habita XIII, 1, 213
- - pro anti-nephriticis venditata XVI, 1, 278
- - pro antifebrilibus venditata XVII, 1, 311, ſeqq.
- - vltra primas vias non pergunt III, 1, 53
- - varia diaphoretica à medicis peritis rejiciuntur VII, 7, 91, ſeqq.

Terreorum medicamentorum ſub nomine quid comprehendatur I, 1, 1
- - apparatus in regno animali conſpicuus ib. 2, 2
- - recenſio ibid.
- - apparatus in regno minerali ibid. 3
- - præparatio pharmaceutica in genere ibid. 3, 4
- - ſimplex per contuſionem & trituram ib. 4, 5
- - eorundem calcinatio ib. 5, 6
- - eorundem præparatio arcana exploſa ib. 8, 10
- - ſaturatio cum ſucco citri, I, 9, 11
- - de prærogativis lites ib. 10, 13, ſeqq.

Terreorum medicaminum uſus creberrimus II, 1, 20
- - abuſus damnatus ib. 3, 23, ib. 25
- - vſus primæ originis inquiſitio III, 1, 28
- - uſus promiſcui vanitas rationibus ſtabilita IV, 3, 39

Terreo-

Terreorum energia in deſtruenda acidi in ventriculo copia V, 1, 40
- - uſus variis ægris conducens V, 2, 42
- - tranſitum in ventriculum negat *Fullerus* VI, 3, 57
- - tranſitum in ventriculum ipſi negant eorum fautores ib. 4, 58, ſeq.
- - transitus in ventriculum fabellis ſtabilita ib. 5, 60, 61
- - diaphoreſin moventium prætextus VII, 3, 73
- - eorundem confutatio ib. 6, 85, ſeqq.
- - pro diaphoreticis habitorum examen ib. 5, 81
- - vires in epilepſia curanda inanes X, 4, 147
- - uſus inepti in epilepſia fontes ib. 5, 151
- - vis tonica valde limitanda XI, 2, 161, ſeqq.
- - vis adſtringens in dyſenteria laudata ib. 3, 163
- - dijudicata ib. 4, 165, ſeqq.
- - vires cardiacæ nimium laudatae XII, 1, 176
- - in hæmorrhagiis ſanandis elogia nimia XIV, 1, 233
Terreorum in curatione inflammationum elogia nimia XII, 1, 265
- - antipleuriticorum elogia nimia ib. 5, 274
Terreorum antinephriticorum examen XVI, 4, 296, ſeqq.
- - uſus ætiologiæ inanes XIX, 22, 417
- - uſus in febribus intermittentibus fruſtaneus XXI, 1, 447
Terreis variis vis antiſpasmodica vulgo tribuitur IX, 1, 110
- - hujus ſententiæ rationes examinantur ibid. 2, 112
- - exploduntur ib. 3, 114
Tokayenſis terra XII, 8, 208, ſeqq.
Tuſſis conſopienda in hæmoptyſi XIV, 4, 248

V.

Vallisnerius pathologiæ acidæ domitor IV, 2, 38
Variolis convenit venæ ſectio XVIII, 10, 362
Vegetabilia non porrigunt remedia terrea I, 2, 2
Venæ ſectio in ipſo hæmoptyſis paroxysmo locum habet XIV, 4, 245
- - ſectionis vſus in variolis, XVIII, 10, 362
Vermes (ad) pulvis XXIII, 3, 479
Virium in corpore humano cauſſæ XII, 4, 187
Vſus diverſam vim remediorum probat I, 1, 2

W.

Waldſchmidius pathologiæ acidi fautor notatus III, 6, 32

) o (